35

Aya -

7
13-F
35

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
8 D
34

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

83 B 31

7-13-F-35

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE


Qualis, quantus erat, pietate insignis, et armis
Spirat adhuc picta CASTRIVS in tabula
Andreas Rossi Sculp.

VITA
JOANNIS DE CASTRO
INDIARUM PRO-REGIS IV.

OLIM

AB HYACINTHO FREYRE DE ANDRADA

Luſitano ſermone deſcripta

NUNC

IN LATINUM CONVERSA

INTERPRETE

FRANCISCO MARIA DEL ROSSO

Societatis JESU.



ROMÆ

Ex Typographia Rochi Bernabò, MDCCXXVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Sapientiſſimis & Eruditiſſimis
ACADEMICIS
REGIÆ ACADEMIÆ OLYSIPPONENSIS

FRANCISCUS MARIA DEL ROSSO FELICITATEM.

REDIT *ad vos iterum ex India Joannes veſter de Caſtro*, ACADEMICI SAPIENTISSIMI, & *è Luſitano Romanus factus, autoritate ſuffragii veſtri muniri cupit, ut è domeſtica umbra in forum literatorum deductus, ſuos, immò veſtrum omnium triumphos ad exteras nationes glorioſè circumferat. Illuſtria glorioſiſſimi Herois facinora totam quidem huc uſque Luſitaniam ſonoro ſtrepitu implevere. Verùm, neſcio quo fato, magnum de illo ſilentium eſt apud cæte-*

ras gentes, quæ bellicam Joannis virtutem cum inſigni morum pietate conjunctam minùs admirantur, & prædicant, quia vel omnino, vel magnam partem ignorant.

Ne gravemini igitur, Civem veſtrum, virum fortiſſimum, cujus non minùs, quàm Romani Catonis

Lucan. l. 2. Pharſal.

Secta fuit ſervare modum, finemque tenere,
Naturamque ſequi, patriæque impendere vitam,
Non ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo:

Ne gravemini, inquam, Civem veſtrum, virum fortiſsimum univerſo terrarum orbi proponi, Romano habitu indutum, ut, quantus quantus fuerit, agnoſci ubique poſsit, & pro meritis laudari. Ejus itaque res geſtas latinè à me ſubſecivis horis interpretatas, nomini inſcribi veſtro permittite, & ſic apud vos ſtatuite, me,

ut

ut hoc facerem, officii debitione potiùs adductum, quàm eligendi facultate. An verò Luſitanis non redderem, quod à Luſitanis acceperam, apud quos ſcripſeram, quos demum laboris mei non autores modò, verum etiam adjutores habueram? Verùm tametſi libera optio ſuperfuiſſet quærendi mihi contra lividos, & obtrectatores patroni, ad quos potius confugerem, quam ad vos, quos ab omni doctrinæ præſidio paratiſsimos, & candidiſſima morum facilitate inprimis præditos noſſem, quorum alterum faciebat, ut tutum mihi patrocinium præſtare poſſetis, alterum, ut velletis etiam?

Præterea, cum in id unicè ſtudia veſtra, doctæque elucubrationes ferantur, ut Luſitanam Hiſtoriam, cum ſacram, tum profanam, abſterſo antiquitatis pulverene, dicam, an ſquallore, ad exactiſsimam trutinam

re-

revocetis, & ab omni caliginis nævo perpolitam, in publicam lucem, velis, ut ajunt, remiſque edere feſtinetis, non injucundum vobis, & ingratum laborem meum fore exiſtimavi. Licèt enim Hiſtoriæ per ſe nitidiſsimæ nitorem novum addere non præſumam; lucem tamen aliquam illi me daturum confido, unde commodiùs à pluribus, iiſque eruditis perlegi poſsit, eo planè modo, quo ſi quis abſolutiſsimam Raphaelis, aut Titiani tabulam è privato cujuſquam muſæo in publicum forum transferret, pretium ille quidem picturæ non adderet, ſed in commodiore luce collocatam, ſpectabiliorem efficeret.

Accedit ad hoc, quod cum in amplisſimum Regiæ Academiæ cœtum ex omni ferme Luſitana Nobilitate literatiſsimi quique tranſcripti ſint, illi quidem, pro inſita ſibi gloriæ cupiditate, non gravabuntur,

cre-

credo, majorum ſuorum facinora illuſtriſſima, quæ in vita Joannis de Caſtro paſſim narrantur, ad excipiendam à nationibus exteris meritiſſimam commendationem, glorioſè peregrinari. Etſi enim nullus dubito, quin unuſquiſque veſtrum pro ſua ſapientia ſtatuerit apud ſe, veram, germanamque Nobilitatem non in ſolis majoribus ſitam eſſe,

Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtro voco, — Ovid. Metamorph. l. 13.

ut Græcus ille Ajax ajebat apud Ovidium; nihilo tamen minus, ubi quis ſemel ſibi propoſuerit, imitatione majorum, ut vos ipſi præclarè facitis, genuinam nobilitatem conſtare oportere, quippe, ut Satyrici verbis utar,

Nobilitas ſola eſt, atque unica virtus, — Juven. Sat. 8.

quis inficiari poſsit, quàm liquida permulceri voluptate poſsitis, cum

vos

vos glorioſis avis non indignos, & illos vobis digniſsimos conſpicietis? Vitam quippe Joannis de Caſtro quicumque Nobilium Luſitanorum perlegerint, ut mihi quidem videtur,

Ovid. 1. Faſtor. Sæpe illis pater eſt, ſæpe legendus
avus,

ex quorum glorioſa recordatione non incitari modò, ſed rapi ſe ad imitationem avitæ virtutis facilè ſentient: nimirum quemadmodum, ut eſt apud Satyricum,

Juven. Sat. 14. Velociùs, & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Cum ſubeunt animos autoribus,

ita nullum fortius, nullum dulcius incitamentum eſſe oportet ad præclara domi, foriſque facinora ſuſcipienda, quàm domeſticis ad virtutem præceptoribus quotidie erudiri.

Quæ cum ita ſe habeant, Academici Sapientissimi, *& cum tam*

mul-

multis nominibus Latina hæc interpretatio vobis deberetur, dabitis, puto, veniam audaciæ meæ, quòd homo exterus, & nullius nominis munuſculum hoc levidenſe, ut ajunt, & craſſo filo, offerre vobis auſus fuerim, quod ſi tamen pro veſtra benignitate æquis animis admittere non recuſetis, pretium non mediocre accipiet, cum eſſe incipiet veſtrum. Præclara conſilia, & ſtudia illa, quibus ad gloriam ſtrenuè nitimini, fortunet Deus Optimus Maximus, ACADEMICI AMPLISSIMI, *& gratiæ ſuæ donis, quæ unicè a Sapientibus expeti poſſunt, ac debent, vos ad unum omnes quàm largiſſimè, & diutiſsimè cumulet.*

Ex Collegio Goano Soc. JESU *Idib. Decembris anni a Chriſto nato* MDCCXXIII.

BENEVOLO LECTORI
LATINUS INTERPRES.

NIHIL prius, nihil antiquius eſſe ſolet compluribus ætatis noſtræ Scriptoribus, quàm ut operis ſui publicam quodammodò rationem reddant, & in prima libri fronte, lectorum non modò ſibi benevolentiam concilient, verùm etiam anticipata ſuffragia verbis exquiſitiſſimis eblandiantur. Id ego moris, etſi non audeam improbare, ſequendum mihi omnino non arbitror. Libri quippe, veluti pictæ tabulæ, cum publici juris fiunt, oculorum judicium (quod ſanè non minùs, quàm aurium, ſuperbiſſimum eſt) cum prævertere minimè poſſint, expectare patienter debent; neque enim ſatis eſt, ſi domi probabiles videantur, niſi re ipſa foris probentur. Itaque laborem meum ſi probaveris, benignè quidem, ſi caſtigaveris, non injuſtè facies: utrumlibet feceris, tuo jure uteris.

Cæterùm & Hiſtoria ſcitu digniſsima eſt, & minimè pervulgata. Scriptor verò, quem interpretandum ſuſcepi, ut magni eſt apud Luſitanos nominis, ita nationibus cæte-

ris (ut ego quidem conjicio) non improbabitur ; habet enim in narrando non mediocrem jucunditatem , & illaboratum candorem : preſſus eſt , & velox , ut hiſtoricum decet , quin tamen vel obſcurus ſit , vel ſupinus : elegantiam ſectatur , ſed non jejunam, acumen , ſed minimè illiberale .

Quod verò ad interpretationem attinet meam , autoris ſenſum exprimere potiùs , quàm verba verbis cohærentia reddere laboravi. Cum enim ſit unicuique linguæ ſua vis , & venuſtas , quæ totidem verbis in aliam vix aptè, & commodè transferri queat,neceſſe fuit aliqua demere , quæ preſsiùs latinè dici oportuit,alia ſupplere,quæ numeroſiùs fluerent,& ad aures jucundiùs acciderent . Itaque , quod in conſtruendis navibus fabri lignarii facere ſolent , faciendum mihi exiſtimavi . Ut enim illi integras arbores in naves non transferunt, niſi cum integras poſcit navium ſtructura , ſed auferunt , ſiquid abundat , & ſiquid deſit, adjiciunt, ut totum ædificium quàm aptiſſimè fieri poteſt, ſibi undecumque reſpondeat, & ad artem exigatur , ita , paucis ad nitorem additis , vel mutatis, nihil aliud conatus ſum, quàm ut integram hiſtoriæ fidem ſervarem .

Præterea illuſtrium , fortiumque Luſitanorum cognomina , multorum exemplo , ro-

ga-

gatuque, Latina non feci, quò facilius avos ſuos glorioſi nepotes poſſent agnoſcere, & ad eorum mores formari. Ita enim fiet, ut domeſticis exemplis acriùs incitati, ſummo reipublicæ commodo, per glorioſa majorum veſtigia nitantur ad gloriam, & nova poſteris ſuis relinquant exempla virtutum.

Hæc habebam, quæ præmonerem. Utere, ſi placet, labore noſtro, tametſi tenuis, immo exiguus fuerit, & ita vive, ut ſemper, & quàm feliciſsimè vivas.

MICHAEL ANGELUS
TAMBURINUS

Præpoſitus Generalis Societatis Jesu.

CUM Librum, cui titulus: Vita Joannis de Castro Indiarum Pro-Regis IV., ex Luſitano in Latinum converſa, interprete P. Franciſco Maria del Roſſo noſtræ Societatis Sacerdote, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſse probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratia, has Literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 21. Decembris 1726.

Michael Angelus Tamburinus.

Im-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſc. Bojan. Vicesgerens.

APPROBATIO.

EXimium Opus, cui Titulus eſt: *Vita Joannis de Caſtro &c.* mandante Reverendiſsimo Patre Gregorio Selleri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, attentiſſimè legi, nihilque in eo reperi, quod Catholicæ fidei, bonis moribus, accuratioribuſque historiæ regulis adverſetur. Quamobrem illud jure ac merito publica luce dignum cenſeo.

Romæ pridie Calendas Februarii anni à reparatâ ſalute milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi ſeptimi.

Fr. Malachias D'Inguimbert Ordinis Ciſtercienſis, Eminentiſsimi Laurentii Cardinalis Corſinii Theologus.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Pro-

Proteſtatio Autoris.

IN executionem Decretorum glorioſæ memoriæ Vrbani VIII. Pont. Max. & S. Romanæ Inquiſitionis intelligant omnes, qui hanc hiſtoriam perlegerint, nullam aliam à me fidem adhiberi velle iis, quæ in toto hoc Opere continentur, quàm humanam, & omnia ſubjici judicio S. Apoſtolicæ Sedis, cui in omnibus tanquàm filium obſequentiſſimum profiteor ſubeſſe me velle.



Qualis, quantus erat, pietate insignis, et armis
Spirat adhuc picta CASTRIVS in tabula

Andreas Rossi Sculp.

VITÆ JOANNIS DE CASTRO INDIARUM PRO-REGIS QUARTI,

LIBER PRIMUS.

JOANNIS de Caſtro, inter Luſitanos Heroas illuſtriſſimi, ſuo ipſo nomine, ac victoriis longè majoris vitam deſcribam, cujus modò in Oriente præclara geſta, perpetua patrum ad filios traditione, ſuccedentis ſibi quodammodò libri vice funguntur, memoria illuſtrium facinorum recentiſſima. Ad hujus ego gloriæ præconium latiſſimè perſtrepens, exiguum pro modulo meo ſonitum addam, ut qui probè ſciam faciliùs ea monumenta corrumpi, quæ mortalium memoriæ fragili commendantur, quàm quæ ſcriptis, ſi minùs ſemper, diutiùs, certè victuris.

Joannis prima ſtudia.

1 Splendidiſſimæ familiæ ſurculus perilluſtris fuit Joannes de Caſtro. Ejus tamen virtutes primo loco commemorabimus, ut par eſt, poſtremò originem: ſua nimirum unicuique facta parentum loco commodiùs eſſe poſſunt, quàm quos accepimus à natura. Pueriles annos exegit iis literis, ac virtutibus, quarum ætas prima capax eſt, diligenter excultus: ita à natura pronus, ac docilis ad diſciplinam, ut dirigi ad eam dumtaxat, non cogi debuerit. Quia verò, utpote minor natu, non erat paternæ domûs hæres futurus, idcircò ad majorum diſciplinarum ſtudia deſtinabatur: in ſplendidis quippe, magniſque familiis literæ apud Luſitanos alterius quodammodò hæreditatis locum obtinent. Itaque morem parentibus geſſit, quia non ſatis ad repugnandum libero, ad alia pro libito eligenda, optio defuit.

Cum Principe Luſitaniæ Matheſim addiſcit.

2 Mathematicis diſciplinis, Petro Nunes, doctore hujus ſcientiæ, noſtrâ, ac patrum memoriâ, peritiſſimo, tam ſedulam navavit operam, ut diſcere docturus videretur. In hac ſtudiorum palæſtra ſocium habuit Aloyſium Luſitaniæ Principem, quocum arcta familiaritate conjunctus eſt, neſcias, an ſanguinis magis, an ingenii nobilitate. Verùm, quia literas obedientia, ingenium arma ſuadebat, ſtudiorum gloria contempta, tamquam mediocris momenti, incitatus cùm animi propenſione, tùm majorum exemplo, à literis adarma traductus eſt.

In Africam proficiſcitur.

3 Eduardi Meneſii, ea tempeſtate Tingis urbis in Mauritania Tingitana Præfecti fama latiſſimè percrebuerat, ejuſque nomen, ut Africani metuebant, ita Luſitani reverebantur. Hujus Joannes Victorias penſitatiùs multò, quàm Euclidis circulos, ac figuras reputabat, quippe qui tandiu liberales

rales artes amavit, dum poſſent bellicæ virtuti famulari.

4 Annum agens duodeviceſimum, cum ſe animi magnitudine longiùs, quàm ætate proceſſiſſe cognoſceret, in Tingin clanculùm vela fecit, ubi, contrà quàm fieri ſolet, novem ipſos annos conſtanter exegit: perinde quaſi vellet in eo loco vitam traducere, quo tamquam gradu ad majora cæteri utebantur. Toto illius belli tempore, ut ut anceps, & difficilis occaſio ſe offerret, militum æquè invidiam, & conſanguineorum gratulationes promeritus, virtutem probavit ſanguini parem, annis majorem.

5 Joannem Meneſius perinde ſuſpiciebat, ac ſi Aſiæ victorias, quas in hac hiſtoria deſcribimus, perlegiſſet. Quapropter ſuis illum manibus equitem inauguravit, honorem non tam daturus, quàm accepturus: nimirum de alumno ſuæ diſciplinæ jam tum ſibi vehementer placebat. Animum verò tantoperè gloriæ cupidum Regio favore dignum exiſtimans, virtutique geſtiens præmia reſpondere, Regiam æquè, & clientis cauſam agens, datis ad Joannem Luſitaniæ Regem hujus nominis tertium ampliſſimis literis, ſignificavit, Joannem de Caſtro tam ſtrenuè ſtipendia meruiſſe, ut, ſi vel honeſtiſſimis militiæ gradibus, vel præmiis ampliſſimis quibuſcumque donaretur, minùs profectò eſſet, quàm pro meritis accepturus: Regiæ Celſitudinis eſſe eundem largiter honeſtare: Regum quippe memorum beneficiis militares animos acui, nec æquum videri, ſi maximus Princeps egregias virtutes in oculis ſuis præmio vacuas languere permitteret.

Eques inauguratur ab Eduardo de Menezes.

6 Accerſivit è veſtigio Rex Joannem per literas, adeo honorificas, quaſi nihil præterea præmii in eum conferre ſtatuiſſet. Itaque, ubi primum re-

Revocatus in patriam, præmio donatur à Rege.

redux in aulam venit, vulneribus ſuis non minùs invidioſus, quàm regia benevolentia, commendatitio beneficio à Rege donatus eſt in oppido Salvaterra, ut honorarii deinceps Regiæ militiæ tyrones intelligerent, quantùm Regi ſuo militaris virtus probaretur.

Aulica Joannis vita.

7 Aulam Joannes frequentavit aliquandiù, quin ad juvenilia vitia, tametſi levia, vel ætatis flexu, vel exemplorum impetu raperetur, virili prudentiâ habitus per omnes ætates: ita tamen, ut nec feſtinata maturitas gravem, nec urbanitas redderet nimis facilem. Novit inter aulæ avocamenta philoſophari: declinans in eo vitæ genere, quod otioſum eſt, aulicæ tantum concinnitati ſtudens, & elegantiæ.

Uxorem ducit.

8 Inter hæc, mutata vitæ conditione, duxit in matrimonium Eleonoram Coutinho, ſuam in gradu ſecundo conſobrinam, filiamque Leonelli Coutinho ex illuſtriſſima Marialvæ familia, cujus nobilitas ita priſca eſt, ut, vel ab ipſis Luſitani Regni primordiis, ſpectabilis memoretur. Dotis illi loco Uxoris mores contigêre apprimè caſti, & ingenui, præterea nihil: eam ſibi tamen ſine divitiarum ſplendore obſervantiam conciliavit, ut, quem omnes tanquam divitem colerent, verè pauperem miſerarentur.

Tunetanæ expeditionis cauſæ.

9 Incidit per eos dies expeditio Tunetana, victoria ſanè, quàm fructu celebrior. In hujus gloriæ, ac periculi ſocietatem Joannes ſponte ſe offerens, momentum fuit ad glorioſum exitum non mediocre. Paulò fuſiùs iſta referemus, quia in ejuſmodi expeditione vires ſuas Joannes Rex, ſeipſum Aloyſius Princeps impendit. Totum, quàm latè patet, Mediterraneum mare latrociniis ſuis infeſtum reddide-

rat

rat famoſus Pyrata Barba-roſſa, majore ſanè audacia, ac viribus, quàm de maritimo prædone credi poſſit. Proſpera, & æquabilis illius flagitiis fortuna Carolum ubique triumphantem hoc uno quaſi repagulo morabatur. Itaque cum bellicæ virtutis opinione, ac viribus augeri ſe in dies magis audax pyrata intelligeret, ad Turcici Imperatoris nefaria ſigna ſe tranſtulit, apud quem, vulgatis, quas nobis intulerat cladibus, Ducis non inſtrenui opinionem ſibi conciliarat: inita tandem ab eo gratia, opulentiſſimis rapinarum Spoliis oblatis, ſupremam facilè obtinuit Claſſium Præfecturam. Magnâ deinde vi triremium inſtructus, maria ferociter excurrens, Neapolitanorum, ac Sicilienſium portubus damna intulit non mediocria, quin graſſantem ubique peſtem, aut incolarum virtus, aut Romani Imperii, cui ſerviebant, tutela poſſet avertere. Innumeri ab eo in miſeram ſervitutem abſtracti, quorum ſanè compluribus, pro humana fragilitate, libertas avita Religione potior fuit: oppida vaſtavit, naves incendit, ærumnis noſtris apud Barbaros clarus: donec humilis, in qua natus fuerat, fortunæ immemor, occupato per fraudes, quas referre noſtrum non eſt, Regno Tunetano, ex longo blandientis fortunæ lenocinio, inſatiabilem hauſit dominandi cupiditatem. Ejuſmodi tyrannum ſuis viribus ſatis firmum, alienis longè firmiorem futurum reputans apud ſe Carolus diligenter: finitimis Regnis, quæ tunc obtinebat, perincommodum ratus, ſi hoſtis adeo importunus tàm propè invaleſceret: demum, ne Mauri natura ſua bellicoſi, vires ſuas agnoſcerent, & tametſi militiæ rudes, ductu, peritiaque tam ſtrenui Ducis uterentur, certiſſimo vicinæ Hiſpaniæ periculo; ſtatuit opportunè publico

la-

latroni, validiſſimo exercitu armatus occurrere, captoque Tuneto, perfugium eripere, ut eum ſi minùs vitâ, ac libertate ſpoliare poſſet, cogeret tamen amiſſis latebris, in apertum mare deſcendere, ubi pyraticam agens, diſſipatis, & incertis Viribus (quæ die ipſa, ac vario fortunæ ſucceſſu faciliùs opprimi poſſunt) leviùs noceret. Itaque veteranum militem in Italia præſidiarium, novis, ac tyronibus ſubrogatis, eduxit: in Belgio, ac Superiore Germania delectum habuit copioſum: Italos, & Hiſpanos conſcripſit, præter Nobiles, ac Purpuratos, qui ſuo ære ſtipendia facturi, Cæſarea ſigna ſequebantur. Quia verò ejuſmodi expeditio non minùs utilis, quàm juſta videbatur, adventitii complures ad tam pia, fortiaque arma non inviti confluebant. Inſpectis in Sardinia Inſula copiis, quinque ſupra viginti militum millia numerata ſunt, quibus à Cæſare ſtipendium erogatum, præter alios complures, qui ſuis ſumptibus militantes præcipua pars erant lectiſſimi exercitûs, qui novis in dies ſingulos ſubſidiis mirum in modum augebatur.

Tunetum proficiſcitur cum Principe Luſitaniæ.

10 Aloyſius, Luſitaniæ Princeps ea belli alea dignus, quæ virtuti ſuæ reſponderet, Imperatorem, ſororis ſuæ virum in ea expeditione ſequi decrevit, & quamvis â Joanne Rege, tum propter ſanguinis conjunctionem, tum propter ipſam Principis dignitatem vehementer ab incœpto deterreretur; Regiam tamen voluntatem magis ex animi ſui magnitudine, quàm ex obedientia Regi, ac fratri debita interpretatus, clanculùm, nulloque apparatu cum paucis Nobilibus viæ ſociis iter ſuſcepit. Id ubi Rex intellexit, Barcinonem, ubi per id tempus Carolus morabatur, ſyngraphas largiſſimas ad fratrem tranſmiſit, quibus, obſtricta Regia fide, pecuniarum

rum quidquid opus eſſet, ab argentariis exigeret. Lembos ipſe auriti veli quinque & viginti, quanta potuit celeritate, extrui juſſit, ac præterea roſtratas naves complures, in quibus Prætoria majoribus ex ære bombardis ducentis inſtructa eſt, ac tanta magnitudine, quantam ad eam diem maria noſtra non viderant. Luſitanæ Claſſis in eam expeditionem Præfectus Antonius Saldanha renunciatus, &, ne quid Principi deeſſet ad ſplendorem, navigiis ſingulis ex flore Luſitanæ Nobilitatis Præfecti impoſiti. In his Joannes de Caſtro numeratus eſt, æquè periculi, & cupiditatis contemptor egregius, ut ſtatim docebit Hiſtoria.

11 Nobilium Luſitanorum cum Joanne claſſem conſcendentium reperta à me nomina ſunt ejuſmodi. Alphonſus Portugalliæ, Comitis de Vimioſo filius natu major, Alphonſus de Vaſconcellos Comitis Penellæ filius, Aloyſius Alvarez de Tavora, Magadori Dominus, ejusque frater Rotericus Laurentius de Tavora, qui deinde Indiam Prorex adminiſtravit, Joannes de Almeida filius Comitis de Abrantes, Petrus Maſcarenhas, qui & Indiæ Prorex datus, Didacus de Caſtro, Eborenſis Caſtri Præfectus, Ferdinandus de Noronha, Franciſcus de Faro, Franciſcus Pereira, qui tempore Sebaſtiani Regis miſſus eſt in Hiſpaniam Legatus, Alphonſus de Caſtelbranco, Supremus Circitorum Præfectus, Petrus Gomez de Souza, Joannes Gomes de Sylva, Regius Armiger, Aloyſius de Attayde, qui deinde Comes Attaugiæ, iterum Prorex in India diem obiit. Omnes à me laudati Nobiles ſuo ære militabant, ſtipati famulis, ac militibus lautè, & concinne veſtitis, ad animi alacritatem indicandam, qua bellum ſequebantur. Appulit Barcinonem claſ-

Plurimi nobiles Luſitani idem iter inſtituunt.

ſis

ſis ſecundiſſimo vento, ubi ſalutata bellicoſo tormentorum ſtrepitu Cæſaris Prætoria, decoram Virium ſuarum ſpeciem Carolo præbuit. Is Luſitani Oratoris Alvari Mendez de Vaſconcellos in ædes venerat, quæ, cum mari propiùs imminerent, ad tantæ claſſis ingreſſum celebrandum, ornandumque peridoneæ videbantur.

Urbanitatis certamen inter Cæſarem, & Principem Luſitaniæ.

12 Albæ, & Cardonæ Duces cum præcipuis Hiſpanæ Nobilitatis, ſupremo Luſitanæ claſſis Præfecto, ſociiſque nobilibus, ad litus obviam prodiêre, ut quàm honorificè in conſpectum Imperatoris, generoſi hoſpites, ac ſtrenui Commilitones deducerentur. Magnificè, & liberaliter, quantùm Cæſarea dignitas patiebatur, excepit Carolus venientes, admodùm lætus militiæ noſtræ ſocietate, quam ſtrenuam probè noverat, & Africànorum telorum minimè rudem. Graviora per id tempus conſilia cum Aloyſio Principe communicabat, non tam in eo gradum dignitatis, quàm judicii maturitatem ſuſpiciens: erat enim Aloyſius non minùs aulæ, quàm Reipublicæ peritiſſimus. Liceat hìc mihi de illo ſingulare urbanitatis exemplum commemorare, quod ab Hiſpanis ſummoperè celebratum accepimus. Ambo cum ſe domum noctu reciperent, certatum mutui officii cauſa utrinque eſt, uter prior portam ingrederetur, hoc hoſpiti, illo majeſtati primas deferente. Cum verò, impulſo molliter brachio, Aloyſium præire Carolus cogeret, is, quando recuſandi honoris, cui ſe imparem arbitrabatur, nullus ſupereſſet locus, cereo funali à præcedentibus ephæbis arrepto, famulam quaſi vicem ſubiturus præceſſit. Hac Princeps agendi dexteritate, ac prudentia adeò ſibi Cæſaris benevolentiam devinxerat, ut is ad collocandum optimè beneficium, meritum in

illo

illo æquè, ac virtutem nactus, ſtatuerit apud ſe Mediolanenſem Ditionem beneficiario jure Aloyſio mancipare. Verùm, cum pro illius regionis dominio contumaciſſimè Gallia pugnaret, diù, multùmque cruento armorum judicio utrinque diſceptatum eſt, quin ſua alterutri parti jura conſtarent:

13 Hujus ego quidem belli exitum, quia ab hac Hiſtoriæ ſerie alienum, non referam. In eo tamen Joannes de Caſtro ita virtutem ſuam Cæſari probavit, ut is equeſtri baltheo ornandum cenſuerit. Id tamen honoris recuſavit, Eques jam ab alio creatus, cui, quantùm deerat Regiæ dignitatis, tantùm bellicæ virtutis ſuppetebat. Duo millia aureorum in Præfectos ſingulos Luſitanæ claſſis, tanquam Auſtriacæ munificentiæ documentum, erogari juſſerat Imperator: hæc Joannes, cæteris accipientibus, non admiſit, quippe qui periculo ſuo gloriam, quàm præmia lucrari mallet.

Joannes Equeſtrem dignitatem, & pecuniam a Cæſare oblatam rejicit.

14 Interea Carolus ex Africano bello, tanquam novus Scipio triumphans, incredibili victoriæ plauſu, & læta Populorum acclamatione, in Europam ſe recepit: Imperii ſui Conditor veriùs, quàm hæres. Noſtra quoque claſſe Olyſipponem, unde diſceſſerat, reſtituta, Joannes inter benevolos Regis amplexus, crebrasque Civium gratulationes, præmium longè majus accepit, quàm quod à Cæſare oblatum nuper rejecerat. Quia verò non minùs, quàm cætera, ſuam æquè noverat famam contemnere, Sintræ in ruſticanum prædium ſeceſſit, ſibi uni interea victurus. Ita enim patriæ commodis ſerviebat, ut labores non fugeret, quaſi inutilis, nec quæreret, quaſi ambitioſus. Miro hîc, & novo agriculturæ genere capiebatur, frugiferis ſuccisis, ſylveſtres, ac ſteriles arbores ſubrogando: ſignifi-

Redit in patriam, ubi novo modo ruſticatur.

caturus, niſi fallor, labores ſuos ita eſſe à lucro alienos, & abhorrentes, ut ne ab ipſa quidem terra, quam exercebat, beneficii mercedem, cum fœnore reddi ſolitam expectaret. Quid mirum tamen tam parvi habitos ab Joanne exiguos fructus, quos Sintræ ſcopuli ferre poterant, qui ſplendidos Orientis pyropos, ac pretioſiſſimos adamantes nullo loco habuit.

In Indiam primò navigat.

15 Vehementer ille quidem in primo adhuc ætatis fervidæ flore, ad obſequium Regi præſtandum domeſticis exemplis incitabatur, & quia Africanum bellum nova Orientis poſſidendi ſpe, vel diſſimulabatur, vel vileſcebat (apud homines quippe ea fama celebrior, quæ remotiore ex loco colligitur) ſolvere in Indiam ſtatuit, cujus poſſeſſio armis felicibus inchoata, Luſitaniam fama, crebriſque victoriis implebat. Periculoſum iter ſuſcepturus, nullum militiæ gradum quæſivit, nullam diſcriminum pæteritorum mercedem petiit, ad ſe magis pertinere honorem intelligens, ſi foris quæreret, quàm ſi domi jam partum ſecum educeret.

Regies beneficia non admittit.

16 Ad Indiam ea tempeſtate adminiſtrandam proficiſcebatur Garzias de Noronha, qui nuptias cum Joannis ſorore contraxerat. Is audita affinis ſui voluntate, magnoperè lætatus eſt, habiturum ſe difficillimi itineris ſocium, gregarii militis habitu, qui jam tum ſibi in ea dignitate ſuccedere mereretur. Ubi primùm de Joannis itinere Rex audivit, mille aureos quotannis ei numerandos attribuit, dum in India militaret, ac præterea, dato diplomate, Arcis Armuzianæ Præfecturam. Utrumque recuſavit majorene ambitione, an temperantia, non facilè dixerim. Rariùs enim beneficia rejicimus, quàm admittimus: id ipſum verò magni animi docu-

men-

mentum laudare quis faciliùs poteſt, quàm imitari.

17 Joannes itaque navem conſcendens difficillimæ navigationis ſocium voluit Alvarum filium, qui tertium decimum annum attigerat, offerens puero generoſo, tanquam crepundia teneræ ætatis, longa Oceani ferocientis pericula, ac tempeſtates. Proſpero curſu Garziæ claſſis Indiam tenuit, ubi claſſem aliam, à Gubernatore Nonio à Cunha jam adornatam invenit propediem ſoluturam. Nimirum, cum Turcarum triremibus, quæ Dium circumſidebant, dimicandum erat, & urbs difficili obſidione liberanda, quam fortiter ad eam diem Antonius Sylveira propugnaverat. Garzias, ſuſcepta Reipublicæ adminiſtratione, laborantis urbis opportuno ſubſidio ſublevandæ neceſſarium onus in ſe recepit. Ad id ſuam illi operam obtulit Joannes de Caſtro, qui, utpotè fortunæ militans, arrepta alacriter occaſione, & futuros quodammodò triumphos præſentiens, quos ſibi jam tum Dium præparabat, quam primò obviam habuit navem conſcendit. Inopinatus tamen Turcarum regreſſus Garziæ victoriam vel abſtulit, vel, etſi minus glorioſam, tutiorem tamen, & ſine ſanguine dare voluit.

Alvarum filium in Indiam ſecum ducit.

Dio ſubſidium laturus conſcendit.

18 Garziæ brevi vita functo ſucceſſit Stephanus à Gama, qui in India glorioſi cognominis nobilitatem rebus præclarè geſtis ſuſtinuit: majorem facilè fortunam æquaturus, niſi tam brevi Indicæ rei adminiſtratione uſus eſſet: Facinus ille quidem ſuſcepit, cùm periculo, tùm gloria ad famam poſteritatis illuſtre: Rubri maris fretum penetrare aggreſſus, ad incendendas Turcarum triremes, quæ in * Poſidii portu ædificabantur, ad expellendos ex India, ut fama vulgaverat, Luſitanos: quod ſanè facinus

* Suez.

viribus ſuis, ac majeſtate digniſſimum Turcicus Imperator arbitrabatur.

Cum Stephano à Gama navigat ad mare rubrum.

19 Claſſe ad ſolvendum jam expedita, ſtrenuos quoſque glorioſum novæ expeditionis periculum vehementer incitavit: in ea nimirum famam ex æquo victoria, & audacia merebantur. Profectus eſt Stephanus à Gama Kal. Januar. anni M.D.XLI., eductis è Goano portu triremibus ad ſexaginta, & roſtratis navibus ad duodecim, quarum uni Joannes de Caſtro Præfectus eſt. Curſu, orientalibus ventis feliciter procedente, navigiis hàc illàc diſperſis Arabicum litus apparuit. Indicus verò Gubernator, poſtquam Arabiam à Monte felici proſpexerat, ad oſtium Rubri maris ſtetit in anchoris; ceteras naves expectaturus. Hîc, etſi nunciaretur, Turcicas triremes in litus ſubductas, ita diligenter armatis hoſtium excubiis ſervari, ut incendi omnino non poſſent, niſi aperta vi, quod fieri nullo modo poterat, vadis, ac ſyrtibus ejus portûs majora navigia non admittentibus; nihilo tamen minùs Stephanus à Gama, nuncio, atque adeo periculo ipſo contempto, proceſſit cum aliquot myoparonibus, quorum unum, relicta nave, cui præerat, regebat Joannes de Caſtro. Primas Inſulas prætervecti, in duodecimo, & dimidio altitudinis gradu poſitas, ſinumque veterem, quaſi in tertio decimo gradu collocatum, Fortunæ Inſulam totidem fermè ab Æquatore gradibus diſtantem feliciter appulere. Ex oſtio Arabici freti Poſidium uſque per maritimos ejuſmodi ſinus invectus, meridiani Solis gradus, inito calculo, Joannes ſupputabat, deſcriptoque diligentiſſimè itinerario, de rebus nauticis, modò tamquam Philoſophus, modò tamquam nauta judicium ferebat appoſitiſſimum: oſtendens quàm cæco modo procedat

Ejus itineris deſcriptionem facit.

ru-

rudis experientia navarchorum, Matheſeos præceptis deſtituta. Hîc, data occaſione, doctor perinde, ac miles, diſſeruit admodùm copiosè, ac luculenter, quibus de cauſis Erythræum mare eſt appellatum, ac præterea de impulſu, ac naturali motu Nili fluminis, ſponte per æſtatem exundantis: quæ ſanè res complurium eruditorum fruſtra diligentiam acuit, quibus natura ejuſmodi ſecreta celata tandiu voluit. Quamobrem, quod tam ſuperbè Romani Oratores prædicabant, Cæſarem ſuum, pari judicii, ac virtutis laude, calamum, & enſem tractaſſe, id ipſum in Joanne de Caſtro, tametſi glorioſum, præ cæteris tamen ejus dotibus, tanquam minùs memorandum, de induſtria præteribimus. Ejuſmodi diſſertationem, aliamque non diſſimilem, de qua mox pleniorem notitiam ſubjiciemus, inter maris, ventorumque furias deſcriptam, Aloyſio Luſitaniæ Principi Joannes inſcripſit, ut illi literarum, quibus unà vacaverant ab ineunte ætate ſuaviſſimum, & quaſi debitum fructum offerret.

Alvarus Joannis filius Eques inauguratur à Stephano à Gama.

20 Ex hoc, in quo conſederant, loco intuentibus Sinæ montis proſpectus patuit, ubi in Illuſtriſſimo monumento, Angelorum manibus excitato, pretioſum Catharinæ Virginis Sanctiſſimæ, ac Martyris invictiſſimæ Corpus ferunt collocatum. E regione hujus loci Stephanus à Gama Alvaro Joannis filio, collatis inſignibus, equeſtrem contulit dignitatem. Is verò ad conſervandam loci, factique illuſtris memoriam, novum gentilitio ſtemmati ſymbolum addidit, Rotam gladiis armatam, quam ad hæc uſque tempora illuſtres nepotes colunt, & ornant religioſiſſimè. De exitu cœptæ expeditionis nihil eſt nobis commemorandum: ſiquidem vigilantia Turcarum effectum eſt, ut penitus fruſtraretur.

21 At

Joannes in patriam redux litoralibus claſſibus præficitur.

21 At Joannes ex India repetens Luſitaniam, perinde quaſi creſcere interea vellet, & quodammodò matureſcere Orientis palmas, quæ ſuis deinde victoriis debebantur, præter famam illuſtrium facinorum, nihil præterea divitiarum in patrium litus expoſuit. Corpore tamen à tam diuturna maris jactatione nondum curato, litoralibus claſſibus à Rege præfectus eſt, ut ſuſcipiendi rurſus in Regni obſequium labores, præteritorum quodammodò præmium eſſent. Profectus itaque ſtatim eſt eodem anno M.D.XLIII. ad deducendas valido, & opportuno præſidio naves, quæ ex India expectabantur. Emenſa ea poli altitudine, quam à Rege habebat in mandatis, cum incerto itinere hàc illàc fluctuans, vela faceret, Gallum pyratam obvium habuit, qui ſeptem roſtratarum claſſe præpotens, maria illa prædabatur, audax jam factus, & opulentus ſpoliis aliquot navium, quæ ex noſtris coloniis regrediebantur. Ubi primùm Joannes hoſtem proſpexit, paſſis in eum, pleniſque velis invectus, ferrea manu in Prætoriam injecta, adeo ſe ferociter ad illam applicuit, ut obfirmatiſſimè, ac diu reſiſtentem expugnaverit. Duæ præterea hoſtium naves impulſu tormentorum aquis obrutæ: Cæteræ noctis beneficio commodè uſæ, tametſi labefactatæ, in diverſa abiere. Quæ peculiariter in hac maritima pugna geſta fuerint, memoriæ tradita non reperio. Quapropter nemo mihi vitio vertet, ſi eadem ego quoque ſilentio preſſerim: aliena quippe negligentia defendi poſſum.

Septem pyraticas naves fundit.

Indicas naves ducit in portum.

22 Diebus non ita multis poſt Indicæ naves apparuere, Joannemque, repetito bombardarum ſtrepitu, ſalutantes, operam victori ſuam contulerunt, ad partam de pyrata victoriam magnificentiùs celebran-

brandam. Iis itaque comitantibus, Tagi oſtium ſubiit, tanto omnium ordinum plauſu exceptus, ut jam (quod ſanè difficillimum eſt) extra odii, & invidiæ aleam poſitus videretur: quod ſummum, ſeu felicitatis, ſeu miſeriæ faſtigium illuſtres viri ſolùm poſt mortem ſepulcro illati, vel obtinent, vel evitant. Verùm tam proſperi, glorioſique eventûs nullum aliud Joannes præmium cœpit, præter victoriam. Cùm enim Reges multa debent, faciliùs ingrati videri volunt, quàm minùs in retribuendo liberales: ſuis enim vitiis minùs erubeſcunt, quàm iis, quæ Regiæ dignitati tribui ſolent.

23 Exiguo admodùm ſpatio, partæ nuper victoriæ dulcedine Joanni de Caſtro uti licuit. Eum nimirum majoris momenti neceſſitas à quiete ad arma revocavit. Id ego præter meum inſtitutum, referam aliquantò fuſiùs, &, ne hiſtoriæ filum cogar abrumpere, rei infra narrandæ paulò altiùs initia repetam. Haradinus Barba-roſſa, cujus ante meminimus, arcibus Tuneti, & Golettæ munitiſſimis expoliatus, vires ſuas intelligens non modò fractas, ſed penè afflictas, ac profligatas, quin poſſet in continenti tyrannidem, in mari pyraticam exercere; non ideò tamen animum deſpondit, aut vires amiſit, quin adhuc ad multos annos Italia miſerè divexata grave illius flagellum experiretur. Pretioſas rapinarum ſuarum reliquias ſervabat variis in locis reconditas, futuras quaſi alteras poſt naufragium tabulas, quarum ope poſſet emergere, ſi adverſis aliquando fortunæ fluctibus premeretur. Has in unum collectas obtulit Solimano Turcarum Imperatori, tam proſpero ſucceſſu, ut is non modo obliviſci cogeretur, tum recentem diſſipatæ claſſis calamitatem, tum factum à Tunetana arce diſceſſum, verùm

Barba-roſſa Turcicum Imperatorem ſtimulat contra Chriſtianos.

rùm etiam veniam prætcritorum ultro daret,tametſi accepti vulneris recenti adhuc memoria exulceratus. Callidiſſima deinde oratione apud illum commemoravit, quantùm adhuc poſſet Chriſtianis regnis incommodare: nimirum duabus tantùm triremibus, malè, ac tumultuariò ad bellum inſtructis, maris fortunam primò periclitatus, virtute ſua, ac ſucceſſu ipſo vires ſibi tantas pepererat, ut timeretur, & bellum diu atrociſſimum aleret, ſpoliis ſumptum abundè præbentibus: Neque enim Africæ ergaſtula, & carceres abductorum ex regno Neapolitano, ex Apulia univerſa, & ex Campania captivorum multitudinem capiebant: quibus in locis tantas ediderat ſtrages, ut nondum ſiccatis vulneribus, miſeri adhuc lacrymis ſuis manarent, & ſanguine. Addebat Siculas triremes putreſcere in portu, nec audere ſe mari credere, ne in ſuas incurrerent: ipſum etiam Andream Doria ab univerſis Europæ Principibus tantopere laudatum, & expetitum teſtari poſſe (ſi liceret ſalvo pudore) quoties ad declinandum Barba-roſſæ impetum remiges compuliſſet, ut duplicato impetu remis inſurgerent: poſſe ſe demum ipſis hoſtium ſuorum teſtimoniis commodè uti ad probandam militaris virtutis ſtrenuitatem, atque peritiam: Carolum nimirum Imperatorem, acceptis damnis irritatum, cùm ab uno Barba-roſſa lucem victoriarum ſuarum obſcurari intelligeret, impatientia magis, quàm rei militaris ſcientia ductum, univerſas Germaniæ, Italiæ, Hiſpaniæ, ac Belgii vires in unum collegiſſe ad ſe unum deſtruendum, præterea neminem: ob id præcipuam Imperii ſui partem ita temerè commiſiſſe caſui, ut poſſet æquè vincere, ac vinci: qui, ſi proſperæ, ut ſemper, fortunæ beneficio eſſet uſus, nihil ſanè fructûs,

præ-

præter famam victoriæ ab ea expeditione collegerat, Tuneto, quem uni eripuerat, alteri ex hoſtibus reſtituto: memorabat præterea Carolo non ita parvò ſtetiſſe victoriam, ut eam multo navium, militumque interfectorum pretio non emiſſet: ſumptibus certè in copioſiſſimo exercitu ſuſtentando recens factis, Hiſpaniæ theſauros exhauſtos: quapropter ad delendam funditùs rem Chriſtianam tam diuturnis bellis debilitatam, & inanis victoriæ ſpecie ſecuram, tempus veniſſe peropportunum: eſſe in freto Gaditano Septam urbem percelebrem, per quam olim Africani, tanquam per portam ingreſſi, armis victricibus gradum feciſſent ad Hiſpaniæ dominationem: Luſitanos eam urbem labentibus penè muris, & parum firmo tueri præſidio, magis ſolicitos, quomodò finitimos provocent, quàm qua ratione ab illorum impetu ſibi caveant, atque proſpiciant: eoſdem, rebus in Oriente proſperè geſtis, nimiùm elatos, domum ſuam negligere, fluviorum ritu, qui eò majores ſunt, quò longiùs à fonte decurrunt, unde naſcuntur: ſi animum potentiſſimus Imperator adjiceret ad eam Europæ partem florentiſſimam occupandam, famulam ſe illi operam polliceri ad Septam juſto triremium numero expugnandam, ut poſitæ ad extremum Occidentem nationes Turcico Imperio adjicerentur. In hunc modum Pyrata callidiſſimus diſſerebat eo conſilio, ut alienis viribus famam, & ditionem amiſſas reſtauraret. Et, quia in aula magnorum Principum, ea pronioribus auribus excipiuntur, quæ magna ſunt, ac ſpecioſa, quàm quæ re ipſa perduci ad exitum poſſint; virtute, ac militari ſcientia Barba-roſſam magnopere commendantibus, Solimanus æquè ſuperbus, ac bellicoſus aures cœpit non illibenter admovere ſuaſori fru-

ctuoſiſſimæ expeditionis, quæ ad pacem, ac proſperitatem Imperii ſui peropportuna videbatur. Barba-roſſam ſæpe ſæpius audivit hac ſuper re copiosè diſſerentem, pugnantemque acriter, propoſitum bellum longè conducibilius futurum, quàm difficile videretur. Solimani indignationem acriter inflammabant Maurorum in Africa degentium querelæ, negantium ſibi quietem conſtare poſſe, niſi firmata cum Luſitanis pace. Alii enim amiſſam libertatem, alii Prophetæ ſui injurias in Meſchitarnm everſione ſæpius repetitas deplorabant, quibus memoratis, Turcici Imperatoris incenſa per ſe ſtudia, ac magnitudinem ad ea damna reparanda pertrahebant, quorum alia ad Religionem, alia ad majeſtatem pertinerent. Quæ ſanè cauſæ, ut ambitionem obvelabant, ita juſtam illius belli declarabant ſuſceptionem.

Cæſar Luſitanum Regem de conſiliis Turcarum monet.

24 Carolus verò Imperator, vehementer ſollicitus, quorsùm ea reciderent, quæ Conſtantinopoli Barba-roſſa adminiſtrabat: gnarus eum truncum, cujus paulò antè ramos præciderat, non adeo exaruiſſe, ut ope alieni caloris non poſſet iterum peſtiferè germinare, eò laboravit induſtria ſuâ, ut reſciret, quid de Hiſpaniæ invaſione Solimanus conſtitueret, & licèt primo belli impetu Septa dumtaxat tentanda nunciabatur; tamen quia nunquam, ibi fermè, ubi incipit, violentus victoriæ torrens ſolet conſiſtere, nolens in ſua poſtmodùm regna totam belli molem diffundi, naves ſumma contentione inſtrui juſſit, militem conſcribi, præſidia in Herculei freti portubus duplicari, datiſque literis, Joannem Luſitaniæ Regem, cujus ſororem ſibi matrimonio junxerat, de re tota fecit certiorem, ut, conjunctis vexillis, ad repellendum hoſtem communem, præpararentur.

25 Ejuſmodi accepto nuncio, adjecit Luſitanus Rex illicò animum ad Septam novis munimentis firmandam: nimirum oppidum nulla alia munitione defendebatur, præter eam, quam rudis eorum temporum diſciplina commonſtrabat, &, quia bellum in Africa feliciter inferebamus, tamquam victores, captas urbes alieno tantum timore tutabamur. Septam ea tempeſtate adminiſtrabat Alphonſus de Noronha, cui Rex vallandæ, ac defendendæ urbis curam commiſit, copiis, cæmentis, ac militaribus architectis, prout res exigebat, ſubminiſtratis. Petebat interea Cæſar à Rege, properè claſſem educeret, ut ſuæ jungeretur, quæ Gadibus, Alvaro Baſano Præfecto, ſtabat in procinctu, ut hoſtem unà opperirentur in faucibus freti Gaditani, unde in ancipiti rerum eventu, tutiſsimum pateret portuum ſuorum perfugium, quo ſe reciperent. Re ad deliberandum propoſita, omnium ſuffragiis ſtatutum eſt, utramque claſſem conjungi oportere, ne tota belli mole premeremur. Cæſar auxilia petit contra Turcas.

26 Rex demum in eam cogitationem incumbens, ut idoneum ornatiſſimæ claſſi Præfectum quæreret, etſi complures occurrerent inter Luſitanos, tum militari ſcientia, tum periculis in dilatando foris imperio probatiſſimi; Joannis tamen de Caſtro nomen, ac famam latiùs præ cæteris, & glorioſiùs perſonare non ignorabat. Is verò more ſuo faciens, æquè ſibi magnificum duxit, ſi laborioſum erga Patriam obſequium, nec ambiret, nec recuſaret. Eum tametſi Joannes Rex, tanquam bellicoſum, & apprimè ſtrenuum diligeret; minùs tamen probaſſe accepimus, quòd pluſculum arrogantiæ tribueret: qua de cauſa, quantum illi benevolentiæ altera conciliabat, tantum altera detrahebat. Itaque nullo eum Joannes de Caſtro Luſitanæ claſſi præficitur contra Turcas.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſpecioſo munere in Aula cohoneſtatum, nec gratia apud Regem accepimus valuiſſe. Virum enim, qui omninò ſuæ ſpontis eſſet, facilè in clientem Reges admitterent, in domeſticum famulum nullo modo. Claſſe ad iter jam expedita, plerique nobilium Luſitanorum naves conſcenderant, ſuſpenſique longa expectatione claſſiarii opperiebantur, quem in difficili expeditione belli Præfectum ſequerentur. Ecce tibi, renunciatur claſſis Imperator Joannes de Caſtro, omnibus vehementer probantibus, atque adeo iis ipſis, qui eam ſibi provinciam depoſcebant.

27 Joanni properè accerſito explicavit Rex Turcarum conſilia, de quibus ab Auſtriaco Imperatore cognoverat, ſignificans ſe illi non mediocriter invidere munus tam glorioſæ expeditionis: verùm, quando Reges miſera quadam conditione captivi quodammodò tenerentur, quin poſſent eos ſibi honores mereri, quos alteri traderent, Regiam ſe illi claſſem commendare ea ſpe, ut gentilitio Caſtriæ familiæ ſtemmati adderet erepta Turcis vexilla, unde illuſtriorem poſteris teſſeram traderet, quàm à majoribus accepiſſet. Beneficio gratus Joannes, Regias manus exoſculatus, intellexit demum commoda longè majora à Principum æſtimatione, quàm à gratia proficiſci.

Cum Cæſareæ Claſſis Præfecto de Turcica expeditione colloquitur.

28 Claſſis pridie Idus Auguſti anni M.D.XLIII. vela fecit, diebusque non ita multis poſt, commodis ſanè ventis uſa, ad Calpen conſtitit, ubi à Cæſarea claſſe, quæ ſtabat in anchoris, perurbaniter excepta eſt, ut in mari aſſolet, repetita tormentorum exploſione, omnem latè locum implentium ſtrepitu, ac ſplendidiſſimo fumo. Alvarus Baſanus cum præcipuis Auſtriacæ claſſis Præfectis Joannem de Caſtro convenit illico, receptuſque in Luſitanam Prætoriam,

riam, poſt mutua gratulationis officia, palam edocuit, quæ de hoſte communi fama nunciabat: Septam nimirum primo belli impetu invadendam. Ad hæc deliberatum eſt, junctis utriuſqne claſſis navigiis cum hoſte fortiter congrediendum, ad ſuſtentandam ſuorum Principum famam, jam dudum armis illuſtrem: tametſi copiis validioribus hoſtes occurrerent; cùm in noſtro mari, & in conſpectu portuum noſtrorum dimicaremus, poteramus facilè in ipſo conflictu recenti militia refici, naveſque in tutum recipere, ſi quid incommodi paterentur: demum, etſi minùs proſpero pugnæ ſucceſſu uteremur, inclinante ad Turcarum partes victoria; fractis certè non mediocriter viribus, hoſtes debilitati, minore impetu, ac difficiliùs aggredi poſſent arces Gaditano freto finitimas, quæ in quocumque rerum eventu redimi facilè poterant, ſi fortiter dimicarent: præcipuè verò, quia regia mandata, quibus jubebantur inimicam claſſem conquirere pertinaciter, aliam omnino interpretationem non admittebant, ſi famam, & obedientiam intactas vellent. Ejuſmodi deliberatione ſuſcepta, forti illa quidem, etſi neceſſaria, militibus belli expectatione commotis, Præfectiſque in ancipitis pugnæ diſpoſitione ſolicitis, repente nunciatum eſt feſtinis maximè nunciis, Barba-roſſam cum omnibus copiis ad Gaditanum fretum contendere. Joannes è veſtigio, claſſiariis nonnullis, qui in terram deſcenderant, naves repetere juſſis, mandata Præfectis opportuna diſtribuit, navigia ad pugnam quàm celeriter inſtrui curavit, Alvaroque nunciari, ſe jam jam, ſublatis anchoris, ſolvere. Alvarus verò imaginario hoſtium conſpectu primam pugnandi alacritatem reſtinguens, datis ad Joannem literis, reſcripſit: res de novo incidentes

Præliandum cum Turcis decernunt.

Præfectus Cæſareus cōſilium mutat.

novis

novis indigere conſiliis: ſcire ſe per exploratores, Pyratam duplo majore navium numero, quàm utrique haberent, inſtructum adventare: non eſſe è re ſuorum Principum, neque illos ita præcepiſſe, ut certiſſimo periculo vires ſuas objicerent: incolumi utraque claſſe, nihil ſanè magnum aggredi hoſtes poſſe: ſi forte maritimo prælio attererentur, arces ad Gaditanum fretum ſitas, victoriæ præmium hoſti futuras: multam ſibi quidem vim inferre, ut pugnam omitteret: Cæſaris tamen utilitatem, privatæ exiſtimationis ſtudio potiorem: rogare ſe etiam, atque etiam, ut claſſem in eum portum maturè reciperet, unde tutiſſimum in agendo conſilium ex hoſtium deliberatione deinceps caperent. Miſſo ad Hiſpanum Præfectum reſponſo, negavit Joannes in aliam à ſuſcepta ſententiam ſe abiturum, hoſte propemodùm inſpectante: ad animos Turcis addendos ſatis eſſe, ſi timendi nobis viderentur: hi verò quando ad occupandam Hiſpaniam properarent, utramque claſſem cuicumque periculo objiciendam, non modò ad tuendum Hiſpanum nomen, ſed etiam ad illatam injuriam ſarciendam: nationes ſanè cæteras de viribus Principum potentiſſimorum iniquiùs judicaturas, ſi audirent, poſt initum fœdus ad repellendam Barba-roſſæ vim, Turcica vexilla, arrogato ſibi maris dominio, impunè volitare, Cæſareis, ac Luſitanis inſignibus non modò inſpectantibus, ſed permittentibus: certum ſibi eſſe, ac deliberatum, hoſtem expectare: Culpæ nimirum æquè ſecurus ſibi videbatur, ſive res feliciter, ſive improſperè cederet: exitûs enim infortunati rationem nullam reddere poſſunt, qui victi ſunt penitus, & attriti: à victoribus verò nulla omnino ratio poſt victoriam exigi ſolet.

Joannes de Caſtro perſtat in ſententia.

29 Hæc

29 Hæc tamen Joannis conſtantia Hiſpanum de ſuſcepto conſilio non dimovit, ſive id utilius duxerit, ſive tutius, incertum eſt. Joannes de Caſtro, freti Gaditani faucibus occupatis, tres ipſos dies ſtetit in anchoris, ubi nunciatum eſt, hoſtilem claſſem alio divertiſſe, ſive orta inter præcipuos Præfectos diſſenſione, ſive quòd, ut alii memoriæ prodiderunt, nova ad Barba-roſſam à Solimauo mandata venerant, quibus claſſem recipere jubebatur. Ea tamen animi firmitas, & elegans fortitudo, qua Joannes hoſtem in Gaditano freto expectavit, digna ſanè fuit, cui præſentes inviderent, & quam deinceps poſteri per conſequentes ætates celebrarent. Siquidem ad illuſtrem victoriam obtinendam congreſſio, non virtus defuit. De hac verò tam præclara conſtantis animi deliberatione tametſi apud Hiſpanos alii alia judicarent: illis præcipuè rem notantibus, qui illuſtriora, & minimè vulgaria facinora temeritatem appellant; arbitror tamen, eos ipſos, qui nimiam in hac parte Joannis conſtantiam coarguerunt, ſi tam præclari vitii authores appellarentur, ſibi maximè placituros.

Triduo Turcas expectat in freto Gaditano.

30 Intelligens verò Joannes inimicorum receſſu finitimas Urbes periculi metu ſolutas, Septam contendit, ut ex iis, quæ à Rege habuerat in mandatis, nonnulla communicaret cum Alphonſo de Noronha, à quo tam repetito bombardarum ſtrepitu ſalutatus eſt, ut Hiſpanis, qui ad Calpen ſtabant in anchoris, non ambigua pugnæ ſuſpicio oriretur. Non ideo tamen ſtationem ſuam deſeruere, ad mutandum conſilium primò ſuſceptum faciles, ſecundi tenaciſſimi. Septæ nunciatum eſt Joanni de Caſtro, * Valonem Gaditano freto conterminam arctiſſima obſidione à Mauris premi, quam

Alvarum filium ad liberandam Valonem mittit.

* Alcacere Ceguer in Africa.

quam arcem ſuſtentabant in Africa Luſitani, periculo prorſus infructuoſo, ac ſumptu non mediocri. Præfectus arcis, quidam nobilis ex familia Freitas. Illico Alvarum filium Præfectus dimiſit cum exigua parte navalis exercitûs, mandans, in Urbem ſubſidium intromitteret, & in portu tandiu eſſet, dum hoſtis diſcederet. Is verò, perfectis proſperè Patris mandatis, arcem largo commeatu, & opportuno præſidio munivit. Mauricus verò exercitus, quia tumultuario milite conſtabat, ardore primi impetûs frigeſcente, obſidione arcis abſtinuit. Poſt hæc Alvarus iterum ſe cum ſuis Luſitanæ claſſi conjunxit. Hæc verò, Septâ contra Turcarum impetum egregiè munitâ, in portum Olyſipponenſem ſe recepit, ubi jam utrumque eventum fama vulgaverat: quæ, quia de homine omnium ſuffragiis ſtrenuiſſimo dicebantur, majora vero apparuerunt. Joannes tamen, apud quem nihil magnum, & amplum habebatur, vel ipſam ſuorum facinorum magnitudinem parvipendens, aura populari contempta, in ruſticanum Siutræ ſeceſſum ſe abdidit: nimis ille quidem, aut modeſtè, aut ſuperbè, quippe qui actiones ſuas, etſi præclaras, nunquam ſe ipſo dignas exiſtimabat.

Olyſſipponem reverſus Sintræ ruſticatur.

31 Quærebat interea Joannes Rex, quem Indiæ præficeret, Martino Alphonſo de Souza ſucceſſorem ſibi repetitis literis vehementiſſimè poſtulante. Abſolverat enim Præfecturæ tempus, & jam tum Orientis res, varias ob cauſas inclinatæ aliquantulùm videbantur: quapropter nolebat partam ſibi gloriam ſiniſtro aliquo eventu deteri, & obſcurari, ut qui præclarè noſſet, ignorantia vulgi fieri poſſe, ut unico belli infortunio, ſi quod accideret, multarum victoriarum fama corrumperetur. Ad tanti muneris adminiſtrationem complures Regi offerebantur: alii

San-

ſanguinis antiquitate ſpectabiles, qui, ſi minus eum locum illuſtribus factis eſſent promeriti, præcipuas tamen dignitates ſolent, quaſi perpetui hæredes, adire (quod alterum tyirannidis genus, ad regnum arbitratu ſuo adminiſtrandum, nobiles invenere) alii obſcuro quidem loco nati, ſed virtute ſua perilluſtres, qui locum ſuis promeritis debitum non occupabant, humilitate majorum. Itaque ad tanti muneris authoritatem pro dignitate ſuſtinendam, nec plebeja virtus, nec ignava nobilitas ſufficiebat.

A Principe Luſitaniæ proponitur Regi ad Indiam adminiſtrandam.

32 Rex itaque ejuſmodi cogitationibus dubius, quem virum legeret, cui tanti imperii pondus credi tutò poſſet, Aloyſium Principem ſciſcitatus eſt: ecquis ſibi eo tempore idoneus ad ejuſmodi munus præcipuè videretur? Is Regi ſignificavit, quàm præclaram de Joannis virtute opinionem imbibiſſet, qui, tametſi multis in expeditione ad Gaditanum fretum ſuſcepta, plùs æquo viſus fuerit virtuti ſuæ tribuiſſe; nullus certè militum glorioſum ſibi non duceret, ſi tam honeſti criminis reus haberetnr: Eum tametſi æmuli, tamquam ſubarrogantem arguerent, & nimiùm ſeceſsus ſtudioſum, quia nihil peteret, nec aulicos affectaretur; erant ejuſmodi culpæ non modò leves, ſed propemodum decoræ: uno verbo Joannis vitia aliorum virtutibus videri præſtabiliora: præter eum, ad conſervandam priſtinam in India diſciplinam, aptiorem eſſe neminem: unus enim omnium Regi, ac Patriæ ſerviens, erat ab omni lucri ſpecie quàm remotiſſimus: videbatur quippe terrena præmia contemnere, perinde quaſi Luſitanum Regem ejus loco haberet, non qui hominibus imperaret, ſed numinis cujuſpiam, a quo homines divinitùs regerentur: ſe quidem Joanni de Caſtro ob illius virtutes non mediocriter benevolum, nulla ta-

D men

men ſpecie ſervitutis : eadem ſe merita ab eo ſeparata, & in alio poſita æqua benevolentia proſequuturum.

Renuntiatur à Rege Indiæ Prætor.

33 Joannes Rex his auditis, quia de Principe præclariſſime ſentiebat, cum videret Joannis de Caſtro virtutes ab Aloyſio fratre, tum judicio Principis, tum amici benevolentia æſtimatas, illius commendationem ratam voluit, cujus authoritas communi opinioni pondus adderet non mediocre. Joannem itaque Eboram, ubi tunc morabatur, accerſitum, in publico nobilium conventu allocutus eſt in hæc verba: *Solicitus per hos dies, quem Indiæ præficerem, non dubitavi, quin hominem idoneum, ac tanto muneri parem in Caſtriorum familia reperirem, de qua glorioſæ memoriæ Reges, qui me præceſſere, Duces ad exercitus ducendos, ad regendos populos eligere Gubernatores conſuevere. Quapropter in ſpem venio de tam forti radice fructum non degenerem te futurum: præcipuè, ſi de præteritis futura metiri liceat, ex quibus, civium tuorum opinione, juſti nomen, judicio meo, non vulgarem exiſtimationem meruiſti. His de cauſis virtuti tuæ admodùm fidens, difficilem æquè, ac glorioſam Indiæ provinciam tibi committo, quam ſpero, ea te morum integritate adminiſtraturum, ut virtutum tuarum exemplar ſucceſſoribus tuis, tanquam rectam gubernandi normam, deinceps poſſim proponere.*

Regis ad Joannem Oratio.

Ad hæc Regiam manum Joannes, beneficii memor, exoſculatus, tradita ſibi dignitate tradentis benevolentiam habuit chariorem, commiſſamque ſibi provinciam hac una de cauſa magni fecit, quòd eam minimè quæſiviſſet. Inter aulicos de hac electione alii alia: aliqui, ex invidia, nota dignam exiſtimarunt, alii ingenito ſibi more: ita, ut qui nullum in ejus virtutibus defectum inveniebant, exceſſum ſaltem re-

pre-

prehenderent. A pleriſque tamen melioribus ea optio ita probata eſt, ut Rex magnoperè ſibi placeret, quòd eum elegiſſet, qui omnium penè judicio probaretur.

34 Ad hæc, Regio diplomate data eſt Joanni facultas inſtruendæ pro arbitratu ſuo Indicæ claſſis, quin alius quiſquam in ea ſe procuratione immiſceret: contrà, quàm per errorem ſcriptum invenimus a quodam authore, qui affirmavit Joannem in Indiam ſolviſſe ſubtriſtem, quòd in iis, quæ ad iter ſuum pertinebant, votis ſuis Regis adminiſtri non reſpondiſſent: quod ſanè valde eſt alienum ab eo, quod memoriæ illorum temporum proditum legimus, & ab hominis ingenio, ab omni ambitionis ſpecie quàm remotiſſimo; quippe qui diligentius perpendebat, quæ ſibi recuſanda, quàm, quæ petenda arbitraretur, perinde quaſi Regem non haberet a quo peteret, ſed cui dumtaxat obſequeretur.

Indicam claſſem adornat.

35 His ita conſtitutis, decrevit ſecum in Indiam ducere filios ſuos Ferdinandum, & Alvarum natu majorem, qui lautas ſibi veſtes apparari juſſit, prout ætas, & equeſtris dignitas poſtulabant. Prætervectus verò Joannes locum, ubi ejuſmodi lautiorum veſtitus parari ſolent, cum quædam tibialia ſolito ornatiora de artificis officina pendere conſpexiſſet, ſciſcitatus eſt, cujus eſſent? Ea, cùm ad Indici Prætoris filium pertinere intelligeret, equo paulisper juſſo ſubſiſtere, accepta forfice, minutatim concidit, monito artifice, ut verbis ſuis filio nunciaret: iſtis omiſſis, in arma ſibi comparanda ſumptus faceret. Veterum ſanè Romanorum diſciplinam, nec iſta ſeveriorem, nec melioris exempli fuiſſe legimus.

Lautiores filii veſtes reprehendit.

36 Claſſem brevi apparavit, nulla vi, nulla tenuiorum querela, quia tunc temporis rapinæ, qui-

Indicæ claſſis Præfecti.

bus Principum gratiam captare ſolent majoris ordinis adminiſtri, vel nondum erant uſu receptæ, vel omnino ignorabantur. Sex omnino grandioribus navigiis conſtabat claſſis, in quibus duo milia ſtipendiarii militis vehebantur: Prætoriæ, in qua erat navigaturus, S. Thomæ nomen impoſitum Joannes voluit, quod in præliis appellare ſolitus, Indiarum Apoſtolum primus omnium, jure, ac merito, tanquam utriuſque Luſitanæ coloniæ patronum invocavit. Ad regendas certas naves Pæfecti renunciati ſunt Hieronymus de Meneſes, filius, & hæres Henrici, qui fratrem habuit Marchionem Villæ Regalis, Georgius Cabral, Emanuel de Sylveira, Simon de Andrade, & Didacus Rebellius.

Solvit in Indiam.

37 Poſtridie Idus Martias claſſis, ſolutis anchoris, vela fecit. Prætori paucis diebus poſt nunciatum eſt, in navi, qua ipſe veheretur, eſſe ferme ad ducentos, qui victùs rationem quotidie acciperent, quin tamen dediſſent Regiæ militiæ nomen, quorum alii, tanquam minus utiles, & ad bellum idonei, rejecti merito fuerant, alii capitalium criminum rei clanculum in navem irrepſerant. Inſtabant apud Joannem navis curatores, ut iis in ſubſidiariam celocem impoſitis, navem levaret damnoſo onere, & commeatus ad tam diuturnam, fortuitamque navigationem neceſſarios, diligentius reſervaret. Prætor verò majore ſanè miſeratione, quàm providentia, ſuas, ac miſerorum rationes pares faciens, Inceptum curſum proſecutus eſt. Diebus tamen non ita multis interjectis, commeatu non mediocriter imminuto, nautæ, ac milites querelas ſuas majore vi ad Joannem detulere, inſtantes acriter, ne tanto periculo pius, omnium ſalutem certo diſcrimini objectam vellet paucorum charitate. Plerique ita ſen-

Joannis cõmiſeratio.

ſentiebant, ut ejuſmodi homines in Inſulas * ad Arſinarium Promontorium poſitas projicerentur, ubi pauperes æquè, & criminoſi in tuto eſſe commodè poterant, hi a criminum quæſitoribus, illi a fame. Reputans tamen apud ſe Prætor, cœlum, ac ſolum earum Inſularum damnoſa procul dubio futura, ſi tempore non ſuo adirentur, ſtatuit in ſuo ipſe navigio qualecumque miſeris præbere perfugium: putans ſe unà cum illis, & propter illos, incolumem navigaturum: inhumanum dictitans, eos, qui terram tantopere fugerent, etiam de mari depellere. Itaque, ventis mediocriter adſpirantibus, vela faciebant, donec generalibus, ut vocant, ac perpetuis uſi ſunt è regione Guineæ. Hic Prætoria in arenas impacta, penè obruta eſt; tametſi ea maria nautarum opinione omnis prorſus periculi immunia credebantur eo in loco, ubi nihil omnino cavendum maritimæ tabulæ præſignabant. Tumultuari omnes, ut qui mortem inopinatò bibere cogebantur: periculum nocturnæ tenebræ, & communis timor amplificabant, donec navis in tranſverſum poſita, & gubernaculo non obediens, creſcentibus ex improviſo aquis, cœpit procedere: quod, etſi caſui, miraculo verius videtur tribuendum. Hic verò Prætor, terna bellici tormenti exploſione, navibus ſua retrò veſtigia prementibus ſignum dedit, ut ab iis Syrtibus poſſent opportunè cavere: hæ tamen, ſigno non intellecto, ad eundem locum venere, meliore ſanè fortuna, quàm conſilio. Quippe cum eſſent æqualis omnino cum Prætoria magnitudinis, in arenas non impegerunt: diſparem in eodem loco ſortitæ ſucceſſum, de quo nauticæ periti judicium ferre ignoravere.

* Ilhas de Cabo Verde.

Prætoria navis periclitatur.

38 Poſt hæc Prætor, claſſe agminatim procedente,

Moſambiquium appellit.

Arcem in commodiore loco ædificat.

dente, Moſambiquium appulit, ubi primas, ac præcipuas curas poſuit in ægrorum exſcenſione, ac commodis procurandis: hujus curæ filios ſuos Alvarum, ac Ferdinandum ſocios habuit, paternæ tunc pietatis, deinde etiam virtutis præclaros hæredes. Dum in Moſambiquio ſubſiſteret, advertit, arcem, quam ibi Luſitani obtinebant, ad regulas artis non ritè exactam: tum quia a litore plus æquo diſtans difficili negotio juvari poterat commeatu, ac milite a noſtris claſſibus importato: tum quia in imo ſita, ab eminentibus hinc inde locis peti poterat, quibus præterea, magno ſalutis incommodo, ſalubritas impediebatur. Re cum peritis communicata, qui, vel uſu, vel diſciplina militaris architectonicæ rudes non eſſent; viſum eſt ad unum omnibus ejus munitionis enormitatem prudenter notatam. Conſilium ſine mora executioni mandatum: idoneus ad novam arcem ſitus electus: cæmenta, & artifices dati, &, quia in oculis Prætoris res urgebatur, nobiles unà cum plebejis lapides ſubvectabant, quorum alii adulationi, alii ædificio uſui erant.

Goam navigat.

39 Arcis munitione ita perfecta, ut defendi jam poſſet, ægriſque ſalubriore cœlo, ac commodiore cibo recreatis, Joannes in Indiam ſolvit, ventiſque opportunis continentur uſus, 4.° Idus Septembris Goam tenuit, ubi ex navi, quæ reliquas præceſſerat, intellexit Martinus Alphonſus de Souſa datum ſibi a Rege ſucceſſorem non longè abeſſe. Ad eum excipiendum ea ſe pompæ majeſtate præparavit, quæ ſuam in hoſpite ornando, imperioque deponendo lætitiam ſignificaret. Impoſitus ergo myoparoni elegantiſſimè ornato, ad Prætoriam properavit, unde hoſpitem benevolè ſalutatum ad ruſticanum Antonii Correa prædium deduxit, dum ad ejus in urbem ingreſ-

greſſum lautiſſima magnificentia celebrandum, neceſſaria pararentur. In eo prædio novum Prætorem cum Præfectis, ac Proceribus Luſitanis, qui in ea claſſe Goam veniebant, ad convivium adhibuit, tanta obſequii ſignificatione, tanta epularum varietate, ut ſupremos honores dignitati ſuæ jam moritur æ celebrare videretur. Choreæ ea nocte, ac ludicra celebrata: quos noctis conventus ad relaxandum honeſtè animum inſtitutos, veterum Luſitanorum ſinceritas in Orientem invexit. Subſtitit hic novus Prætor ad duos dies, lectiſſima procerum corona ſtipatus, omnibus Martinum Alphonſum deſerentibus, ne iis quidem exceptis, quos ex humili in altum evexerat: ejuſmodi quippe homines, tametſi Luſitani, ingrati animi vitium ab Orientalibus Indis didicerant, qui, ut naſcentem Solem adorant, ita occidentem lapidibus ſolent appetere.

40 Ubi verò præfinita ingreſſui dies illuxit, phaſelo ſericis periſtromatis affabrè veſtito, quique inauratis remis impellebatur, uterque Prætor eſt impoſitus. Euntes horrida undique tormentorum diſploſione arces, naveſque ſalutarunt: novo tamen Prætori acclamantis populi expectatio ſine ullo artificio blandiebatur. Itaque, deſcenſione facta, in locum devenere prægrandis theatri in ſpeciem adornatum, ubi venientes Goana civitas per ſuos ordines, ac dignitates diſtributa, opperiebatur. Hic eo ritu ſedentes, quem humana vanitas in ejuſmodi conſeſſu, ad conciliandam majeſtatem inſtituit, unus ex Decurionibus orationem habuit benè meditatam, & comptam, in qua ex adventu novi Prætoris futuram Indicæ rei felicitatem, eamque non mediocrem augurabatur. Joannes poſtquam publicis adulationibus aures adhibuit, ſecretas quoque mul-

Goam appellens lautè excipitur.

torum

torum admiſit, qui per eas opportunos captabant aditus ad ſua commoda procuranda.

Quem rerum ſtatum invenerit in Indis.

41 Abſolutâ publicæ gratulationis pompâ, poſt traditam Joanni de Caſtro Indicarum rerum procurationem, Martinus Alphonſus Cocinum profectus eſt, ad Luſitanam profectionem neceſſaria præparaturus. Novus verò Prætor moleſtiſſima cura premebatur, in id vehementer intentus, ut plebem pecuniæ mutatione tumultuantem ſedaret. Siquidem Regii adminiſtri, magno civium incommodo, finitimi Ethnici indignatione, nummorum præter morem auxerant pretium. Ab ovo, ut ajunt, rem totam repetam.

Ex pecuniæ mutatione tumultus in India.

42 Infimæ notæ nummus eſt in India (Bazarucum incolæ vocant) qui apud Chriſtianos, Mauros, & Ethnicos idem ſemper vulgare pretium retinuit. Huic, quia ex cupro cudi ſolet (quod metalli genus ea tempeſtate mercaturæ cauſa ex Luſitania in Indiam importabatur) viſum eſt Regiis miniſtris addendum pretium, ad Regium fiſcum locupletandum. Edita in vulgus, voce præconis, pecuniæ mutatio: paſſim juxta ſtatutum nuper pretium nummi permutabantur. Sed, quia legalis ille valor erat dumtaxat extrinſecus, & ſupra pondus; quippe qui nihil præterea haberet, quàm, quod a lege jubebatur, Ethnicus in vicinia, qui noſtris legibus non tenebatur, neceſſarios, ut antea, commeatus ad nos tranſvehi non ſinebat. Qua de cauſa populus inopia preſſus ex ipſo ſuorum magiſtratuum decreto non mediocriter laborabat. Præcipui Regii miniſtri plebis incommodum fiſci utilitati poſthabentes Regiam cauſam acriter tuebantur. Clamabant tamen reliqui ordines civitatis, Luſitanos Reges nunquam miſerorum ærumnis ditari ſolitos, neque eos eſſe, qui gentium ſibi ſubdi-

ſubditarum lacrymas in aureis poculis exſorbeant: Ethnicos jam, Mauroſque palam gloriari, Luſitanis, quos ferro perdere poſſe deſperaſſent, cladem a ſuiſmet legibus importari, armata in ſuos Prætorum ambitione. Creſcebat interea cum fame querelarum libertas, quæ populi cauſam æquiorem, ac vendibiliorem ex communi injuria faciebat. His querelis permoti Decuriones civitatis, pauperibus, fœminis, pueriſque permixti: alii rationibus: alii ſquallore, ac lacrymis ad commiſerationem compoſiti, Prætorem adiere. Hic vero, ſedata per nutus plebe, ſeveras aliis, tanquam judex, aliis benignas, tanquam pater, aures præbuit. Verum, quia famis morbus lentis remediis non ſanatur, ultima negotii deciſio in alteram diem rejecta eſt: omnes in hunc modum fiducia plenos dimiſit, nonnullis jam tum opinantibus, eam legem injuſtam Prætori viſam, Indico more, quia latam ab anteceſſore. Pomeridianis horis ejuſdem diei, accerſitis Regii fiſci curatoribus, auditiſque rationibus, quibus ad retinendam legem movebantur, retulit de re tota ad Juriſperitos, & politicæ rei in India ſcientiſſimos, qui, nemine diſcrepante, eam legem crudelem, ac pietati noſtrorum Regum penitus repugnantem pronunciarunt. Hæc porro ſententia corroborata eſt, tum ipſo jure naturæ, tum popularibus privilegiis, aliiſque legum ſanctionibus, quæ conſulto omittimus, ne plus æquo creſcat hiſtoria. Lege itaque per Prætorem abrogata, cœpere iterum commeatus ex meditullio Goam, ut antea, pervehi, populique vitam ſuam ab iniquo tributo Joannis indulgentia ſervatam, eidem ſponte offerre non dubitarunt.

Joannes Magiſtratum, & Populū Goanum audit.

Quid deliberat?

43 Poſt rem egregiè perfectam non mediocri Regiæ clementiæ fama, venerunt ab Hidalcane Legati,

Prima ab Hidalcane ad Joannem legatio.

gati, qui, impertitis de more ſalutationibus, novam Prætori dignitatem gratulati, tradi ſibi quendam captivum poſtulaverunt, his, quas tulerat conditionibus Prætor, qui abierat magiſtratu. Hujuſce rei primam originem ſilentio prætereundam non arbitror: inde enim factum eſt, ut aperto bello in India Luſitani involverentur.

Mealis notitia, & cauſa.

44 Bazarbo Balagatæ Principi e vivis erepto, cum Nonius a Cunha rem Indicam adminiſtraret, Meales admodum puer ſuperfuit, qui omnium calculo hæres Regni legitimus habebatur. Erat Hidalcanes per id tempus in eo Regno authoritate ſecundus a Rege, primus bellica virtute, cujus egregia præbuerat documenta bellis adversùs finitimos Principes ſtrenuè adminiſtratis. Quia vero barbari in iis terris magis oblata occaſione, quam ſuo jure regnare ſolent, Hidalcanes vires ſuas reputans, & Regii hæredis imbecillitatem, nobilium animos cœpit pertentare, miro apud illos artificio Regni calamitatem deplorans, quòd a puero regi deberent, cum quo tot erant futuri Reges, quibus ſervirent, quot apud eum deinceps gratia valerent. Addebat, Principes, quibuscum tunc temporis bellum erat, non paſſuros elabi ſibi de manibus opportunam deſtruendi Regni occaſionem, cum puerilibus faſciis adhuc involutum viderent, quem ſtricto ferro gentis ſuæ defenſorem eſſe oporteret: virum proinde ex iis quærerent, quorum copia ſuppetebat, ad ſe, ad patriam defendendam: ſe primum omnium illi obtemperaturum, cui Regni habenas tradidiſſent: Regni adminiſtrationem eas moras minimè pati, quibus erat neceſſariò expectandum, dum Regius puer vires a natura ac maturitatem indueret: Mealem verò nutricum uberibus inhærentem, ſi pergerent inutili

Hidalcanis artes ad regnum occupandum.

obe-

obedientia Regem velle, non dubitare ſe, quin Regis ſervandi ſtudio Regnum tandem eſſent amiſſuri. Ad hæc facilem plebi ſe præbuit, militibus liberalem, perinde quaſi non ſuo, ſed illornm commodo eſſet imperaturus: virtutum omnium ambitioſo utens apparatu, quas non ad vitam, ſed ad dominatum noverat neceſſarias. His artibus eo devenit, ut, conciliatis ſibi nobilium animis, oblatum ultro Regnum occuparet. Putabant enim primores ejus gentis, accepti beneficii nunquam ab eo obliterandam memoriam, qui populi voluntate Regnum accepiſſet, & ob id non ingratum futurum.

45 Erat Hidalcanes liberalis, & bellicoſus, & optimus procul dubio Princeps futurus, ſi Regnum ſervare iis virtutibus voluiſſet, quibus paraverat. Verùm, ſimul ac omnia ſuo nutu ferri, ac temperari intellexit, poſitâ perſonâ, artes, quas ſimulaverat, exuit, quarum loco ambitio, ac ſuperbia, inſita radicitus animo vitia, pullularunt. Ad Mealem tamen interficiendum non adjecit animum, lenis in puerum, ſeu ſimulatâ clementiâ, ſeu nova crudelitate, eo fortaſſe ſpectans, ut miſerrimus Princeps ſervili obedientia authoritatem tyrannidi conciliaret. Satrapæ verò Regni, quos ſera jam, & inopportuna ſubierat pœnitentia, ex æquo periculum ſubituri, ſeu datam ſervarent fidem, ſive frangerent, inito conſilio, modum, & opportunitatem quærebant pueri ab Hidalcanis tyrannide liberandi: perinde quaſi Principi infortunato plus juris eſſet ad vitam, quàm ad Regnum. In his agitandis anni complures inſumpti, quibus Meales, factus jam ætate maturior poterat ipſe per ſe periculum ſuum planè intellligere, quapropter non ignarus præſentia ſua Tyranni conſcientiam culpæ argui, quippe *Hidalcanis ambitio, & ſuperbia.*

qui ſuo ſanguine uſurpati Regni memoriam delere meditaretur, eorum ope, & conſilio, qui ſibi Regnum ademerant, Cambajam petiit, ubi benevolè exceptus eſt, Rege, ac populo Regias ærumnas commiſerantibus. Verùm, quia illa honoris ſignificatio magis ex ambitione, quàm pietatē proficiſcebatur, brevi elanguit: videlicet, tametſi primò magnificè tanquam Rex habitus, lautiſſimo cultu tractaretur, paulò poſt tanquam exul, ac veluti fugitivus contemptus eſt. Subſtitit tamen Meales in Cambaja, tolerabiliùs hoſpitis inurbanitatem, quàm Tyranni ferens injurias.

Meales in Cambajam fugit.

46 Interea Hidalcanes in id præcipuè incumbebat, ut, a quibus Regnum acceperat, eos vita ſpoliaret, quos tametſi amare facilè poſſet, ut ſuæ ſocios proditionis, abhorrebat tamen ab iis vehementiſſimè, a quibus refricari ſibi moleſtam, vel criminis, vel officii memoriam ſentiebat. Quia verò, ut cætera, ita etiam ſua ipſe opera pertimeſcebat, crudelitate faciliùs, quàm clementia tueri ſe poſſe credidit: ea ipſa de cauſa bis crudelis, vitio nimirum, & neceſſitate. Ditiores, ut cum plebe æquaret, prædiis ſpoliavit, plectendorum criminum ſpecie, quæ vel deferebantur, vel jam diu longa oblivione obſoleverant, tyrannidem juſtitiæ nomine cohoneſtans. Putabat enim potentiorum depreſſione facilè ſe tenuiorum gratiam aucupaturum: tenuiores quippe inſito ſibi a natura humilis fortunæ odio, ruina principum non mediocriter lætari ſolent. Ex primoribus verò, alii vindictæ, alii remedii cupidi (quando patientia nil proficiebant) de reſtituendo Meale ſeriò cugitarunt. Inito inter ſe clanculum conſilio, in multas, variaſque ſententias abiere, quas in dies ſingulos mutare ſuadebat timor, & rei diffi-

Hidalcanis in ſuos crudelitas.

In Hidalcanem conjuratio.

difficultas, cujus exitus erat ipſa deliberatione difficilior. Patientia demum novis injuriis exaſperata, graviſſimum de ſe jugum excutere decreverunt: itaque conati ſunt Hidalcanis morte præteritæ proditionis culpam ſarcire, & partam ſibi inde infamiæ notam eluere. Hanc porro ſententiam, non qui audaces erant, ſed qui planè de rebus ſuis deſperaverant, ſuadebant. Hidalcanes enim ea tempeſtate valido ſe præſidio muniebat, tanquam Rex, cavebatque ſibi quàm maximè, tanquam tyrannus. Stabat a Rege populus, qui, eum tametſi oderat, crudelitatem tamen amabat, quam in nobiles exercuerat, utriuſque fortunæ inæqualitate ſemper infeſtos. Itaque conjurati, ſibi ipſis timentes, ne dilatione odia delinirentur, & ne paulatim ſervili patientiæ aſſueſcerent, cum intelligerent ad cogitatum facinus non ſatis ſibi virium ſuppetere, noſtras implorarunt. Quapropter in eam tandem deliberationem venerunt, ut, edocto de re tota Martino Alphonſo de Souſa, qui per id tempus Indicam rem temperabat, infimis ab eo precibus peterent, ut accerſitum ex Cambaja Mealem Goæ detineret. Cujus reſtituendi gloriam ſi recuſaſſet, perpetuum Hidalcani timorem incuteret, eumdemque Luſitanis rebus, ubicumque occaſio ſe offerret, paratum haberet, atque propitium.

47 Intelligens verò Martinus Alphonſus, eam diſcordiæ flammam, quæ primò ardere incipiebat inter Hidalcanem, ſuoſque, non modò non extinguendam, ſed alendam eſſe diligentiſſimè: Indicæ nimirum rei perutile & opportunum arbitrabatur, ſi finitimus Princeps æquè potens, ac bellicoſus debilitaretur, etſi ejuſmodi commoda cauſis obtegeret honeſtioribus, vexati nimirum Principis, ac Regno ſpoliati protegendi, quod exteris glorioſum, nobis

Meales Goam accerſitur a Prætore Martino Alphonſo de Souſa.

utile

utile videbatur; Mealem ex Cambaja decrevit accerſere, cui ſignificavit optimam ſuorum voluntatem de patrio ſibi Regno reſtituendo, quibus ſi obſequeretur, calcar currentibus adderet, oſtendens, ſe non tam Ditionem, quàm communem omnium cauſam, atque adeo vitam tueri. Hoc nuncio Meales præter opinionem accepto, miratus inſolitam hominum pietatem, qui a ſe Religionis cauſa non modò diſcreparent, verùm etiam eſſent prorſus alieni, Indici Prætoris fidei, ac clementiæ ſe credidit, navique impoſitus unà cum exigua familia Goam appulit, ubi exceptus eſt a Prætore magna honoris ſignificatione, quàm venientis nobilitas magis, quàm fortuna merebatur. Hæc vero officii magnificentia, ut nonnulli ſunt interpretati, potius in Hidalcanis injuriam, quàm in hoſpitis gratiam fieri credebatur. Et jam, vulgato per finitimos Goæ tractus Mealis adventu, qui apud ſuos regnare jam in animis multorum incipiebat; conjuratis, qui illius partes tuebantur, vires non mediocres acceſſere: videbant enim illius cauſam valido Luſitanorum præſidio defendi, & plebis auribus Mealis nomen ſolito gratius accidere.

Hidalcanes per Legatos Mealem repetit.

48 Hidalcanes contra reputans apud ſe, accerſitum a Luſitanis Mealem, non tam, ut ab inſidiis eum liberarent, quàm, ut illius cauſam defenderent, victorum finitimas vires vehementer timens, Legatos miſit, qui Prætori ſignificarent ſuo nomine, accepiſſe ſe, Mealem, quem fortuna ad turbandam Orientis pacem ſervaverat, in noſtra eſſe poteſtate: ſcire ſe eumdem advocatum opera quorumdam ſeditioſorum, qui obedientiam pertæſi, novos ſibi dominos quærerent, quibus imperarent: cauſas, quibus Regnum occupaſſet, a ſe de induſtria prætermitti:

mitti: principes enim ſi palam juris ſui rationem reddere cogerentur, inter Reges, ac plebejos nullum omnino diſcrimen futurum: Deum, non homines, de juſtitia Principum judicaturum: uſu jam ab univerſis nationibus fuiſſe receptum, in iis, quæ ad Regni dominationem pertinerent, cauſas omnino pares eſſe, homines dumtaxat inter ſe differre: non negare ſe, Mealem animi anguſti, & ignavi ex regia ſtirpe deſcendere: fortunam verò, cum ſibi ſtrenuo, & audaci Regnum obtuliſſet, naturæ errorem emendare voluiſſe: naturam ipſam, quæ Leones vix dum natos ſylvarum reges crearet, hominibus, quos inermes parit, invadendi Regni arbitrium reliquiſſe: multa, quòd præter morem fierent, videri hominibus injuſta: ſi quiſquam Regno dignus dominationem invaderet, id qui primò videant, tum rei iniquitate, tum novitate irritari: deinceps tamen id ipſum non modo juſtum, ſed & legitimum videri: viliſſimum omnium, qui in ſuo Regno nati eſſent, fuiſſe Mealem: ſe verò omnium feliciſſimum: a monſtroſis naturæ fœtibus homines abhorrere, eoſdem, fortunæ monſtra non mirari modò, verùm etiam amare. Id ſi nobis minùs verum videretur, poteramus, ajebat, nos ipſi nos interrogare, quo jure Aſiæ imperaremus: quid fuiſſet nobis cum Sabajo conſanguinitatis, ut Goam nobis legaret ſupremis tabulis: quo gradu ſanguinis propinqui eſſemus Badurio Sultano, ut Dium, ab eo tamquam hæreditarium adiremus: quæ demum nobis cognatio interceſſiſſet cum Aceni Rege, ut Malacæ in aurea Cherſoneſo hæredes inſcriberemur: quid de tam multis arcibus, a quibus in Oriente annuum nobis tributum pendebatur? Proinde rogare ſe, etiam atque etiam videremus, ne in Hidalcane eoſdem domi-

dominandi titulos improbaremus, quibus, ad orbem penè univerſum in ditionem noſtram redigendum, utebamur. Regendi terrarum orbis curam Deo ne eriperemus; quippe qui in ultimo Occidente nati, Aſiæ perturbationes emendare nitebamur: nunciare ſe Luſitanis, varias metallorum fodinas in ſubjecto ſibi Regno reperiri: aurum amicis ex auraria ſe effoſſurum, ex ferraria ferrum inimicis: petere ſe demum a Prætore, Mealem ſibi in manus traderet, ut, datis in eum clementiæ ſuæ documentis, oſtendere ſe exteris poſſet Regno digniorem, qui tam molliter hoſtium importuniſſimum accepiſſet: Legatis ampliſſimam a ſe factam poteſtatem ſuo nomine ſtatuendi, quæcumque Luſitanæ rei utilia viderentur.

Pro Mealis capite magnum pretium offertur.

49 His ad Martinum Alphonſum perlatis literis, ex Hidalcanis Legatis intellectum eſt, pro Mealis capite offerri centum quinquaginta millia pardaorum (nummi genus eſt tribus Juliis Romanis æquivalens) præterea in continenti lætiſſimos Bardeſii tractus cum pagis Salſetanis, qui cum Goæ finitimi eſſent, & maximè frugiferi, magni ſanè apud nos ponderis futuri credebantur. Ea profecto res ſummi momenti Martino videbatur. Magnas enim utrobique commoditates oſtendebat: ſiquidem magnificum, & Chriſtianis armis dignum erat, exulem Principem in Regnum reſtituere, & tyrannum deprimere: ex qua re, ſi ad exitum perduceretur, non vulgaris exiſtimatio Luſitano nomini accederet. Inde enim intelligerent nationes omnes, non profectos nos infeſtis ſignis in Aſiam, vel ad regna invadenda, vel ad parandas divitias, cum de nulla re magis laboraremus, quàm, ut Ethnici, Maurique Orientales debitam Deo fidem præſtarent, & mutuam inter ſe juſtitiam

ſtitiam exercerent. Ex alia verò parte cogitabat, Mealem, tametſi poſt atrox, ac diuturnum bellum Regno tandem potiretur, non poſſe plura nobis offerre, quàm quæ ſine bello Hidalcanes promitteret: præterea, cum ejuſmodi Mauri, tum inſito a natura odio, tum ſtudio Religionis nobis ſemper adverſarentur, Luſitanis orbis univerſus illuderet, ſi videret ſanguine noſtro alterum ex infidelibus deſtrui, alterum nutriri, cum ex utriuſque clade proſperitas noſtra penderet unicè: ea præcipuè de cauſa, quia in Indiam ad deſtruendos, non ad defendendos Fidei hoſtes, armati veniſſemus: Meales, Cambajæ Regis, cui propinquus erat, præſidio deſtitutus, non eſſe cur à nobis, quibus erat infenſus, protegeretur: ubi enim ſe reſtitutum, ac viribus præpotentem agnoſceret, primum omnium in Luſitanos infeſtis ſignis procul dubio venturum, quippe cui fortium virorum, à quibus Regnum accepiſſet, ſuſpecta ſemper futura erat vicinia; ſufficiebat enim accepti beneficii memoria, ut à nobis vehementiſſimè abhorreret.

Prætor Martinus Alphonſus tradere Mealem ſtatuit.

50 Propter ejuſmodi cauſas minùs ſanè conſideratas, ſtatuens Martinus Alphonſus Mealem Hidalcani tradere, unà cum Legatis Alvarum Viegas, equitem honeſtiſſimum dimiſit cum poteſtate fœderis, de quo meminimus, ſtipulandi: inita deinde continentis poſſeſſio, quemadmodum Hidalcanes nobis obtulerat, ejuſque Legati confirmaverant.

Joannes de Caſtro negat ſe Hidalcani Mealem tradituum.

51 Hoc loco Mealis res erant, Joanne de Caſtro magiſtratum ineunte, à quo nova legatione eundem ſibi reddi iterum poſtulabat Hidalcanes, juxta fœdus ab anteceſſore ſancitum. Joannes tamen, alia prorſus deliberatione, Hidalcani reſpondit: Luſitanos amicis ſemper fidiſſimos, multò reli-

gioſiùs debitam hoſpitibus fidem ſervaturos: quæ Martinus propoſuiſſet, ad primam tantum cauſæ cognitionem, non ad deliberationem ſpectaſſe: quod ad Continentem attineret, eos tractus Goanæ jam diu ditionis eſſe, quippe qui anteceſſorum ſuorum largitione donati eſſent, ex quorum proventu ali nunc Mealem oporteret ad referendam majoribus gratiam, qui Luſitanis eas terras fecerant ſtipendiarias: miſerum Principem hac veluti memoria juris ſui pacificè frui ſineret, cujus vitam ſi à periculo tutaremur, piè nos facere; nondum enim illius defendenda jura ſuſceperamus: caveret ipſe diligenter, ne, indicto impatienter bello, pacem turbaret: intelligeret, ſi aliquid moveret, certò futurum, quod tantopere metuebat, irritatos nimirum Luſitanos utramque injuriam ſeveriſſimè ulturos. Quia verò Hidalcanis Legati ſignificabant, Meale Goæ retento, bellum procul dubio imminere, eos admonuit Joannes, ut in memoriam revocarent, cæteras arces, quas in India Luſitani ædificaſſent, ſuper cineres Regnorum fundatas eſſe, quæ belli incendio conſumpta eſſent: mari nos eſſe perſimiles, quod ex ipſis tempeſtatibus in altum tollitur, & augetur: bellum nec quærere ſe, nec recuſare.

Bellum parat.

52 His verbis Legatos Prætor dimiſit, qui ex ea vultus conſtantia, qua reſponſum petentibus dederat, facilè intellexerunt, nec metu, nec beneficiis adduci eum poſſe ad tradendum Hidalcani Mealem. Ad bellum ſine mora, tum faciendum, tum repellendum diligenter ſe comparavit, cujus vulnera experiri prius poteramus, quia cum finitimo Rege res erat, quàm hoſtilium telorum fulgorem conſpiceremus. Equites fermè ad ducentos conſcribi juſſit, qui ſub uno ſigno militarent. Acies ſanè erat non medio-

diocriter ſtrenua, ſed quæ vix ordines ſervare Europæo more didiciſſet. Urbis cuſtodiam auxiliariis cohortibus commiſit, ſtipendiarium militem ad quamcumque hoſtium ſubitam irruptionem paratum in armis eſſe conſtituit. Claſſem verò, tum diuturna navigatione, tum nuperis bellis, ac multò magis publicæ rei inopia labefactatam, quanta potuit celeritate, inſtrui juſſit, & quia vires navalis exercitus noverat eſſe præcipuas, in iis reparandis totus incubuit. Navigiis, quæ flumini inerant reſarcitis, tres ex integro triremes, ſex præterea roſtratas incredibili celeritate curavit ædificandas, ſoluto in dies ſingulos nauticis fabris ſtipendio, magnaque addita benevolentiæ ſignificatione, ex qua non mediocriter opus creſcebat, diligentia demum temporis anguſtias ſupplente. Triremibus, navibuſque Præfectos conſtituit, dum ædificarentur, ut illorum ædificio, tanquam rei ſuæ, diligenter intenti, opus urgerent: quod ſanè conſilium multùm contulit ad claſſem celeriter, & largiſſimè inſtruendam commeatu optimo, cæteroque belli apparatu. Claſſis in hunc modum brevi admodùm, & opportuno tempore ad iter expedita, impoſito finitimis Principibus frœno, prohibuit, quo minùs cum Hidalcane ſigna conjungerent, qui eos jam, propoſito communis libertatis commodo, ad excutiendum Luſitanorum jugum ſolicitabat.

53 Hidalcanes interea, audita Prætoris deliberatione, ad tuendum jus ſuum arma ſuſcepit, opportunius exiſtimans foris bellum gerere, antequàm ſui, præſentia Mealis excitati, pericoloſiùs tumultuarentur, cui nimirum militares gradus, & propoſita belli præmia complurium fidem conciliarent, dum communem cauſam tueri ſe velle præſeferret. Pro- *Primi belli motus ab Hidalcane.*

hibuit itaque frugum inſtitoribus, latâ ſeveriſſimè lege, commeatus, ut antea, Goam ne deferrent; quæ cum victu à Mediterraneis regionibus importato uteretur, ad alendum bellum tam repentinum non ſatis inſtructa credebatur. Poſt hæc, Acedacanem Præfectum perſtrenuum cum decem millibus militum præmiſit, ad occupandos eos tractus, quos in continenti obtinebamus.

Prætor per ſeipſum bellum adminiſtrat.

54 Contrà verò Joannes de Caſtro intelligens, belli famam primis eventibus niti, duobus millibus peditum in aciem eductis, & equeſtribus copiis non ita multis, ad repellendum hoſtem profectus eſt: tametſi eum nobiles complures ab ejuſmodi expeditione diſſuaderent, ne ſuum ipſe caput periculo objectum vellet tam impari inſtructus exercitu. Neque enim decebat Indiæ Prætorem cum Hidalcanis Præfecto dimicare, neque Aſiaticis oſtendere tanti à ſe fieri bellum tumultuarium: præcipuè cum tot eſſent in promptu nobiles, qui non modò decus, ſed etiam pondus hujus expeditionis, atque periculum ſuſtinere pro dignitate poſſent, ac mererentur. Nullo tamen modo potuit ab incœpto deterreri; dicebat enim majore ſanè fiducia, quàm vires exigui exercitus paterentur, ſe non ad vincendum, ſed ad ſumendam dumtaxat de hoſte pœnam, proficiſci. Ad duas fermè leucas progreſſus inimicam aciem obviam habuit. Hæc, poſitis caſtris, ad radicem montis conſidebat, &, quia objectu fluminis, tanquam foſſa, ac vallo utebatur, numero, ac loco fidens, noſtrorum impetum expectabat. Luſitani, tametſi itinere debilitati, viribus redintegratis, tum Prætoris præſentia, tum conſpectu hoſtilis exercitus, majore animo, quàm diſciplina, ſtrictis gladiis, in flumen ſe conjecere. Ad eos, vel cohibendos, vel ordinandos

dos Præfectorum authoritas nihil valuit: nimirum qui omnium erant maxime temerarii, præcipiti ſaltu in undas primi irruebant: cordatos diffidentia in idem periculum compellebat: cæteri, ne ſocios deſtituerent, exemplo præeuntium, quaſi ex juſta belli diſciplina, rapiebantur.

55 Prætor verò pro ea, qua erat, prudentia, cæteris, qui in ripa ſubſtiterant, properè edixit, flumen trajicerent. Intellexit enim ex fortuito errore opportunè quærendum ſibi remedium, &, quando non poterat ea die proprias Ducis partes explere in diſponendis ordinibus, tanquam gregarius miles, ſtricto gladio, ſtrenuiſſimè dimicavit. In Mauros itaque noſtri irruperunt tanto impetu, ut prima aggreſſione perterriti, turbatis ordinibus, diſperſi primùm, fuſi deinde per ſeſe, ac victi loco cederent: videntibus ſine damno Luſitanis, quod rarò accidit, hoſtilem exercitum non modò diſſipatum, ſed planè fuſum. Ad duas ferme leucas victores hoſtem perſecuti, uſi licenter ſunt crudelitate victoriæ, projecta miſerè arma curſim colligentes, quæ fugientibus oneri, non præſidio fuerant. Fugientium inſectationi dies inclinata finem attulit, victiſque contra iram victoris horror ipſe noctis ſalutem peperit. Milites demum non tam ſanguine, quàm gloria, ac ſpoliis pleni in caſtra ſe recepere, ubi Prætor alterum diem exegit: de præterito tamen errore, qui feliciter fecerat victoriæ locum, ne verbum quidem fecit apud ſuos: cordatorum hominum morem ſecutus, qui nunquam fortuitos caſus laude dignos exiſtimant, nec arguunt victoriæ felicitatem. Commiſſo prælio hoſtes fundit.

56 Prætorem de bello regredientem Goanus populus, Luſitanas victorias non tam videre ſolitus, quàm contemnere, incredibili plauſu excepit. Quia Goam victor repetit.

tamen

tamen in hoc, cæteriſque prælíis, quæ Joannes feliciter vicit, glorioſum S. Thomæ Apoſtoli nomen eſt invocatum, ea non immeritò credimus tanti Patroni tribui patrocinio debere. Is certè ad remunerandam Joannis pietatem, memoriamque celebrandam, voluit, eo imperante, admirabilem illam detegi Crucem, quæ Meliaporæ in ora Coromandelis inventa eſt unà cum Beatiſſimi Apoſtoli corpore. Solebat Joannes de Caſtro auguſtiſſimum Redemptionis noſtræ ſignum debito quidem, ſed ſingulari obſequio venerari: Ubicumque enim Crucis vexillum, vel marmore expreſſum, vel coloribus adumbratum nanciſceretur, vel ex equo, vel ex geſtatorio lectulo, in quo portabatur, deſiliens, de genibus ſalutabat: quæ cauſa eſt, ut inventæ Crucis miraculum non fortuitò accidiſſe crediderim, cum temerè non ſoleant ad nos Divina beneficia deſcendere. Novum ejuſmodi myſterium ideo referemus, quòd ſucceſſivum in eo miraculum involvatur, unde Orientalium Fides, Luſitanorum ſanguine, ac doctrinâ diſſeminata, tanquam teſte locupletiſſimo comprobatur.

Crucis ſignum ſummoperè, & ubique veneratur.

Inventio Crucis Sancti Thomæ.

57 Poſt inventum glorioſi Apoſtoli corpus in ruderibus Calaminæ urbis, quæ deinde Meliapora appellata, Luſitani Reges Emmanuel, cognomento Magnus, ejuſque filius Joannes, pro ſua in Deum pietate ardebant mirum in modum, reliquias illas Chriſtianæ Fidei ſuſcitare, quæ ab Apoſtolo Beatiſſimo diſſeminata, inſtar mortui cineris ſupererat quidem, ſed peſtiferâ Armeniorum, Chaldæorumque doctrinâ contaminata. Hi à Romanæ Sedis Catholica diſciplina ſejuncti, innocuo Chriſti gregi perniciosa in iis locis dogmata propinabant. Repurgatis magnam partem ejuſmodi erroribus induſtria, ac labore hominum Apoſtolicorum, qui ad id ex Luſitania

tania miſſi fuerant, placuit in eo loco templum ædificare, ubi fuerat pretioſum Beati Apoſtoli corpus inventum. Itaque, cum ſolum ad jacienda templi fundamenta excavaretur, marmorea Crux eſt reperta, quæ marmoreæ baſi inſiſtebat. Ejus altitudo quadripalmaris, latitudo tripalmaris, ſanguineis guttis undique erat aſperſa, iiſque, ut videbatur, recentiſſimis. Quod ad formam attinet, eam referebat, qua apud nos Aviſii Equites uti ſolent. In imo lapide Cruces nonnullæ videbantur expreſſæ, minoris ſanè molis, ſed ejuſdem omnino figuræ. Majori Cruci pendens ex alto columba imminebat expanſis alis. Ex omni circùm parte antiquiſſimi extabant characteres, quorum ſignificationem incolæ planè ignorabant, tum, quia erant ignota lingua deſcripti, tum etiam, quia claudæ ibidem, & pendentes clauſulæ legebantur. Senes, pluriumque linguarum peritiſſimi antiquarii interrogati, ſed fruſtra: cùm nemo unus ejuſmodi elementa, vel remotiſſimè, poſſet deprehendere, vel ſcripturæ ſenſus eruere; donec ſuccedente tempore, Brachmanes ex Imperio Narſingæ advocatus arcanos ejuſmodi characteres interpretatus eſt in hunc modum.

Poſt Chriſtianam legem in terrarum orbem invectam anno trigeſimo, XII. Kal. Januar. Calaminæ Thomas Apoſtolus ſanctiſſimus mortuus eſt, ubi verus Deus agnitus, mutata lex, Dæmon fugatus. Deus hic duodecim Apoſtolos edocuit, quorum unus Caluminam venit, viatorio baculo inſtructus, ubi templum ædificavit. S. Thomæ legem ſponte ſua Malabaris, Coromandelis, Pandi, aliique complures aliarum gentium, ac Religionum Reges ſecuti ſunt. Procedente tempore Sanctus vir Brachmanum manibus interfectus, hanc ſuo ipſe Sanguine Crucem deſcripſit.

Hæc

Hæc verò interpretatio, quòd à ſtipendiario Doctore profecta eſſet, noſtrorum fidem, ut in re tanti momenti, ſuſpectam reddidit. Qua de cauſa Ethnicum alterum, Orientalium linguarum peritiſſimum advocarunt, qui primæ interpretationis omnino neſcius, eodem modo, ac nullo prorſus diſcrimine, arcanos characteres expoſuit. Ejus Crucis imago ex Archetypo delineata SebaſtianoRegi oblata eſt anno MDLXII., ut hic ſubjicitur.

Ejuſdem Crucis notabile miraculum.

Poſt hæc Luſitani majore ſumptu, & alacritate, propter loci Sanctitatem, qui Sacra pignora cuſtodiebat, cœptum templi ædificium perſequebantur. Nec minor erat populi Malabarici pietas, & concurſus ad venerandum Fidei ſuæ luculentiſſimum teſtimonium. Templum brevi intervallo perfectum eſt. Hujus in interiori fronte ſuper principem aram marmorea Crux decentiſſimè collocata. Officia ibi Divina peragi cœpta ea majeſtate, quam loci ſolitudo patiebatur. Ecce tibi XV. Kalend. Januar. quo die Virginis Beatiſſimæ Divinum partum expectantis anniverſaria memoria colitur, cum Sacerdos ad aram faceret, multis inſpectantibus, & ad Evangelicæ Hiſtoriæ lectionem veniſſet, ſacra de cruce copioſus cœpit ſudor effluere, grandiuſculis largè guttis ſuper aram ſtillantibus. Intermiſſo Sacerdos ſacrificio, ut majora extarent prodigii ſigna, linteis ſacroſancto Chriſti corpori ſubſterni ſolitis, vaporantis adhuc Crucis humorem abſterſit, quæ ſubitò cruentata apparuerunt in oculis populi frequentiſſimi. Alium atque alium ſubinde Sacra Crux colorem induit, pallidum ex alabaſtrino, ex pallido nigrum ſubobſcurum imbibens, qui deinde in cæruleum mutatus eſt: tam miro ſplendore, ut ad ultimas ſacrificii cæremonias perſeveraverit, quibus peractis ad eum tandem co-

lo-



lorem rediit,qui primò apparuerat,cum inveniretur.

58 Id prodigii deinceps ad multos annos repetitum ferunt, & etiam nunc, licèt aliquantò rariùs, renovari, idonei ſanè authores teſtantur: ex quo fit, ut Chriſti Fideles in iis locis præcepta Chriſtianæ legis robuſtiore imbibant fide. De ejuſmodi miraculo, vocatis in judicium teſtibus, ac ritè interrogatis, Epiſcopus Cocinenſis cognovit pro tribunali, cujus acta Olyſipponem perlata, Henrico Cardinali Regnum adminiſtrante. Is, authoritate Gregorii tertiidecimi Pont.Max.miraculum per noſtros, & exteros Hiſtoricos vulgatum authenticis tabulis approbavit. De hoc ubi lætiſſimum nuncium accepit Joannes de Caſtro non vulgari pietatis ſignificatione, Chriſtianos S. Thomæ, Ethnicorum Principum tyrannide oppreſſos protegens, præſidio ſuo effecit, ut ſubſidia quædam,& privilegia,quæ, opera S. Apoſtoli, antiqui Reges in eos contulerant, fixa, & intacta eſſent, quorum jam, ſive Ethnicorum invidia, ſive temporum corruptela, inutilis dumtaxat memoria retinebatur.

Quanta pietate miraculi nuntium acceperit Joannes de Caſtro.

59 Inter hæc Hidalcanes crebris, & importunis irruptionibus Goanam Ditionem turbare perſeverabat, quæ ſanè res ad ſervandas diligenter excubias nos cogebat aſſiduè, & agricolas impediebat, quò minùs agros exercere tutò poſſent. Quapropter in eam Prætor deliberationem adductus eſt, ut ictum eò inferret, ubi vulnus hoſti futurum eſſet acerbius. Adornata jam claſſe, Alvarum filium properè juſſit navem conſcendere, ut in Hidalcanis portus invaderet hoſtili manu, & hoſtibus, quæcumque fieri poſſent, inferret damna. Fecit amplam militibus diripiendi pro libito poteſtatem, tum, ut faciliùs ſpe prædæ præterita ſtipendia obliviſcerentur, quæ

Alvarum filium mittit contra Hidalcanem.

illis adhuc à Regio fiſco debebantur, tum, ne mercaturam ſpe lucri facerent: quod ſanè malum ſerpebat ſenſim apud multos, exemplo à primoribus fœdè ſuppeditato.

Alvarus cum ſex navigiis proficiſcitur contra Hidalcanem.

60 Solvit itaque Alvarus, Luſitanis nongentis, Indis quadringentis ſex roſtratas, & aliquot triremes implentibus, ac paucis diebus poſt naves quatuor Hidalcanis obvias habuit, quæ pannis, aliiſque mercibus bene onuſtæ in Cambajam navigabant. Edixit illicò Præfectis Alvarus, ut ad naves, quæ procul apparebant, proras dirigerent, juſſis triremibus litus radere, ne, ſi forte hoſtis deſperaret, naves in arenas impingeret. Militibus ſanè paucis onerariæ inſtruebantur, &, cum nullus fugæ, nullus defenſioni locus pateret, duo ad Prætoriam præmiſſi Mauri mercatores, qui, tum rationibus, tum lacrymis, Luſitanos docere ſatagebant, Hidalcanis conſiliorum in movendo bello ſe prorſus ignaros, daturos præterea juſtam pecuniæ vim ad claſſis ſumptus ſarciendos. Militum tamen cupiditas, & belli ratio fecit, ne audirentur. Captæ igitur naves, & Goam tranſmiſſæ, ut juxta Prætoris edictum, præda divideretur. Navibus in Goanum portum invectis, extitit populi plauſus propemodùm incredibilis: videntes enim alteram alteri victoriam ſuccedere, in altera patris virtutem, in altera filii fortunam commendabant.

Onerarias quatuor expugnat.

Cambris urbis expugnationem intentat Alvarus.

61 Ad hæc intelligens Alvarus à ſe militare, tum opportunitatem, tum fortunam, cum milites, præda in tuto poſita, quietos, immò lætos haberet, navis gubernatori, ut in Cambris portum iter dirigeret, imperavit. Hanc urbem duplicato præſidio, poſt ſuſceptum bellum, muniverat Hidalcanes. Erant in faucibus portus munitiones duæ majoribus bom-

bardis

bardis optimè inſtructæ: neque poterant naves, propter canalis anguſtias, aut conſiſtere, aut prætervehi, quin certiſſimo periculo objicerentur. Præfectis in conſilium vocatis, Alvarus rei difficultatem, expoſuit, quæ omnibus matura ſanè deliberatione digna videbatur. Negabant enim ſpontanea belli facinora tam certo periculo ſuſcipienda, neque Hidalcanes acerbiore bello premi poſſe videbatur, quàm, ſi mari imperantes in illius oculis prædas ageremus, & mercaturæ diſturbarentur: in terreſtribus præliis longè majus utilitate dicebant eſſe periculum: canalem adeo munitionibus cinctum, ut naves hoſtium tormenta propemodùm ſtringentes prætervehi neceſſe eſſet, ex quibus ſiqua forte hoſtium impetu ſubſiſtere cogeretur, curſum cæterarum neceſſariò impediret. Cum verò inſtaret Alvarus, integrum ſibi non eſſe Prætoris, ac Patris mandata negligere, quibus jubebatur in terram deſcendere ad hoſtium portus vaſtandos, & comburendos, in eam omnes ſententiam abiere, ut ipſe in mari ſubſiſteret: cæteri verò Præfecti cum ſuis portum aggrederentur, ne, ſi quid infortunii (quod facile erat) accideret ſupremo claſſis Præfecto, filioque Indici Prætoris natu maximo, cogerentur Luſitanæ vires impendi in juſtam ultionem accepti damni, quod procul dubio graviſſimum habebatur. His auditis, Alvarus indignabundus, ingratum indigna ſuadentium ſermonem abrupit, ea ſe victoria negans lætaturum, ubi ſuum, ac gregarii cujuſque non æquaretur periculum. Præfecti ſe locum, obedientia Patris coactum tenere dicebat, futurum tamen ad pericula commilitonem: habere ſe à Prætore in mandatis, ut ſuam levi de cauſa, militum verò vitam, non niſi urgente neceſſitate, periculo objiceret, quod, ta-

metſi ab illis exaggeratum, levius multò videbatur, quàm, quæ ſibi quærenda propoſuerat; neque enim ſine periculo, vel mediocris gloria quæri poterat: ad hujus expeditionis difficultatem ex Luſitania ſe profectum, quam omnibus perquàm glorioſam augurabatur: cæterùm à ſuſcepta mente nullius conſilio diſceſſurum: id unum petere, ut de modo aggreſſionis deliberarent. Alvari temeritatem magnanimitas, ætas, & felix deinde exitus culpa liberarunt. Itaque conſtitutum eſt, milites, ſcaphis impoſitos tertia vigilia noctis in litus ferri, incerta adhuc, ac dubia luce, ne hoſtiles bombardæ in eos dirigi poſſent certa collimatione. Ad neceſſariam imminentis pugnæ comparationem nox tota inſumpta eſt, emicantibus jam tum in Alvari vultu ſignis non obſcuris victoriæ ſecuturæ. Navibus cum juſto militum præſidio relictis, exſcendit Alvarus cum lectiſſimis octingentis, tam proſpero fortunæ ſucceſſu, ut librati in ſcaphas ignei globi complures neminem, ne leviter quidem, offenderent: qui ſanè caſus non leve momentum, immò potiùs gradus fuit ad victoriam.

Exſcenſionem cum ſuis facit.

Urbis magnitudo, & munitiones.

62 Urbem in vaſta latè planitie ædificatam familiæ incolebant ad quinque mille. Ædificia invicem ſejuncta, nec ſibi, ut in politis urbibus, cohærentia, neque ad Architecturæ leges exacta, ſed facta prorſus pro viribus, ac libito incolarum. Atria tamen, & ſolaria cujuſque domus eminùs apparentia barbaram quandam majeſtatem præſeferebant; quippe quæ majore ambitione, quàm arte fuerant ædificata. Ad Septentriones mons erat non ita multùm editus, unde nullius nominis fluvii aliquot deſcendebant, qui, cum ad amænitatem, tum ad ubertatem agrorum, mirè faciebant. Brachmanes antiquitus, nunc Mauri

mer-

mercatores urbem incolebant, ſemper apud Orientales æquè celebrem, nunc divitiis, ut antea ſuperſtitione. Nullo muro, valloque oppidum cingebatur: incolis, vel Regis ſui opibus, vel finitimorum Principum pace, belli ſecuris. Nunc verò, quia bellum, quod cum Hidalcane gerebamus, felix à victoria principium duxerat, de ſuo Mauri periculo per infauſta ſuorum exempla ſatis admoniti, duo millia militum ad urbem defendendam conduxerant, qui urbanæ militiæ additi, juſtum, opinione ſua, numerum æquarent, ad hoſtilem impetum repellendum.

63 Hi ergo, juncto agmine, & explicatis vexillis, proceſſere ad diſturbandam noſtrorum militum exscenſionem tanta audacia, ut negotium diu ſubeuntibus facerent. Cum enim cominùs conſertis ordinibus immoti dimicarent, militibus noſtris ad manuales bombardas explodendas locus non fuit, quarum hoſtes primum impetum incredibili conſtantia ſuſtinuerant. Hìc enimverò Alvarus militaris prudentiæ, ac virtutis illuſtre ſpecimen edidit, ſuos in prælium acriter inflammans, tum exemplo, tum verbo. Eò tandem diſcriminis adducti ſunt Luſitani, ut pro vita magis, quàm pro victoria confligerent. Anceps per integram horam difficilis pugnæ exitus fuit, donec incolarum pars non exigua metu, ac ferro correpti terga verterunt: in prælio illi quidem ſuſcipiendo pluſquàm virilem conſtantiam, in deferendo timiditatem pluſquàm fœmineam oſtenderunt: quod rudibus militiæ tyronibus familiare eſt, in quibus ſummam audaciam ſummus timor ſequi ſolet. Hæc ſanè fuga Mauris damnum attulit non mediocre; mactabantur enim nullo propemodùm reſiſtente; cadentium quippe multitudo aliorum fugam impediebat.

Luſitanis validè hoſtes reſiſtunt.

64 Ur-

Urbem Luſitani ingrediuntur, expugnant, deprædantur, & incendunt.

64 Urbem Luſitani promiſcuè cum Mauris iniere, ubi victi miſerè detinebantur amore, ac lacrymis uxorum, ac liberorum, quos inutili jam pietate affectabantur, ſui ipſi ſanguinis teſtes veriùs, quàm defenſores. Neque defuerunt ex fœminis, quæ viros ſuos amplexatæ noſtris ſe telis transfodiendas obijcerent: miſeris nova dolori novo remedia quærentibus, quas ex victoribus alij populabantur, alij defendebant. Aliæ ſumma amoris deſperatione in gladios, & lanceas ſponte incurrebant, inſignem vitæ contemptum præſeferentes: alienis quidem vulneribus miſerabiles, ſuis tamen miſerabiliores. Urbs tandem minore damno, quàm periculo capta eſt; in præcipitem quippe deliberationem, ad tentandum urbis aditum, qui ſanè difficillimus erat, quòd undique hoſtium telis pateret, Alvarum magis militaris impulit virtus, quàm diſciplina. Ex Mauris plerique periere: pauciores tamen in prælio, quàm in receptu. Viris ipſis animi magnitudine fœminæ præcelluerunt: vitam illi, quam tueri neſciebant, amiſere turpiter, hæ cum tueri poſſent, fortiſſimè neglexere. Ex noſtris duo ſupra viginti deſiderati, vulnerati complures, in quibus Alvarus ſagitta leviter tactus. Parcendum tandem ferro fuit, ut poſſent milites vacare prædæ: itaque iræ exitus, cupiditatis initium fuit. Populandam ſuis urbem permiſit Alvarus, ubi ſpolia victoriæ paria. Mauri enim, ſive fiducia, ſive negligentia nihil inde adſportaverant: quin immo imbellem populum, & ad urbem tutandam prorſus inutilem ibi, quaſi in tutiſſimo loco reliquerant: ſive, quòd arma noſtra contemnerent: ſive, nequam timoris ſuſpicionem incuterent defenſoribus. Tanta fuit prædæ vis, ut ſpolia naves non caperent. Quapropter, lectis pretioſiſſimis, cætera,

tamet-

tametſi non vulgaria, milites reliquere, miſerum flammis pabulum præbitura, quibus demum, Alvaro imperante, urbs tota conflagravit. Id verò incendium finitimis latè pagis miſerandum in modum horrori fuit non mediocri: oppidum quippe illius oræ ditiſſimum, ac munitiſſimum Cambres habebatur, quo, veluti muro, cæteri antea utebantur, nunc verò, tanquam miſerabili exemplo uti poterant.

65 Poſt hæc, ſolutis anchoris, Præfectus cum claſſe univerſa Goam ſolvit, naves exoneraturus, quæ multo ſanè pondere premebantur, & ad bellicas expeditiones erant tardiores. Ibi ſtatuit ægros complures, ac ſaucios exponere, bellum perſecuturus, quod milites vehementer exoptabant, Alvari fortuna, ac liberalitate lætiſſimi. Nuncia, quæ claſſem præverterant, Goam implevere, ubi populus prædam, Prætor verò glorioſum virtutis bellicæ fructum plurimi fecit. Nunciatum deinde eſt milites è Cambrenſi prælio ſuperſtites Hidalcanem adiiſſe, & apud illum incenſæ urbis cladem commemoraſſe miſerabiliter: ſublatos nimirum cum parentibus filios: exuſta cum ſupellectile ædificia: largiſſimum commeatum incendio abſumptum: flammarum demum voracitate confuſos adeo hominum cineres, ac domorum, ut mortuis diſtincto fletu complorandis nullus omnino locus relictus eſſet: addebant præterea, ſi Hidalcanes cum ejuſmodi gente bellum perſequi pergeret, in deſerta loca ſe abdituros, ubi ex conſpectu, ac ferocitate Occidentalium ejuſmodi ferarum ſe ſubducerent, quæ in Aſiæ exitium immiſſæ videbantur. In hunc ferme modum Luſitanorum victorias ſingulatim, & ſuo ordine numerantes maledictis onerabant, exaggerabantque metu ſuo ſuprà quàm

Alvarus Goam revertitur.

quàm poſſint annalia noſtra commemorare.

Hidalcanes pacem petit.

66 Itaque Hidalcanes ſentiens à Luſitanorum ſignis militare fortunam, auditis ſuorum querelis, finitimorum præterea cladem perpendens, & alienas à ſe voluntates multorum, quibus bellum ipſum, & minùs proſperi armorum eventus, novos ad audendum addebant animos, conſilium ineundæ pacis ſuſcepit, ad ſedandas diſcordias, & ſeditiones domeſticas, quæ invaleſcere facilè poterant armatæ multitudinis libertate. Re in publicum conſilium adducta, ſtatutum eſt omnium ſuffragijs præſentes injurias ad tempus cautè, & ficta pace diſſimulandas, dum inita cum iis Regibus, quos læſiſſemus, armorum ſocietate, ad Goanam Ditionem invadendam, commodior ſe opportunitas aperiret. Hidalcanes ergo (ut ſolent Mauri ad capienda arma magis commoditate, quàm injuria moveri) Legatos ad Prætôrem miſit, levibus ſanè cauſis illatum bellum excuſans, & collata in nos beneficia commemorans toto eo tempore, quo amicè nobiſcum egerat.

Pacem admittit Joannes de Caſtro.

67 Legatos magno apparatu, ac majeſtate Prætor audivit in aula publica, pacemque petentibus reſpondit: bellum ſe quidem, nec petere, nec recuſare: Luſitanorum felicitatem in eo ſitam, ut hoſtes haberent quàm plurimos, quorum ſpoliis perpetuo victoriæ fructu mirificè creverant: nunquam tamen negatam à ſe pacem iis, qui pacem virtute, ac fide meruiſſent: libenter ſe milites ſuos belli commoditate, ac ſperato fructu fraudaturum: intelligeret tamen Hidalcanes nunc primùm, ex quo die Regnum occupaſſet, ſe verè Regem oſtendere, quando pacem cum Luſitanis firmabat. His Prætor verbis Legatos dimiſit attonitos tanta, tamque honeſta animi contumacia: ſemperque eodem contemptu Orientis bel-

bella tractavit, in quibus virtutem oſtendit fortunæ parem.

68 Conſtituta Republica, ad expedienda privata negotia convertit animum, militibus optimè meritis præmia dividens, quibus non tam collato beneficio, quàm benevolentia ſua faciebat ſatis. Novos extra ordinem arcibus Præfectos impoſuit, dum à Rege ad id nominati ſtatuto ſibi tempore poſſent ſuccedere: ſingulorum verò merita tam juſtè æſtimabat, ut nec publicæ rei quidquam detraheret, nec privatæ deeſſet benevolentiæ. Quæ ſanè virtus in Principibus ardua, in publicis verò miniſtris perrara eſt. Politicum ſtatum ordinat.

69 Neque minùs Divini honoris, quàm commiſſi ſibi muneris ſtudio ardebat. In ipſis enim belli tumultibus, armorumque ſtrepitu, in rebus ad Religionem ſpectantibus totus erat: perinde quaſi ad ea tantummodò procuranda miſſus eſſet. Hac de cauſa Joannes Rex, non tam in eo bellicam virtutem, quàm eximiam in Deum pietatem ſuſpiciens, tum Chriſtianæ Fidei, tum Divini cultus propagationem illi impenſiſsimè commendabat. Quanto Religionis ſtudio uterque teneretur, colligi optimè poteſt ex epiſtola quadam Regis hac ſuper re ad Joannem data, cujus exemplum libenter ſubſcribimus, ut omnibus pateat Luſitanorum arma in Oriente plures Eccleſiæ filios, quàm Regi clientes peperiſſe. Religionem promovet.

JOANNES REX JOANNI DE CASTRO INDIÆ PRÆTORI AMICO SALUTEM.

Præclara commoda, quæ ex Orthodoxis Principibus in rem Chriſtianam proficiſcuntur, ſi Religionis negotia ſedulò curent, & in ea conſervanda datas ſibi

à Deo vires impendant, faciunt, ut tibi dolorem noſtrum ſignificemus, quem ſanè capimus non mediocrem ex eo, quòd non ſolùm in pluribus Indiæ locis ditioni noſtræ ſubjectis, ſed etiam Goæ in urbe noſtra, Idolorum aduhc ſacella coli audiamus, ubi par erat rem Chriſtianam impenſiùs florere. Delatum præterea ad nos eſt, Ethnicorum feſta, & cæremonias libero, & penè publico ritu celebrari. Quapropter tibi etiam, atque etiam mandamus, ut Idola diligentiſſimè conquiſita extinguas ad unum omnia, ac minutatim concidas, ubicumque repereris, ac lata lege, ſeveriſſimis edicas minis, nequis prorſus ullum ejuſmodi ſimulacrum, aut ſignum ex ære, ligno, argylla, gypſo, alioque metallo, materia, maſſa, fingere, fundere, ducere, ſculpere, exprimere, figurare, aut aliunde importatum habere, ſeu ludos Ethnico more facere, aut Brachmanes Chriſtiani uominis hoſtes infenſiſſimos ope ulla juvare, aut tecto recipere, audeat. Qui ſecus fecerit, pœnis in edicto propoſitis, nulla interpoſita appellatione, nulla remiſſione mulctetur. Ut verò Gentes ſuavi Chriſti jugo ſe ſubiiciant, non convictæ ſolùm noſtræ Fidei ſanctitate, & ſpe futuræ beatitudinis roboratæ, ſed etiam temporalibus adductæ beneficijs, quæ ad emollienda hominum corda plurimùm faciunt, curabis impenſiſſimè, ut neophyti in poſterum tributis exempti, privilegiis, honeſtiſque muneribus, in Ethnicos ad hanc diem conferri ſolitis perfruantur. Accepimus etiam, ad noſtras claſſes deducendas promiſcuè Indos cogi, & ſumptus facere non mediocres contrà, quàm velint. Huic nos malo occurrere volentes, ac providere, mandumus eo onere levari Chriſtianos, ac planè excipi. Si verò neceſſitas aliud ſuadeat, facies omnino, ut, ſi forte naves conſcenderint, quotidiana illis, ac juſta merces perſolvatur. Ad hæc idoneis authoribus, ac fide dignis, magno

gno ſanè dolore noſtro, comperimus, ab Luſitanis hominibus viliſſimo coempta mancipia, quæ facili negotio ad Baptiſmum adduci poſſent, Mahometanis, barbariſque mercatoribus, certiſſimo animorum damno, majoris lucri cauſa venundari: mandamus itaque, ac planè jubemus, totis viribus in eo incumbas, ut pernicioſiſſimum ejuſmodi mercaturæ genus aboleas penitus, & intelligas, Deo te, Regique tuo obſequium non mediocre præſtiturum, ſi ea, quam rei indignitas poſtulat ſeveritate, opportunum malo, quod ægrè admodùm tulimus, remedium adhibeas. Curabis etiam, ut nimiæ fœneratorum licentiæ, quam ultra modum graſſari audivimus, frænum iniicias, tametſi obſtet certum Caput Goanarum legum, quod, utpote Chriſtianæ Legis ſanctionibus inimicum, jam nunc revocatum volumus: idem tu iſthic abrogandum curabis ſedulò, eo Capite è legum ſerie quàm primùm expuncto. In oppido Bazaino templum D. Joſepho excitator, dote de noſtro conſtituta ad ſuſtentandum Rectorem, & Beneficiarios, qui ſacris operentur, & templo ſerviant. Evangelij verò præcones, qui multis laborant difficultatibus, in procuranda gentium converſione, opportunis ſubſidijs juvari volumus: annua proinde tria pardâum millia ab impuris Mahometis ædibus, ejuſque ſectatoribus, impoſito ad id ipſum tributo, exiges in annos ſingulos. Præter hæc trecentos borizæ modios quotannis è noſtris vectigalibus divides neophytis qui in agro Ciaulenſi, Vicarii Michaelis Vazij opera, ad Chriſti gregem adjuncti ſunt, & in poſterum adjungentur, quæ tamen omnia Epiſcopo tradi volumus, ut ab eo, prout neceſſitas poſtulat, diſtribuantur. Pondera, pretia, pactiones olim cum Ghomæis Chriſtianis initas, qui in Cocinenſi ditione piper divendunt, à mercatoribus noſtris violari, ac labefactari cognovimus, nec non ſubtrahi corollaria, quæ ad

pretium addi ex pacto convento conſueverant: ejuſmodi ſanè homines multis de cauſis proſequi beneficijs, quàm injurià vel leviſſimè afficere ſatius fuerat: quapropter curabis diligentiſſimè, ut in poſterum receptus uſu antiquiſſimo mos omnino ſervetur. Ages etiam cum ipſo Cocini Rege, ut ritus quoſdam Ethnicos ab ipſius auguribus in pipere vendendo adhiberi ſolitos (quandoquidem nihil ipſius ea res intereſt) è noſtro commercio tolli permittat, unde Chriſtianis mercatoribus incommodi plurimum, damnique proficiſcitur. Ab eodem Rege Indos fortunis omnibus ſpoliari ferunt, qui Chriſti ſacra ſuſcipiunt. Illum ab ejuſmodi immanitate, nervis omnibus niteris abducere, & nos hac ſuper re ad eum literas damus, ex qua, tum animis, tum ſuorum corporibus tantum damni promanat: quod ille amicitiæ noſtræ, ut putamus, non invitus dabit, ſi eam ipſe curam adhibueris, quæ commendationi noſtræ reſpondeat. Quæ per epiſtolas ad nos ſcripſiſti de incolis Socotoræ Inſulæ à miſera ſervitute, qua premuntur, eripiendis, ita nobis viſum eſt providere, ut Turcæ, quibus ſerviunt Socotorani, claſſibus ſuis infeſta maria non habeant: cui ſanè malo remedium, ut par eſt, adhibebis, audito Michaelis Vazij conſilio, cujus profectò experientia, tum in hac, tum in arduis quibuſque rebus tractandis, magno tibi uſui eſſe poteſt. Piſcarij litoris incolas, cum aliis injuriis affici à noſtris Ducibus ferunt, tum verò cogi ad ea, quæ piſcantur, ſibi tantùm iniqua conditione vendenda. Quapropter, cum vehementer cupiamus, vim omnem, atque adeo injuriam ab iis prohibere, qui ſub noſtra ditione ſunt, mandamus, nequid injuriæ ejuſmodi populis irrogetur, caveantque Præfecti noſtri, nequid ſimile in poſterum ſibi arrogent. Videbis itaque diligenter ad ejuſmodi vim, & vexationem evitandam, utrùm ea litora ſat cuſtodiri,

dirì, noſtraque vectigalia ſat commodè exigi ſine claſſibus poſſint, quæ res ſi facultatem habuerit, cavebis, ne illuc in poſterum navigent, ut incolæ rebus ſuis tutò frui poſſint, neque damni quidquam, injuriæque patiantur. Præterea etiam, atque etiam tibi commendamus, ut nequid inconſulto Patre Franciſco Xaverio aggrediaris, cum quo præcipuè diſpicies, utrùm ad ejus Eccleſiæ incrementum expediat, faſve ſit neophytis piſcandi poteſtatem non patere omninò, vel, ſi facultas detur, piſcatum ita religiosè exercere, ut mores in iis ſuſceptæ Religioni conſentientes eluceant, ea vivendi licentia, qua iis in locis uti ſolent, refrænata. Cognovimus etiam ex multorum literis, eos, qui ex Ethnicis ad Chriſtum ſeſe convertunt, tanquam ſceleratos, ac ſacros, à parentibus, cognatis, amiciſque tecto exturbari, bonis everti, tanta vi, & injuria, ut cogantur ſumma protinus in ſolitudine, ac rerum omnium egeſtate miſerrimè vivere. Horum inopiæ ſublevandæ, re cum Vazio communicata, annuum de noſtro pecuniæ ſummam attribues diſtribuendam à Sacerdote, qui ejuſmodi neophytis inſtituendis præfuerit. E' Ceilano Inſula Goam ſe recepiſſe audivimus ingenuum, ac Regiæ ſtirpis, ut ferunt, adoleſcentem, ad impias cognatorum ſuorum manus, & indignationem effugiendas. Is ergò, quando Chriſtiana ſacra ſuſcepit, ad exemplum neophytorum, & Gentilium incitamentum, dabis operam, ut doctrina, ac moribus in D. Pauli Collegio imbuatur, ubi, quod ad victum, cultumque attinet, lauto ſeparatim hoſpitio, noſtris ſumptibus ita copiosè, ac liberaliter habeatur, ut noſtra erga Regium adoleſcentem magnificentia luculentiſſimè appareat. De illius præterea jure, & actione ad Ceilani Regnum diligenter cognoſces, qua ſuper re quidquid certum, & exploratum inveneris, authenticis tabulis conſignatum ad nos tranſmittes,

ut

ut de iis provideamus in poſterum, quæ nobis opportuniora videbuntur. Volumus interea loci, ut quanta potes ſeveritate, à tyranno rationem exigas ejus crudelitatis, quam in novum Chriſti gregem huc uſque exercuit: pœnas itaque ab eo repetes acerbiſſimas pro iis omnibus, quæ tam audacter, & inſolenter admiſit, ut Indiæ Principes univerſi diſertè intelligant, nihil nobis prius eſſe, nihil antiquius, quàm ut juſtitia ſervetur, miſerique, & imbecilles favore noſtro protegantur. Ab Ethnicis artificibus Chriſti Domini, Virginis Matris, Sanctorumque imagines fingi, ſculpi, colorari, ac circumferri venales, ut huc uſque indulſimus, videtur Chriſtiano nomini indecorum: id, ut ne fiat, in poſterum diligentiſſimè caveas, edicaſque propoſitis proſcriptionis, & ducentorum verberum minis; quis enim patienter ferat tam ſancta ſimulacra, quæ myſteria ſanctiſſima nobis exhibent, ab impuris ejuſmodi nebulonum manibus teri? Inchoata dudum Cocini, & Colanj templa patere imbribus putrefacienda, non modò turpe; ſed ipſis etiam ædificijs eſt apprimè incommodum: quapropter perficienda quàm primùm curabis, nec ſumptui parces, adhibitis ad id architectis, & artificibus, quàm fieri poteſt, optimis. Placet etiam in vico Narao aliud templum D. Apoſtolo Thomæ fieri, & inchoatam Calapore S. Crucis ædem abſolvi, novumque in Ciorano Inſula templum ædificari ea forma, & majeſtate, quæ tibi videbitur opportunior; nihil enim ſic ad venerationem Chriſtianæ Religionis Ethnicorum animos incitabit, quàm ſi eam viderint à nobis impensè diligi, & coli. Præter hæc, quanto poſſumus opere, tibi commendamus, ut auditoria, & ſcholæ idoneis in locis inſtituantur, ad quæ ſtatis diebus non modò Chriſtiana plebs cathechiſmi cauſa, ſed etiam Ethnici ad Evangelium audiendum conveniant: ut hoc modo, cum

ad Chriſtiana ſacra paulatim affici, tum errores ſuos, in quibus miſerè vivunt detegere beneficio Divinæ lucis incipiant. Idoneos huic muneri ad id ipſum leges miniſtros, qui iis dotibus polleant, quæ ad graviſſimum miniſterium obeundum ſunt neceſſariæ. Cum verò id unum præ cæteris vehementer cupiamus, ut Dei nomen Sanctiſſimum in Ditione iſta noſtra præcipuè colatur, & Chriſtiana Religio propagetur, volumus omnino è Salſetanis, ac Bardeſijs finibus Idolorum cultum, & impias cæremonias omnino everti, & aboleri. Id quò faciliùs, & citra tumultum, ac vim exequi poſſis, Evangelij præcones admonebis, ut, ſive conciones habeant, ſive diſputationes inſtituant, tanta prudentia, & contentione Ethnicorum corda diſponant, ut intelligant, Deo juvante, nihil ſic nobis cordi eſſe, quàm ut, detecto errore, veritatem agnoſcant, & à miſera Dæmonum erepti ſervitute, Romanam Fidem amplectantur, quæ via eſt unica ad eas tenebras depellendas, quas iis callidiſſimè Satan obduxit, ne videre aliqaando poſſint, quanti eos interſit, animos ſuos ab æterno interitu vindicare: viros itaque virtute, & eruditione præſtantes adhibeas, neceſſe eſt, quibus enixè commendabis, ut, quanta poſſunt cura ac diligentia, in id incumbant. Tu verò, quantum in te eſt, omnes allicies, ac favore tuo proſequêre, primarios præcipuè, ac nobiles, quorùm exemplum mirificè facit ad cæteros permovendos; his enim ad Chriſtiana Sacra traductis, de plebe non erit magnoperè laborandum, quæ ſponte ſua ad primorum mores formabitur. Qui nomen deinceps Chriſtianæ militiæ dederint, bene, ac lautè à te accipiantur., ut ex eorum commodis cæteros faciliùs allicias: omnes itaque, ac ſingulos, utcumque tenues, ac miſeri fuerint, patrocinio, ac favore noſtro dignos exiſtimes. Hæc ad te nunciare placuit, ut, quemadmodum de tua dili-

diligentia, ac cura confidimus, ubicumque opus fuerit, adhibito remedio, provideas: quod ſi feceris, non mediocriter Divinam gloriam amplificabis, tuoque erga nos obſequio non exiguum pondus adiicies. Almeirini VIII. Idus Martias. A Chriſto nato anno Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto.

70 Ex iis, quæ in hac epiſtola retulimus, ea tantùm Joannes executioni mandavit, quæ per bellum licebat: videlicet armis perpetuò diſtractus, dum Indicam rem adminiſtravit, militum licentiam cohibere vix potuit; hi enim belli tempore ad corrumpendas leges, proniores ſanè, quàm ad mores corrigendos videbantur. De illius tamen erga Religionem ſtudio non levia certè argumenta ſuppeditabit hiſtoria: Deus quippe prodigiis, ac miraculis viſus eſt illi non ſemel gratificari. Unum breviter quidem, ut meo more faciam, referre placet, quod in Molucis accidit, eo imperante.

Succeſſus mirabilis in Molucis.

71 Affulſerat iis Inſulis Evangelii lux opera S. Franciſci Xaverii, qui, utpote Dominicæ vineæ cultor fideliſſimus, eas regiones labore, & induſtria ſua magnam partem à ſpinis, carduiſque infidelitatis repurgaverat: tametſi primus eorum tractuum cultus Antonio Calvano Luſitanorum Duci perſtrenuo debeatur, qui jure, ac merito illarum gentium Apoſtolus dici poteſt. Reſpondit labori fructus uberrimæ meſſis; complures enim ſalutaribus aquis regenerati ſuaviſſimo Chriſti jugo cervices ſuppoſuere, tum è plebe, tum è Regibus, ac Principibus, qui ad ſuſcipiendam Chriſti legem apprimè dociles extitere. Ægre admodùm Dœmon patiebatur cœleſtem lucem tenebris illarum gentium affundi ad viam rectè vivendi commonſtrandam. Quapropter contra inno-

innocentes neophytos potentem Ethnicum inflammavit, qui, occupata per vim Mauri Inſula, Tyrannidem exercebat: Tolo Tyranno nomen. Is tartareo ſuccenſus odio neophytos inſectari cœpit, ac cogere crudelem in modum cruciatos, ut à ſuſcepta fide deſciſcerent, quam tamen plures, fuſo conſtanter ſanguine, teſtati ſunt: tametſi alii, quodam Fidei languore, tormentis minores ab ea defecerint. Creſcebat in dies tyranni rabies, & inſolentia, non mediocri Luſitanorum injuria, qui tandem in obſequium Chriſtianæ Fidei, ac rei publicæ commodum coacti ſunt meritas de nequiſſimo Idolorum cultore pœnas repoſcere. Crebræ ad eos Ternate commorantes, miſerorum vehementer timentium deferebantur querelæ: quapropter in eam deliberationem venerunt, ut Barbarum tyrannico dominatu impotenter abutentem coercerent. Itaque, paratis ad bellum neceſſariis, majori ſanè contentione, quàm viribus invadere eum conſtituunt domi ſuæ. Id verò tam occultè fieri non potuit, quin tyrannus venientes perſentiſceret. Ut ſe ergo defenderet, Inſulæ introitus fortiſſimo vallo, paliſque fiſtuca altiſſimè adactis, munivit. Has verò munitiones ſi forte noſtri ſuperaſſent, militarem viam, cæteroſque aditus, per quos ad urbem iter patebat, infixis in terram ſtipitibus præacutis, ferreiſque muricibus veneno infectis contexerat, per quæ ſi Luſitani, ira, ac victoria præcipites graderentur, nullo remedio interirent. Ita planè accidit. Prima enim palatione ſuperata, quam barbari, inſtructis à tergo dolis fortaſſe freti, facili negotio reliquerunt, cum noſtri incautè omnino progredi properarent, & in terga fugientium acriùs incumberent (mirum ſanè!) tantum repentè cineris de Cœlo delapſum eſt, ut coge-

ret tandiu victores ſubſiſtere, dum, reddita Coelo ſerenitate, cœptum victoriæ curſum proſequerentur ſuper ſtipites, quorum aculeos cinis æquato ſolo innoxios fecerat, & iter tutiſſimum venientibus complanaverat. Id ipſum Barbari non ſine admiratione teſtati ſunt, quibus ejuſmodi miraculum argumento fuit, ad comprobandam Chriſtianæ Fidei veritatem, quam tantopere perſequebantur.

72 Ita in Aſia, Joanne de Caſtro imperante, Chriſtiana Fides, & Luſitanorum Imperium propagabantur. Dum enim Religionem altera manu, alteram enſem ſuſtinebat, præclarè Chriſtianus, & Dux egregius, illuſtrium facinorum famâ totum, quàm latè patet, Orientem implebat. Mirabantur enim ad unum omnes ſuſceptum ab eo ſponte bellum in Mauri Mealis tutelam, cui licèt legitimo Regni hæredi, ſui fidem, Principes conſanguinei præſidium negaverant.

73 Exiguo tamen ſpatio permiſit Aſia victori, ut triumphali otio requieſceret. Illum quippe novo difficilioris belli ſtrepitu Cambaja protinus excitavit, cujus procul voces, quaſi repercuſſo ſono, Goa exaudiebat. Id verò, quia hiſtoriæ noſtræ pars eſt præcipua, in eo, qui proximè ſequitur, libro referemus.

Finis Libri Primi.

VI-

VITÆ JOANNIS DE CASTRO INDIARUM PRO-REGIS QUARTI,

LIBER SECUNDUS.

1 BADURIO Sultano Cambajæ Rege è vivis ſublato, Aſiæ Principes timere magis, quàm amare Luſitanum nomen cœpere; illius quippe nefariæ machinationes cum in occulto eſſent, ſumptum verò de illo ſupplicium in oculis omnium verſaretur, Badurii caſui mirum in modum hominum judicia ſuffragabantur: ſive inſita à natura in miſeros commiſeratione: ſive Regiæ dignitatis reverentia: ſive demum (quod vero ſimilius eſt) odio Luſitani Imperii, à quo, tamquam peregrino, & præpotenti, omnes non mediocriter abhorrebant.

Cambajæ Rex Dium obſidere ſtatuit.

2 Itaque Mamudius Cambajæ Rex, Regni juxta, atque injuriæ relictus hæres, Badurio ſucceſſerat (hujus mortem accidiſſe, Nonio à Cunha Prætore, hiſtoriæ noſtræ commemorant) Is gloriæ, & ultionis æquè cupidus, initó cum finitimis Principibus fœdere, ſtatuit Dium eripere Luſitanis, eoſque ab India longiſſimè exturbare. Quæ ſanè res (ſuorum opinione) non ita difficilis, & operoſa videbatur. Luſitanam enim Ditionem inſtar eſſe monſtroſi cujuſdam corporis plerique affirmabant, quod, cum in Occidente remotiſſimum à partibus cæteris haberet caput, membra à ſe ipſo diviſa nutriebat, ſpatio propemodum infinito, tot maribus, terriſque interjacentibus: Cambajæ verò vires tam validas eſſe, ac præpotentes, ut nos varias ob cauſas non mediocritèr labefactatos, non modò victoria, ſed ruina ipſa poſſet opprimere. Satrapes, ac cæteri Regni nobiles in alias alii ſententias abibant. Alii enim Luſitanorum arma Cambajæ fatalia augurabantur, infelicem belli exitum conjicientes ex infortunio priſtinæ obſidionis, cujus recentiſſima damna memorabant, & quamquam ex Badurii morte ad perſequendam injuriam incitarentur, memorata tamen eorum patientia, quos læſeramus, ſuam excuſabant: qui fuerant olim conciliandæ nobiſcum pacis authores, & qui modo bellum ſuadebant, æqualiter arguebantur: hi, quod datam frangerent fidem, illi, quòd illatæ ſibi injuriæ fœditatem non æſtimaſſent. Alii contrà (ut in incerto plerumque fit) oppoſitam ſententiam ſuſtentantes, totidem ferme inferendi belli, ac victoriæ certò ſecuturæ cauſas inveniebant.

Dienſem obſidionem ſuadet Coge-Sofares.

3 Coge-Sofares verò, omnium, qui in Cambaja degerent, opibus, & invidia primus, utpote qui è Regis gratia, & familiaritate optimum ſibi fructum

col-

colligeret, bellum cautè callidus ſuadebat. Conjiciebat enim in communi periculo fortunæ ſuæ reſtinguendam facilè invidiam, Principumque æmulationes quieturas (quæ duo pacis familiaria vitia eſſe ſolent) nec dubitabat præterea, quin, ſi militiæ gradus, & munera ipſe divideret, multorum ſibi de novo conjungeret amicitias, qui beneficii memores, ſervata benemerito fide, gratiam rependerent. Hujus, quia ſæpè ſæpius in hoc opere mentio facienda neceſſariò eſt, originem brevitèr, ac mores ſubtexam.

4 Coge-Soſares natione Epirota, ex optima radice degener fructus, Chriſtianos parentes ſortitus eſt. In bellis Italicis ad aliquot annos ſtipendia meruit, inſolentia, quàm militari virtute clarior: ad ſeditiones, & tumultus, tanquam omnium turbulentiſſimus quærebatur: hac morum licentia plures annos exegit præmii, ac pœnæ omnino expers: verùm, ut erat ingenio prorſus inquieto, fortunam quærere maluit, quàm expectare. Itaque, mutata vitæ conditione, ab armis ad mercaturam ſe tranſtulit: quippe, cum eſſet præclarè intelligens, ac bene cupidus, ad cogitata perficienda tutum iter habebat, & expeditum. Rem brevi mercaturis faciendis amplificavit. Habebat enim omnes commercii opportunitates probè perſpectas, uno eodemque tempore liberalis, & avarus, vitiis, ac virtutibus in rem ſuam, prout tempora exigerent, callidiſſimè utens. Sortem demum, & fidem ita auxit, ut tribus ſuo ſumptu ædificatis celocibus, ac varia merce onuſtis ad Herculeum uſque fretum mercator locuples navigaret. Hìc in Racem-Solimanum Babilonici Sultani Præfectum vix incidit, oppugnatus ab eo, victus, & ſpoliatus eſt. Præda ſane victoriâ ipsâ ma-

Quis eſſet Coge-Soſares.

major fuit: victum Solimanus ad famæ ſuæ commendationem perhonorificè habuit; perſonam enim, quàm prædam pluris faciens, Sultano Sofarem obtulit, non tanquam unum de plebe, ſed tanquam hominem primæ notæ. Ad ærumnam ſuam ita ſe finxit Sofares, & accommodavit, quaſi eam conſultò, ac de induſtria quæſiviſſet. Militarem ille quidem ſcientiam, quam in Italicis Belgiciſque bellis uſu didicerat, non parùm callebat: quapropter, cum de Chriſtianorum Principum potentia verba faceret, odium ſemper, & contemptum in eos præſeferebat: quaſi Sultanum de viribus copiarum ſuarum docere vellet. His artibus illectus ſenſim Sultanus æquioribus oculis mancipium ſuum aſpiciebat: aures illi primùm ex curioſitate, ex animo demum libentiſſimè admovit. Rectè, ſeu perperam Sultanus ageret, probabat omnia Sofares promiſcuè, tam callida, tectaque ſimulatione, ut adulatio ipſa libertas videretur; ſervire enim tantùm, nullo modo Principi placere ſe velle oſtentabat. Initam his artibus à Sultano gratiam occultabat diligentiſſimè, cavebatque cautior, quàm modeſtus, ne palàm gratioſus haberetur. Ærarii tandem Babilonici honeſtiſſimam Præfecturam adeptus eſt, fideliſſimo cuique credi ſolitam, quam rectè, ac prudenter adminiſtravit: quæ duæ virtutes, tanquam inter barbaros inuſitatæ, Sultani commendationem meruere. Siqua eſſet in Chriſtianos expeditio ſuſcipienda, bellum, animosè, ac ferociter lato ſuffragio, ſuadebat: præcipuè cum arma, non ſua, ſed aliena manu tractanda eſſe intelligeret. In hunc modum gratia, & opibus adeo crevit, ut fortunam ſibi plus æquo blandientem ferre non poſſet: verùm, cum iis artibus uti negligeret, quibus ad ſumma creverat, ſtatim, detracta perſona,

na,

na, ſuperbia, & ambitio prodiere. Magiſtratus tanquam ſibi uni debitos occupavit, honeſtiores in Republica gradus diligentiùs quærens, quàm amicos, quorum jam præſidium, atque adeo ſocietatem ipſam reſpuebat. Optimates Reipublicæ ſpecie, arduis, ac ſumptuoſis expeditionibus implicitos evertebat: perinde, ac ſi novum Monarchiæ genus vellet inducere, diviſo inter duos imperio. Sed Mauri tam ſervili patientia fatigati, ad reſtinguendam Soſaris gratiam, cœperunt publicè conqueri. Igitur acceptas injurias apud Sultanum magno doloris ſenſu explicantes, ſupervacaneum eſſe dicebant, armatas claſſes in Chriſtianos immittere, ſi deberent, ſibi deinceps tam ſingulari arrogantia mancipia dominari, eo ipſo tempore, quo capti Turcarum primores crudeliſſimè à Chriſtianis accipiebantur: coacti nimirum per univerſam Italiam, & Hiſpaniam ſerviles catenas indecorè trahere, & inuſtas fronti infamibus literis ſervitutis notas publicè circumferre: intolerabile omnino videri, præcipuos Turcarum Præfectos à viliſſimo mancipio leges accipere: injurias ſuas, etſi quotidie iteratas, aliqua ratione ferri poſſe: intolerabiles tamen eſſe, quæ Prophetæ ſuo inferrentur; neque enim Sacras illius ædes adibat viliſſimus nebulo, & pro ſua ſuperbia ſanctiores cæremonias aſpernabatur: nihil aliud tandem gratioſæ audaciæ deeſſe, quàm ut in publico Babilonis foro Soſares Cruces erigeret, & adoraret.

5 Hæc tam liberè pronunciata ſunt, ut ſeditioni, quàm querelæ propiora viderentur. Quia verò ad privatas injurias adjungebatur etiam patriæ Religionis contemptus, quæ juſtas facere querelas ſolet, & populi benevolentiam conciliare, ſuorum expoſtulationes facili negotio Sultanus admiſit. Soſarem

illico

illico collatis muneribus exſpoliavit, coegitque à vera ad falſam Religionem deſciſcere. Adeo caduca eſt Principum gratia, vel erga illos, quos ad ſummum honorum apicem beneficio ſuo evexere.

6 Sofares igitur de Sultani gratia dejectus, priſtinam animi demiſſionem rurſus induit, & ad eas artes ſe contulit, quas temporum neceſſitas edocebat: &, quia Chriſtianæ ſanctitatis nihil ſervabat omnino præter memoriam, ac nomen, facili negotio ſalutarem Chriſti legem cum peſtifera Mahometis ſecta permutavit, ſumpto Coge-Sofaris nomine, pro eo, quod in Baptiſmo acceperat: quod cum ignoraremus, neceſſaria temporis anticipatione, Sofarem hucuſque appellavimus. Factus itaque Mahometis cultor, arctiùs ſibi Turcarum benevolentiam devinxit: æmulorum odia largitionibus, plebis ſimultatem, facta à Chriſto defectione, deliniens. Purgata in hunc modum infidelitatis ſuſpicione, cautiore, quàm antea feciſſet, ambitione ſe gerebat: qua de cauſa majore affabilitate erga inimicos, quàm erga extraneos utebatur. Cum tamen inſtabilem, verſatilemque Sultani animum probè noſſet, ſecundæ ruinæ prudenter timidus (neque enim reconciliato Barbaro ſatis fidebat) Race-Solimano, quocum capitaliſſimas egerat inimicitias, una cum filio, nocturna proditione obtruncatis, compilatiſque ſcriniis, magnam auri, gemmarumque vim ſecum auferens clanculum ad Cambajæ Regem ſe tranſtulit. Hujus ille quidem magnificentiam, & liberalitatem celebrari ſæpiùs audiverat, nec ignorabat peregrinis hominibus multum ab eo tribui, præcipuè, ſi in bellicis, ac politicis Europæ rebus non leviter eſſent verſati. Opinionem non fefellit eventus; brevi nimirum factus eſt apud Badurium non mediocriter gra-

Quomodo venerit in Cambajam.

gratioſus: fortunane, an induſtria ſua, non affirmaverim; ejus quippe inſeparabilis comes in utraque fortuna victorem, ac victum, felicem, & ærumnoſum ad mortem uſque, ut noſtri annales prodidere, ſequutus eſt. Jam verò tam largè auctus regia benevolentia ferebatur, ut opibus, & authoritate uni tantùm Regi concedens, cæteris anteiret. Eadem deinde apud Mamudium gratia floruit, quem ad ulciſcendam Badurii mortem acriter inflammabat: tum propter ea, quæ ſupra retulimus, tum ut, amore, ac fide erga defunctum Regem exhibitis, faciliùs novi Principis gratiam aucuparetur. Itaque in hæc verba apud Regem, Satrapis circunſtantibus, locutum ferunt.

7 *Singularia beneficia, quæ de Badurio profecta in me ſunt decennio toto, nemo veſtrum eſt, qui ignoret: novere exteri, regiam erga me magnificentiam admirati, novere domeſtici, non ſine magna invidia fortunæ meæ. Auxit, ornavitque me, & tanquam tenuem terræ vaporem in altum evexit, nec ſolùm popularibus ſuis, verùm etiam domeſticis exterum, & peregrinum præpoſuit, clientem habuit amici loco, & velut filium dilexit. Clementiſſimum in me Principem (cujus cineres tanquam Domini, adhuc veneror, & ſuſpicio: tanquam patris amantiſſimi, amarè defleo) violata pacis, ac fœderum religione, Luſitani ſuſtulere, edito in cæteros Reges impunè ſæviendi peſſimo exemplo, irrogataque nobis, qui Badurio ſerviebamus, graviſſima injuria: & ſanè tanto nos Rege indignos fuiſſe oſtendimus; nimirum omni miſerationis ſenſu carentes, acceptiſque ab eo beneficiis ingrati, nequiſſimos homicidas domi noſtræ alimus, patimurque, reclamantibus naturæ legibus, ut ea arce, tanquam hæreditaria perfruantur, quam paulò antè hoſpites, nunc tyranni* Coge-Sofaris Oratio pro Dienſi expeditione.

atrociſſimo facinore munivere. Tuum itaque eſt, Princeps inviċtiſſime, qui hæreditario jure Badurii locum, ac partes tueris, tuum eſt, inquam, ſtatuere, utrùm Regi noſtro priùs, an importuniſſimis hoſtibus ſervire debeamus. Illis quidem patientia noſtra animos addet, & acuet audaciam. Ubi ſummum crimen ſemel admiſerint, quodnam, rogo, deinceps leve non duxerint? Quis injurias audaċter non inferat, ſi viderit impunitas? Imponamus igitur mortifero lethargo finem, manuſque noſtras crudeli hoſtium ſanguine largiſſimè cruentemus: hoc veneno acinacem noſtrum imbuamus, ut vita tandem ſpoliati, illatis noſtro nomini injuriis gloriari ultrà non poſſint. Ex Badurii ſanguine maximam atrociſſimi criminis famam, Luſitana arma retulere. Quid igitur enſem in hoſtium manu relinquimus, quo Regis noſtri jugulum petivere? An verò expeċtamus, dum eodem rurſus armati regnum univerſum invadant? Venenatas igitur à nobis viperas amandemus, in extremis occidui Solis plagis in lucem editas, ad totam, quàm latè patet, Aſiam inficiendam. Quæ ne forte magnificentiùs, quàm verius à me diċta exiſtimetis, editas ab iis ſtrages, quas ipſi viċtorias vocant, commemorabo. Ac primò quidem (ut ab eo Gama incipiamus, cui maria à tot tam retro ſæculis contumacia, fatale iter ſtravere ad perturbandam Orientis pacem) is profeċtò fuit, qui Zamorinum Calecutanum invaſit, ac crudeliſſima clade primùm afflixit. Is Arabicas naves, quæ ad præſidium Prophetæ noſtri pacatiſſimo mari navigabant, pyratica audacia aggreſſus, feliciter expugnavit, marinique inſtar monſtri, inſtabili aquarum domicilio tot annis uſus, famulos ad nutum ventos, & tempeſtates habuit obſequentes. Franciſcus verò de Almeida, qui Gamæ ſucceſſit, uno, eodemque die Ægipti, Cambajæque ornatiſſimas claſſes funeſta clade delevit. Idem

ad

ad ulciſcendam filii mortem, totius Orientis ſanguinem ſitire videbatur, niſi cruentum illi enſem de manibus Albuquerquius eripuiſſet, inchoati imperii, & crudelitatis ſucceſſor Almeidæ datus. Hunc ſi Regum Orientalium damno, injuriæque inferendæ natum dixerim, non mentiar profectò. Malaca enim expugnata, meridianis latè regionibus frænum impoſuit: Armuziam, emporium omnium locupletiſſimum, cepit: ereptam Sabajo Goam, tyrannici Imperii ſedem conſtituit: plura ſibi regna fecit ſtipendiaria, quàm milites numeraret, quin tamen Xerſis, aut Darii immenſos exercitus ſecum duceret: ipſum Prophetæ Corpus de Sacris Mecæ ædibus rapere, & aliò transferre audaciſſimè cogitavit, &, nequid inauſum relinqueret, duplici ſimul injuria Ægipti Regem, ac naturam ipſam afficiens, ſuis in conſilium adhibitis, de mutando Nili curſu ad Ægiptiorum campos pro libito inundandos, deliberavit. Multorum verò ambitionem ſi velim ſingulatim referre, qui damno noſtro illuſtres extitere, vehementer timeo, ne id ipſum, vel per temporis anguſtias, vel per infirmas memoriæ vires eloqui nequeam. Oculos tamen, ac mentem producite, ſi placet, ad remotiſſimas Orientis partes: videbitis profectò meliorem terræ partem ab infirmo paucorum dominatu leges accipere. Navigant illi quidem ex ea Africæ parte, quæ de Promontorio Bonæ Spei ad ipſas Perſici freti fauces protenditur, ibique obtinent Mozambiquium, Sofalam, Quiloam, ac Mombazam: diſcurrentes deinde per promontorium Aromata, vulgò Guardafù, ex ea parte, quæ vergit ad interiora Erythræi maris Adenum, Xaelem, Heritum, Caxemumque occuparunt. Eorum claſſes aſſiduè excurrentes timent Doſaris, ac Norbetis oppida ad promontorium Fartaquium, ac præterea Curia, Muria, Rozalgatum. Hìc Armuzia, illic Queixoma Inſula ſita eſt:

Curiatum, Calzyatum, Maſcatum, Orfaſanum, ac Lima proximè ſequuntur: oppida ſanè non contemnenda Felicis Arabiæ, deinde Aſaborum promontorium, Jazquiumque freti fauces efficiunt, quod ad Indum uſque fluvium excurrit. Ex noſtra Guzarata, ac Cindo, quæ ad noſtram Cambajum pertinent, ad promontorium uſque Comariæ, vulgò Comorin, impunè volitant Luſitanæ naves latiſſimo trecentarum leucarum ſpatio, ductoque curſus initio ab hac noſtra Cambajæ urbe, Madiganum, Gandaram, Barocum, Surratam, Reyneram, Moſcarinum, Damanum, Taraporam, Bazainum, Claulum, Bandorem, Ciſardanum, Galantiam, Dabulum, Cortaporem, Carepatanum, Tamegam, Bandam audacter prætervehuntur. Goam, Prætorum ſuorum, & Imperii ſedem poſuere, & in ora Canaræ litorali Onorem, Baticalam, Bracelorem, & Mangalorem obtinent: præter hæc in ora Malabarica regnum Cananoris, ubi ſunt Catecoulanum, Marabia, Tramapatanum, Maimum, Parcpatanum. Nec minore ſuperbia Calecutano Imperio imminent, ac minantur, Pandaranæ, Coulatæ, Charæ, Capacatæ, Parangalis, Tanoris, Pananis, Balcanſoris, & Chalvæ portubus occupatis. In Regnis Cananorenſi & Cocinenſi, abſoluto penè dominio imperant Porcæ, Coulano, Calecoulano, Dotoræ, Biringiæ, ac Travancori. In hunc modum terrorem claſſium ſuarum ad ipſam uſque Comariam extendunt: hujus è regione Taprobana veterum, nunc Ceilanum, mari undecumque circumdatur, unde pretioſas diverſi generis merces adſportant. Nec ſinu Gangetico abſtinent, ultrò citròque commeantes, Tacancurim, Manaparem, Vaiparem, Calegrandem, Cerchapalem, Tutucurinum, Calecarem, Beadalem, Canhamorram radunt minitabundi. Nagapatanum etiam perveniunt, Naborem, Triminipatanum, Trangubarem,

rem, Coloranum, Calapatam, Sadrapatanum. Quid quòd multitudine, ac mole navium ſuarum Biſnagariam, & Orixæ importuoſam oram perterrefaciunt, ac præterea totum illud ſpatium, quod ex Oppido Segopura Oreſtanum, & Gangis fauces interjacet? Tranſvecti etiam ultra promontorium Negraes, regna Arracanum, Peguanum, innumeraſque, ac planè miras permeant inſulas. Præter hæc Vagatum, Martavanum, Tagalam, Favayum, Tanaſarim, Longurium, Tairanum, Quædam, Solungorem audaci curſu prætereuntes, ſuam uſque Malacam, quæ Archipelagi illius caput eſt in parte auſtrali aureæ Cherſoneſi, impunè navigant. Superato deinde promontorio Sincapurano, anchoras pro libito jaciunt in portubus regnorum Syamenſis, Camboyani, Ciampani, & Cocincinenſis, Hinc ipſos Sinas prætervecti, audent Imperium ampliſſimum, & ab omni advenarum commercio, quàm remotiſſimum, ex omni parte percurrere: ibi Macaum celebrem urbem condidere, unde ſuam ad Sinenſes Religionem tranſmittunt, commercio ipſo utentes ad eam latiùs propagandam. Hinc ad innumeras Japponum inſulas curſum deflectunt, Javam, Timorem, Borneum, Bandam, Molucas, Lequios inviſunt. Itaque infatigabili curſu Luſitanæ naves majorem terræ partem circumeunt, confecto ſpatio novem mille leucarum, eoque amplius: quam ſanè difficillimam navigationem, ambitione, ac fortuna ducibus, ſuſcepere. Hæc ego quidem maritima Aſiæ ſpatia largiùs fortaſſe, quàm par erat, commemoravi, in quibus Luſitanum nomen, vel dominatione, vel commercio dilatatum eſt, quia unde cæteri ex tam diſſitis Imperii finibus Luſitanorum opes mirificè augent, & extollunt, tanquam mirè præpotentes, ego contrà debiliſſimas eſſe conjicio. Cum ſit enim in Occidente Luſitaniæ Regnum ſpatio breviſſimum, ac per-

perpetuis finitimæ Africæ bellis diſtentum, proſperis, adverſiſque eventibus æquè atteritur; populum enim minui neceſſe eſt, ſive in prælíis occumbat, ſive ad captarum arcium præſidium abſtrahatur. Nunc verò, nativo ſolo multitudinem hominum non capiente, à ſuo quodammodò cœlo abhorrentes, per totum ferme terrarum orbem vagantur extorres, uſurpata hominum, ventorum, atque terrarum dominatione. Æſtiment modò, per me licet, qui rudiore præditi ingenio non ita multum vident: æſtiment, inquam, quàm parùm timendæ ſint vires inter ſe adeo diviſæ, ac diſtantes, quæ ſuis ipſæ victoriis in optimo fortunæ curſu ſenſim intereunt, atque decreſcunt. Quid, amabo vos, de imaginario ſtultorum imperio vobis timendum arbitramini, qui alterum in Aſia, alterum in Europa brachium protendentes, univerſum terrarum orbem complecti putant? In India quidem ſubjectos Principes habent complures, amicum neminem. Eos, quotquot in hac florentiſſima orbis parte dominantur, tempori ſervientes, adorant quidem in ſpeciem, ſed verè abhorrent; cum nullo quippe Luſitani pacem firmavere, niſi poſt ſtrages, & cruentas victorias: ita non amore, ſed injuriis per vim conciliati omnes ideò Luſitanis ſerviunt, quia ad lædendum vires non ſuppetunt. Quid tamen fiet, ubi Mamudium cum ſuis armatum ad ultionem in acie viderint? Quis dubitat, omnes, qui vel ſemel ab eis læſi fuerint, nobiſcum militaturos? Tametſi multos, quos armis ſibi ſtipendiarios fecere, defendant modò Luſitani, oblivioni faciliùs beneficia, quàm injuriæ obnoxia ſunt. Selimus, Turcarum Imperator fortiſſimus vulneratos apud Dium Prætorianos ſuos, nondum obductis vulnerum cicatricibus, probè reminiſcitur, & qui injurias pati tam parùm didicit, oblatam ſibi doloris ſui ulciſcendi occaſionem abire non patie-

patietur: eum, vel primum belli authorem, vel certè ſocium expectatote: Ut enim ambitioſus eſt, dominationem ſuam ad optimam mundi partem, quàm libentiſſimè proferet. Zamorinus verò à primo in Orientem Luſitanorum adventu vix portum aliquem poteſt oſtendere, ubi victus ab iis non fuerit, nec aliquem ex ſuis facilè reperiet, qui à Luſitanis enſibus ſauciatus ſanguinem non effuderit. Hidalcanes demum ſanguine, ac cædibus quotidie manantes Bardeſios, ac Salſetanos campos videns, ſibi certè non deerit; ægrè nimirum feret Goanum Prætorem, accerſito Goam Meale, poſt illatum ſibi contra jus gentium bellum atrociſſimum, quæſiviſſe cauſas injuriæ aliena juſtitia honeſtandæ. Quapropter omnes latè Principes contra communem hoſtem arma ſuſcipient, ut priſtinæ tandem libertati reſtituti, excutiant aliquando jugum probroſiſſimæ ſervitutis. Quod ad me attinet, liberos, facultates, vires, me ipſum offero in aleam juſtiſſimi belli, in quo ſi nomen, ac genus meum penitus extinguatur, profuſo libenter ſanguine meam Badurio fidelitatem probabo; quem enim cumque exitum res ſortiatur, mortem non minùs, quàm victoriam mihi honorificentiſſimam arbitrabor.

8 Propoſitæ a Sofare inferendi belli validæ rationes, cum odio cauſæ, tum hominis authoritate, libenter, & cum plauſu auditæ. Itaque Mamudius, poſt commendatam ampliſſimis verbis illius fidem, eidem, tum ſtudio, tum militaris diſciplinæ uſu cæteros longè ſuperanti, bellicam exqeditionem commiſit. Ille è veſtigio totis viribus apparatum belli cœpit urgere, miſſis ad finitimos Reges Legatis, qui veterum injuriarum memoriam refricarent, & ſocias Cambajæ vires offerrent communi injuriæ ſarciendæ profuturas. Oratores etiam Conſtantinopolim miſit,

Sofaris rationes probat Sultanus, eique Dienſe bellum committit.

ſit,qui Turcicum Imperatorem ſolicitarent ad reſarciendam militum ſuorum infamiam, expulſis ab India Luſitanis, quod non modò Religioni, ſed etiam Ditioni ſuæ perutile futurum aiebat. Ad impetranda verò faciliùs militum auxilia, quæ poſtulabat, amplum, & pretioſum munus præmiſit, quod Turcicam avaritiam ad invadendas potiùs, quàm ad defendendas Cambaiæ divitias invitaret.

Joannes Maſcharenhas Dienſis Præfectus Prætorem monet.

9 Dienſem arcem adminiſtrabat ea tempeſtate Joannes Maſcarenhas, quem pervetuſta generis claritas in Luſitania, militaris virtus in India eximiè commendabat: vir ſanè omnium ſuffragio famam, & fortunam ſuam æquè promeritus. Is ſecretis nunciis, Sofaris cogitata præſentiens, totumque belli apparatum in arcem ſibi commiſſam deſtinari; de re tota Goanum Prætorem per literas certiorem fecit, ſignificavitque ſe non modò milite, ſed bellicis inſtrumentis ad defenſionem neceſſarijs non mediocriter deſtitutum: (quam ſanè negligentiam vel diuturnitas pacis invexerat, vel relata paulò antè de hoſte victoria noſtros plus æquo ſecuros fecerat) ſcribebat præterea, Sultanum, ſcripto jam exercitu, omnibuſque ad bellum diſpoſitis brevi venturum, inſtare hyemem, quæ rigore ſuo omnem importandis auxiliis viam præcluderet.

Prætor ad Sultanũ ſcribit.

10 Hæc antequam nunciarentur, præmiſerat Joannes de Caſtro duas Luſitanorum centurias, Ducibus Joanne, & Petro de Almeida Lupi filiis, ac præterea Ægidium Coutinho, & Aloyſium de Souſa, Cancellarij Luſitaniæ filium, qui eam arcem tutarentur. Præter hæc, ut pleniùs cognoſceret hoſtium conſilia, Legatos duos, Cambajæ peritiſſimos terra, marique cum literis ad Mamudium miſit, cui ſignificabat perlatum ad ſe eſſe de machinarum tranſve-

ſvectione, ac cætero belli apparatu, quo diſtinebatur, de quibus facere ſe certiorem profectò debuiſſet: pro ea enim, qua erat in eum amicitia, ſocius illius expeditionis eſſe magnoperè cupiebat, quod eo maximè tempore aiebat, ſe facilè præſtiturum, quòd haberet in mari claſſem prævalidam, & expeditam, nec deeſſent in Dienſi arce ſtrenui milites, bellicis inſtrumentis inſtructiſſimi, quibus longè gratius foret belli ſpoliis diteſcere glorioſè, quàm tenui ſtipendio ingloria pace tabeſcere. Inter hæc Legatis etiam, atque etiam commendavit, in id præcipuè incumberent, ut ſagaciſſimè hoſtium vires, & auxilia, quaſi aliud agentes, ſcrutarentur, & ex rumore populi, quò barbarorum conſilia tenderent, diligentiſſimè explorarent. Verùm dum Legati proficiſcuntur, Cambaiæ bello aliquantulùm intermiſſo, ea, quæ in Molucis Inſulis facta ſunt Joanne de Caſtro imperante, narrrabimus.

II Molucas Inſulas diù, multùmque Luſitani tenuere: illuc ex Europa navigantes primi omnium eas detexerant, armiſque ſubegerant. Noſtris præterea finibus eæ Inſulæ includebantur juxta diviſionem à ſummis Pontificibus factam inter Luſitaniæ, & Caſtellæ Reges. Habuit itaque Emmanuel Rex jus, tum armorum, tum legum, quod pro ſe mirificè faciebat; Molucas enim non ſolùm, ut armis ſubactas, ſed etiam, ut donatas ſibi legitima hæreditate poſſidebat; eo quippe imperante Divina, humanaque omnia in iis Inſulis pari felicitate procedebant. Miſeras gentes, illius beneficio propagata Evangelii lux illuſtrabat, multique ibi Reges, eo authore, cum Luſitanis legibus Orthodoxam quoque religionem feliciter ſuſcipiebant. Inter multos Emmanuel, qui Goæ Chriſtiana ſacra ſuſcepit, præ-

Jus Regis Luſitani ad Molucas Inſulas.

cipuas Molucarum ſummo cum imperio regebat: Is noſtræ Religionis miſteriis ritè informatus, cum ad ſuos regendos, inſtruendoſque regrederetur, ſupremum Malacæ diem obiit, nullo prorſus è regia ſtirpe relicto hærede: itaque beneficiorum, quæ à Luſitanis acceperat, præclarè memor, Joanni Regi hujus nominis tertio Molucas legavit, confectis ſolemni ritu ſupremis tabulis, nulla prætermiſſa juris formula, ut Regnum hæreditario jure ad Luſitanos Reges transferretur perpetua ſucceſſione. Has Inſulas ſumptu, ac labore incredibili detectas, multo ſanguine ſuſtentatas, meritiſſimo jure poſſeſſas reliquimus tandem Caſtellanis, contrà, quàm Cæſarei juris, ac Geographiæ peritiſſimi doctores ſentirent, ac ſuaderent.

Moluccas Cacili Aeyro poſſidendas Prætor tradit.

12 Cum primùm è Luſitania in Indiam Prætor venit Joannes de Caſtro, invenerat Goæ Aeyrum Cacilem, hominem magnæ apud Moluceníes authoritatis, ac de Luſitana ditione præclarè meritum, & ex omnibus, qui è regia ſtirpe ſupererant, Emmanueli Regi pridem defuncto conſanguinitate conjunctiſſimum. Is tamen variis jactatus fortunæ caſibus ita pauper erat, ut ad implorandam Luſitanorum clementiam in Indiam navigaverit: nec fruſtra. Prætor enim ejus ærumnas, tanquam regio ſanguine indignas, vehementer commiſeratus (magnificentius putans, & ad ornandam Regum noſtrorum memoriam illuſtrius, ſi Regna largirentur potiùs, quàm acciperent,) Regnum illi Moluceníe beneficiario jure poſſidendum dedit, ea conditione, ut directum Regiæ poteſtatis dominium, non tam in eo, quàm in poſteris omnibus penès Luſitanos remaneret. De hujns magnificentia muneris varia fuere Indicorum Regum judicia; id enim alii effuſæ prodi-

prodigalitati, alii contemptui tribuere; illud tamen mirabantur ad unum omnes, qua de cauſa tantopere in eis acquirendis laborabamus, quæ tam facilè, & ſponte noſtra dimitteremus.

13 Hæc dum Goæ agebantur, Molucenſes res trium navium Hiſpanarum adventu non mediocriter ſunt perturbatæ. Illæ quidem longa maris jactatione labefactatæ in eas Inſulas cum fortuitò incidiſſent, facta in Tydorem exſcenſione, ſuos ad reparandas vires expoſuere, ut inde Hiſpano Principi clariora ſuæ conquiſitionis ſigna referre poſſent. His quomodo Luſitani reſtiterint, prætermittam; id enim ad alterius Prætoris tempora pertinet, & meliore jam calamo vulgatum eſt: ea dumtaxat hic delibabo, quæ in Prætura Joannis de Caſtro facta ſunt. Hic igitur Ferdinandum Souſam de Tavora in Molucas miſit ad expellendos Caſtellanos, qui loci copia, ac divitiis invitati, partis alieno labore fructibus potiri ſatagebant, earum Inſularum pace, ac commercio perturbatis, quarum dominium, cum armis, tum hæreditate bis partum poſſidebamus. Caſtellanos regebat Rotericus Lopes de Villalobos, vir ſanè cautior, quàm ſtrenuus. Is, Luſitani nominis fama apud eas gentes vehementer extenuata, ſuperbè admodùm oſtentaverat bellicas vires Caroli V. Imperatoris, cui ſerviebat: commemoraverat præterea egregia commoda, tum ad bella, tum ad commercia ſuſtentanda, quæ in Ethnicos earum Inſularum Reges ex amicitia Cæſaris poterant proficiſci: qua de cauſa (ut homines futuri, quàm præſentis commodi ſpes fortiùs allicit) nonnullæ ex Molucis Caſtellanas partes ſuſcepere, quærentes ad honeſtandam defectionem cauſas, vel omnino leves, vel injurias jam diu ſepultas, & obſoletas.

Hiſpani Molucas petunt.

Hiſpanorum Præfectus quis?

Ferdinandus de Souſa in Molucas venit.

14 Interea miſſus à Goano Prætore Ferdinandus de Souſa Molucas appulit. Is à Jordane de Freitas, Luſitanæ arcis Præfecto luculenter edoctus, quo loco res eſſent, intellexit Caſtellanorum partes invaleſcere ſpe auxiliorum, ac divitiarum, quæ propediem ex Hiſpania ventura ferebantur. Ea de cauſa ſimul ac Rotericus Lopes audivit veniſſe Souſam juſſu Prætoris ad rem, quam ordiri cœperat diſturbandam, volens de induſtria, vel declinare omnino, vel ſaltem differre cum Luſitanis dimicationem, dum expectata ab Hiſpania venirent auxilia, miſit, qui eum ſuo nomine convenirent, datiſque literis officii plenis, revocabat illi in memoriam: vivere nos inter Ethnicos, qui nihil vehementiùs cuperent, quàm Europæos videre mutuis diſſidiis diſſociatos, ut ſe pro libito regerent, arbitris rerum ſuarum prorſus remotis: ſatis eſſe nobis bellorum, & hoſtium in India: nimis exiguo numero eſſe Luſitanos, ſi vellent ſoli regionem ampliſſimam occupare: armorum nobiſcum ſocietatem ſe libentiſſimè initurum, ut faciliùs Barbaros dicto audientes haberemus: eſſe ſuos, tanquam Hiſpanos, ad militiam idoneos, tanquam Catholicos, ad ſervandam amicis fidem religioſiſsimos: rogare ſe demum, diligenter perpenderet, utrùm nobis fructuoſior eſſet Cæſaris amicitia, an Molucarum caryophyllum; fieri enim facilè poſſe, ut ex iis, quæ in India agitabantur, diſſidiis, periculoſior in Europa belli fragor oriretur, more militarium cuniculorum, qui ab eo, ubi incenduntur, loco, ſolent quàm remotiſſimè facta eruptione peſtem diffundere.

Hiſpanus moras nectit.

Souſæ Reſponſio.

15 Huic epiſtolæ, quæ minis, & adulationibus conſtabat, reſpondit Souſa: exiguo ſe quidem eſſe corporis habitu, animo verò ita magno, & firmo, ut quàm

quàm citiſſimè deliberaret, & deliberata perficeret. Intelligeret itaque, Molucas Inſulas ad Luſitanum Regem pertinere, qui juſtam earum poſſeſſionem eodem, quo ſubegerat gladio, non minùs ſtrenuè, quàm obfirmatè poſſet defendere: non ignorare ſe quidem, quod ipſe Hiſpanus eſſet, & egregiè Catholicus, neutrum tamen titulum ſatis eſſe, ut ſuo ſe pallio ſpoliaret: Cæſarem verò non priùs illaturum Luſitanis bellum, quàm in Caſtellanis annalibus deſcriptos anteceſſorum ſuorum ſucceſſus legeret: eligeret proinde de duobus alterum, utrùm vellet cum ſuis illico in Indiam proficiſci, an clauſus in ea arce tandiu degere, unde deinceps tuta, commodaque tranſvectione in Hiſpaniam renavigaret.

16 Ex hac literarum acerbitate facilè intellexit Caſtellanus, Souſam ad rem tranſigendam lentis remediis non uſurum. Quamobrem, cum nec reſiſtendo par eſſet, nec honeſtæ obedientiæ pateret locus; reſcripſit iterum ad Luſitanum, è communi re eſſe, ut, ſuſpenſis inimicitiis, Reges ſuos de re tota docerent, ut ii pacificè inter ſe de negotio ſanè difficili poſſent tranſigere: nimirum, ſi iis antea non præmonitis, mutuis utrinque vulneribus cruentum bellum ageretur, utrumque Regem ad ulciſcendam ſuorum injuriam arma neceſſariò ſumpturum: meminiſſet præterea ſua cuique nationi jura, & injurias eſſe, quæ pacis beneficio diſſimularentur: quapropter ignem diuturnæ oblivionis cinere, vel extinctum, vel langueſcentem ne ſuſcitaret: ſciret demum Caſtellanos, ſi cum juſta querela coacti abirent, injuria revocatos cum majoribus viribus facillimo negotio redituros, nec, quòd modò morbis, & maris jactatione labefactatos videret, ideo contemnendos arbitraretur; nam ſi ad iniqnas conditiones per vim

Perſtat Hiſpanus in ſententia.

per-

pertraherentur, pro certo haberet, Hiſpanos magis pro animi ſui magnitudine, quàm pro temporum neceſſitate facturos.

17 Ejuſmodi verborum ampulloſo circuitu, aliiſque permultis, quæ aliundè nunciabantur, probè edoctus eſt Souſa Caſtellanos de induſtria moras ſerere, ut imperata non facerent: paucis itaque, ſed efficaciſſimis verbis reſpondit: inutilia atgumenta prætermitterent, & jus ſuum, ſi quod eſſet, ſtrictis gladiis, & explicatis vexillis perſequerentur.

Præfecti invicem colloquuntur.

18 Ex his Rotericus machinationes ſuas, vel in aperto eſſe, vel contemni ſentiens, vinci ratione, quàm vi ſatius duxit: reſcripſit igitur, ſe in craſtinum cum tribus tantùm ſociis ad mare venturum: veniret ipſe cum totidem, ut de promiſſi itineris conditionibus invicem deliberarent. Ita factum eſt: ex arce deſcendit Souſa, & phaſelo ditiſſimè ornato cum ſuis impoſitus, ad Caſtellanos, qui venientem opperiebantur, rectà contendit. Diu mutuis officiis certatum eſt, uter ex Ducibus in alterius naviculam tranſitum faceret. Vicit tandem Rotericus, & ad Souſæ phaſelum ſe tranſtulit, ubi inter mutua urbanæ hoſpitalitatis officia opportunus ad negotium diſcutiendum factus eſt locus.

19 Explicuit igitur Souſa admodùm moderatè præcipuas, ac validiores Luſitani juris rationes, & conſignatas fide publica tabulas protulit, quæ mutuo utriuſque Regis conſenſu firmabantur. Libenter illas Rotericus inſpexit; inde enim purgare ſe commodè poterat, quòd ab incœpto receſſiſſet. His itaque conditionibus inter eos convenit, ut Caſtellani intra tridui ſpatium in noſtram Ternatenſem arcem ſeſe reciperent, unde, commodata nave, in Indiam ſolverent, ac ſecum merces, pannos, & quæ ferrent

arma

arma liberè adſportarent: cautum præterea eſt, ne Tydoris Rex, qui ab Hiſpanis partibus ſteterat, à nobis incommodi quidquam pateretur. Pax demum lautiſſimo convivio firmata, ubi ad hilaritatem compoſiti, crebris ſe propinationibus laceſſentes, Regibus ſuis bene precati mutuò ſunt. Ad convivii ſolemnitatem adjecit Souſa munus ſuum Indico more: Ducem enim, ac ſocios pretioſis aliquot gemmis donatos dimiſit. Illi verò Luſitana urbanitate mirificè recreati minùs ægrè improſperum rei, quam moliebantur ſucceſſum ferre didicere, noveruntque ad unum omnes, dulcem ſane caryophylli ſaporem eſſe, quem prægustarant, ſolum verò, ubi gignebatur, aſperum omnino, & intractabile.

20 Poſt hoſpitum diſceſſum, in arcem Souſa ſe recepit, ſummopere lætus, quòd rem difficillimam conditionibus, ſuo, ac Luſitano nomini commodiſſimis, proſperè confeciſſet. Ubi tertia dies illuxit, quæ ex pacto convento fixa Caſtellanis erat, ut in Ternatenſem arcem venirent, eleganti, ac magnifico inſtructus ornatu Souſa lætitiam ſignificaturus, qua hoſpites opperiebatur, ad mare deſcendit. Id cum Rotericus animadverteret, miſſis in navicula nunciis, petivit à Luſitano, ut rem adhuc in craſtinum differri ne gravaretur: juſtas eſſe moræ cauſas, propter nonnullas difficultates, de quibus poſtea ad eum referret. Souſa verò intelligens, petita dilatione, cavere ſibi interea velle Caſtellanos, qui hac ipſa de cauſa, datam fidem violabant; ut in mari nuncium acceperat, juſſis remigibus majore vi naviculam impellere, majore ſanè impetu, quàm conſilio ad Caſtellanos, nullo periculi ſocio ſecum adducto, properavit. Quod ubi Rotericus vidit, cum majoribus ſclopetariis octoginta, ad ſui corporis

Datam fidem fallit Hiſpanus.

Quid agat Souſa?

custo-

cuſtodiam deſtinatis, venienti obviam ad litus proceſſit: inde hoſpiti ad ſuum tabernaculum deducto rationem reddidit de orta inter ſuos perturbatione: nimirum Alphonſum Henriquez, qui uni ex Hiſpanis navibus præfectus fuerat, privata ſui ipſius commoda ſpecie Cæſareæ utilitatis prætexere, ac pernegare, ſe iniquiſſimis conditionibus ſtare velle: idcirco amicos, & maximè inquietos convocaſſe, qui pro ſe facerent, & partes ſuas tuerentur: Tydoris præterea Regi, aliiſque ad augendam factionem ſuam imaginaria commoda ſuaſiſſe: ſuam ſeditionem, ſtudium, Præfecti verò moderationem, imbecillitatem publicè appellare, utpote qui traderet Hiſpanorum arma, & vexilla, quæ, vel ipſo vitæ periculo, ſe defenſurum ſanctè juraverat, Cæſaremque fructuoſo ditium Inſularum dominio, milites præcipuo diuturnæ navigationis fructu ſpoliaret: Luſitanos, gentem ſuperbam, & Caſtellanis ſemper infenſam, viliſſimam deditionem cum inſigni, vel contemptu, vel jactantia excepturos. His commemoratis, aiebat Rotericus, ſcire ſe, hæc omnia licèt in ſpeciem præclarè dicta, falſis rationibus niti, & mera commenta eſſe, nec Alphonſum cum ſuis commodo, vel obſequio Cæſaris permoveri, ſed amore Molucenſis caryophylli, cujus magnam vim cum collegiſſent, nobis diffidentes timebant, ne novam, ac pretioſam mercem tranſvehi in Hiſpaniam pateremur, cujus pretio periculoſæ navigationis labores compenſarentur. Id ubi Souſa cum cæteris, qui ſecum ſentiebant, intellexit, inſitam animis tumultuantium ſuſpicionem abſterſit, promiſitque, neque ſe, neque ſuos id genus lucri diſturbaturos: quamobrem cum præferox Caſtellanorum ſpiritus una tantùm ſpe queſtus niteretur, obliti priores animos,

qui-

quibus ſe plus æquo jactabant, craſtina die cum mercibus ſuis noſtram in arcem ſe recepere.

21 Sed jam armorum ſtrepitus in Cambaja perſonantium, digreſſione minorum rerum diutiùs occupari nos minimè patitur. Id bellum Sofares adminiſtrabat cum ſumma imperii poteſtate, ſtatuens apud ſe, ſuſceptæ expeditionis eventum ſecundiſſimum, partim viribus, partim fraudibus niti. Ergò, dum commeatus, ſarcinas, & auxilia diſponit, quæ omnia, cum magnitudine ſua, tum difficultate moram non exiguam neceſſariò poſtulabant, datis ad Joannem Maſcarenhas literis, ſignificavit, velle ſe omnia pacis impedimenta removere, ut ſtatutæ concordiæ fructus utrinque colligi poſſent, perpetua amoris reciprocatione: meminiſſet itaque, cum de pace deliberaretur, in id conſenſiſſe Luſitanos, ut inter arcem, urbemque murus interponeretur, quod adhuc non fuerat executioni mandatum, ne initæ recenter amicitiæ principia, interventu alicujus diffidentiæ, turbarentur: nunc verò, quandò diuturna pax omnem utrinque ſuſpicionem ſuſtuliſſet, faciendum eſſe populo ſatis, qui ejuſmodi diviſionem etiam, atque etiam urgeret, tanquam teſſeram certam ſuæ libertatis: nimirum cum urbem, dirutis muris, ea ex parte nudaviſſemus, ſive ira, ſive licentia victoriæ, negabant incolæ pati ſe poſſe, refricari ſibi quotidie acerbiſſimam priſtinæ injuriæ memoriam: odii quippe ſigna, quæ in animis nulla reſediſſent, in dirutis extare lapidibus: omnino non decere, nec fas eſſe, Luſitanos, qui in Dienſi urbe hoſpites eſſent, leges pro libito ferre, tanquam dominos: Dienſem plebem ægrè admodùm laturam, ſi exteri vicini impedirent, quominùs Regum ſuorum beneficiis uti poſſent: qui verò in alterius eſſent

Sofares Dienſi Præfecto ſcribit, & belli cauſas quærit.

clientela, ex iis amicitiam, non obedientiam quærendam: conceſſam ſibi à Sultano eam urbem, quam nova incolarum acceſſione ditare ſtatuiſſet; quibus oſtendi oporteret eam arcem, non uti frænum, ſed quaſi præſidium futuris habitatoribus ibi extare: demum è re Luſitanorum eſſe, plebi juſtiſſima poſtulanti properè ſatisfacere, ſi tamen vellent pacem ex injuriis ortam, & planè inſtabilem via quàm molliſſima tutari.

Reſpondet Præfectus.

22 Ex iis literis intellexit arcis Præfectus, Soſarem belli cauſas de induſtria quærere: reputanſque, ſi poſtulatis annueret, forè obſidionem multo faciliorem, ſi abnueret, juſtitiam bello acceſſuram; reſpondit, pace Mamudium inter, ac Luſitanos, tam ſincera, tam diuturna conſenſione, firmata, tutius fore, muros omnino deſtruere, quàm de novo excitare: murum, quem peteret, nec nobis periculo, nec ſuis præſidio futurum: munimentum omnium firmiſſimum inter urbem, & arcem diu conſtitutum, Luſitanam nimirum fidem: de novo dominio ſe illi etiam, atque etiam gratulari: Luſitanos, qui in arce eſſent, clientium cæterorum ſibi obedientium numero acceſſuros: rei verò, quam poſtulaſſet, deliberationem ad Indiæ Prætorem pertinere, qui cum, inſtructa jam claſſe, ad eam arcem inviſendam eſſet propediem ſoluturus, cum eo, ſimul ac Dium appelleret, communicari rem oportere. Poſt hæc, nulla interpoſita mora, Goanum Prætorem per literas de iis, quæ agebantur, fecit certiorem: is verò ex iis, quos in Cambajam præmiſerat, clariora jam acceperat nuncia. Mamudius enim incerta, & ancipiti reſponſione Dienſem expeditionem nec declarabat, nec tegebat omnino, præteritas offenſiones intempeſtivè commemorans, utpote, qui bellum

Et Prætorem monet.

inten-

intentare vellet, quin tamen pacem abrumperet.

23 Itaque Joannes de Caſtro in ejuſmodi rem totus incumbens, & apud ſe reputans, quanti intereſſet Luſitanis eam arcem præſtare incolumem, totis viribus ad eam defendendam certare decrevit, quin ſumptui, periculo, ac diligentiæ omnino parceret. Ergo Bazainenſibus, ac Ciaulenſibus, quanto poterat affectu, & contentione commendavit, tanquam periculi ſociis, & finitimis, ut opportuna Dio ſubſidia præmitterent: ad eos præcipuè pertinere ſcripſit, id ipſum præſtare diligentiſſimè: perhonorificum ipſis futurum, ac præmio dignum, ſi ſuis opibus, ac diligentia communis hoſtis conſilia diſturbarentur. Goæ verò, quanta potuit celeritate grandiorem lembum inſtrui juſſit, quem bellicis inſtrumentis implevit, & militibus ducentis, & qninquaginta. Hi propter maris ſævitiam ægrè Bazainum appulere: inde verò cum Dium trajicere tentaſſent, adverſis, & contumacibus ventis, redire, unde ſolverant, labefactato navigio, coacti ſunt.

Qui militaria ſubſidia Dio mittit.

24 Sofares interea, dum copias contrahebat, multiplici fraude Luſitanos clanculum, & quaſi per cuniculos, aggrediebatnr. Copioſis largitionibus, ac promiſſis majoribus, præſidiarii cujuſdam fidem corruperat, ut nocte concubia tormentario pulveri flammas injiceret, vel ciſternam veneno inficeret: quæ ſi minùs exequi commodè poſſet, Mauros in arcem introduceret per poſticum domus ſuæ, quæ, utpote mœnibus adjacens, erat opportuniſſima proditioni. Miles verò, quòd timido eſſet animo, & ad deliberandum incerto, rem cum Mauro, quo valdè familiariter utebatur, ſecretò communicavit: is, ut in detegendis, quàm in exequendis proditionibus tutiora vulgò præmia eſſe ſolent, ad Præfectum

Proditionem Sofares intentat.

arcis rem detulit. Hic, cum de eadem, duplici præterea ex indice, cognoviſſet; reputans apud ſe ejuſmodi crimen exemplo pernicioſum, nec ſatis idoneis teſtibus comprobatum, ut plecti poſſet, crimine veniam, tempore animadverſionem non admittentibus, militem cum literis miſit ad Goanum Prætorem, eidemque indicia delatæ, ſed nondum certæ poditionis ſignificavit.

Præparat ſe ad bellum Dienſis Præfectus.

25 Cum igitur de bello jam imminente nullus ſupereſſet ambigendi locus, Joannes Maſcarenhas quidquid erat in urbe commeatuum comparari juſſit diligentiſſimè, dum pacis umbratilis ſimulatio commercium non impediebat: quæ ſanè induſtria famem diſpulit ad multos dies: brevi tamen mercatorum ſecuritas Turcici Ducis adventu perturbata eſt. Is cum militibus fermè quingentis urbem ingreſſus, ad diſponendum veriùs, quàm ad gerendum bellum advenerat. A Sofare novas hic ad Præfectum literas afferebat, quibus ille cautus æquè, ac importunus negatum muri ædificium feſtinabat. His literis Joannes Maſcarenhas reſponſum ſe daturum disertè negavit, id unum latori coram reſpondens: apud Luſitanos poſtulata, quæ armata manu fierent, admitti non ſolere. Is ergo dies non belli primus, ſed pacis ultimus fuit; quippe altero illuceſcente, venit Sofares cum octo millibus armatorum obſidium inchoaturus. Eo veniente intercluſa ſunt à Continenti ſubſidia: quæ de mari expectabantur, impedire jam cœperat hyemis rigor, quæ duriùs, quàm ipſi hoſtes arcem premebat. Hujus autem, in qua, velut in theatro, Luſitana virtus tantopere probata eſt, brevem, neceſſariamque deſcriptionem hic attexemus.

Sofares cum exercitu Diũ venit.

Dii deſcriptio.

26 Dienſis Inſula, celebris locupletiſſimo emporio,

rio, ſuorum incolarum ruina miſerabilis, Luſitanorum victoriis perilluſtris, ſita eſt in ſinu quodam, & lingula, quæ limes eſt Regni Cambaici, polari altitudine graduum duorum, ac viginti, ex parte Boreali. De illius conditore, & vetuſtate, incolæ fabulantur ſanè permulta, magis illuſtria, quàm explorata principia loco tribuentes, quorum memoria traditione, non ſcriptis, viget. Portus peregrinis navibus frequentiſſimus, iis præcipuè, quæ vel Religionis, vel commercii cauſa Mecam ad impuras Mahometis ædes navigare ſolent. Urbs à Continenti diviſa, æſtuario cingitur: ſoli aſperitate fortis eſt, arte verò naturam adjuvante fortior, & ab hoſtium impetu defendi faciliùs poteſt. Circumfuſi æſtuarii fauces duæ: altera ad Septentriones, quæ cùm ſcopuloſa ſit, & arenis plena, nullo prorſus eſt uſui: altera ad meridiem obverſa, parùm & ipſa idonea eſt, propter rupis, quam verberat, aſperitatem. Eſt alius præterea canalis in fronte Inſulæ, ubi, cum naves jactis anchoris commodiſſimè ſubſiſtant, commodior inde eſt ad urbem tranſitus. Editam à Joanne de Barros Dii deſcriptionem conſultò non ſum ſequutus; diverſis enim temporibus multiplici Turcarum dominatu ſubinde mutata eſt, prout unicuique dominantium munire urbem placuit, vel pro libito, vel pro temporum neceſſitate.

27 Urbem iis, quas diximus, copiis Sofares ingreſſus eſt. Militum pleroſque è Turcica gente conſcripſerat: majora tormenta vehebat ad ſexaginta, in quibus duodeviginti, quos vocant, Baſiliſci numerabantur. Commeatus, ac cæterum belli apparatum largiſſimè comportaverat; videbat enim obſidionem fore diuturnam. Mille præterea Prætorianos, quos Janizaros Turcæ appellant vernacula lin- Quo belli apparatu Sofares venerit.

gua,

gua, egregios bellatores duplicato ſtipendio ſub ſignis habebat. Hi, pro inſita ſibi ſuperbia, eam expeditionem deſpiciebant, Sofaremque nimiæ timiditatis accuſabant, quòd auxilia conquireret undique, ac Turcici Imperatoris arma donis, precibuſque ſolicitaret adversùs inopes Chriſtianos ac bene paucos, qui fragili muro tegebantur, quos aggredi inhonorificum eſſet, vincere, omnino infructuoſum. Sofares verò Turcarum audaciam, nec laudabat, nec redarguebat: quippe qui, vel timore, vel experientia doctus, ſuſpenſuſque belli exitu, de victoria non temerè judicabat. In extruendo autem caſtrenſi vallo, in obſidionalibus tormentis collocandis, in explicandis ordinibus militarem ſcientiam probavit cumulatiſſimè. Perfecta demum urbis obſidione, ſuos breviter his verbis alloquutum ferunt.

Suos alloquitur.

28 *Luſitanos ſanè paucos, quos tenui muro videtis incluſos, ſocii, amicique fortiſſimi, nec timendos puto, nec contemnendos: homines enim ſunt, qui vinci poſſint: milites tamen, ac ſtrenui, qui diu vicerint. Sociam ſemper toto, quàm latè patet, Oriente, vel famulam ſortiti fortunam, ex prioribus victoriis famam, ex fama cæteras faciliùs victorias ſunt conſecuti. Exiguis ſanè inſtructi viribus cum innumeris penè nationibus bellum gerunt, quod tamen Imperii genus, pro ordinario rerum curſu, diu durare nequit; opibus enim deſtitutum, opinione ſolùm, & imbecillitate nititur ſervientium. In ea arce quingenti bellatores ægrè admodùm numerantur, quorum plerique præſidiarii, qui magnam partem ſenes, & inutiles eſſe ſolent. Terreſtria ſubſidia à vobis intercluſa ſunt, ut videtis: maritima crudeſcentis hyemis ſævities avertet. Commeatu inprimis, belliciſque inſtrumentis deſtituuntur: freti videlicet, vel pacis diuturnitate, vel inſita genti ſu-*

per-

perbia. Ut pauci ſunt, iidem ſemper muri coronam defendant, neceſſe eſt; neque enim in tanta paucitate ſuccedere ſibi invicem poſſunt: Neque ad reſarciendas muri ruinas, ſi ab obſidionalibus machinis labefactentur, operæ ſuppetunt, quapropter labor ipſe in tam paucos diviſus, miſeros opprimet. Efferunt illi quidem ſeſe nimis inſolenter allata jampridem Turcicis triremibus clade, quas in altera hujus arcis obſidione disjecere; veſtrum tamen eſt, ſtrenuiſſimi Prætoriani, qui mihi adſtatis pro corona, veſtrum, inquam, eſt pro honore gentis, ac Imperii veſtri fortiter dimicare, quæ juſtior, & honeſtior belli hujus aggrediendi, ut ego quidem arbitror, ratio eſt. Tametſi Cambajæ Regi militares copiæ abundè ſuppetant, non eſt tamen è magnitudine Turcici Imperatoris, illatas ſibi injurias alienis armis ulciſci. Hac ego de cauſa hujus vos expeditionis ſocios adſcivi, nequis vobis juſtiſſimæ ultionis procurandæ gloriam eriperet. Hoc ipſum, quod pedibus teritis ſolum, ſociorum, amicorum, conſanguineorumque veſtrorum oſſa glorioſa contumulat: qui omnes, ut mihi quidem videtur, ſuo unumquemque veſtrum nomine appellantes, accepta ab importuniſſimis hoſtibus vulnera, illatas mortes commemorant, & in ſpem veniunt, fore, ut virtute veſtra poſſint tandem non inulti quieſcere. Ii demum, contra quos arma ſumpſimus, ſunt, ſi neſcitis, Badurii Regis interfectores, acceptis beneficiis ingrati, in regiam majeſtatem plus æquo audaces, de quibus meritas ſi pœnas repoſcimus, gratiſſimum omnibus, qui Reges ſunt, procul dubio faciemus, eaſque juſtitiæ partes implebimus, quibus clientes ad unum omnes obſtringimur.

29 Hæc cum dixiſſet, ſive quòd vellet adhuc tempus ducere, ut commodiùs auxilia jungerentur, ſive quòd juſtiores bello cauſas quæreret, animum Instat iterum apud Dienſem Præfectum.

Dien-

Dienſis Præfecti iniquioribus conditionibus tentare iterum ſtatuit. Poſtulavit igitur ab eo arroganter, ut petitam excitandi muri facultatem præberet, ac præterea, ut Turcicis navigiis liceret ultrò, citròque per ea maria commeare, non petito à maritimis Præfectis diplomate: quam ſanè injuriam, tametſi amica diſſimulatione toleraſſet ad eam diem Mamudius, diutiùs, ajebat, pro regia dignitate ferri non poſſe. Petebat demum, ne onerariæ, quæ mercaturæ cauſa ea maria navigabant, ad Dienſem portum appellere cogerentur, quam ſanè commeandi libertatem petere potius commercii cauſa debuerat, quàm prohibere. Reſpondit ad hæc Joannes Maſcarenhas, amicitiæ fœdera inter armorum ſtrepitum non ineunda: Dienſem arcem leges omnibus imponere, à nullo accipere ſolitam: ſumpturum ſe brevi pœnas de publico pacis violatore, durioreſque vel invito conditiones imperaturum, Prætorianorum ſuorum ſanguine conſignatas.

Præfecti reſponſio.

Ferdinandum filium Prætor Dium mittit.

30 Hæc apud Dium agebantur. Goanus verò Prætor incredibili celeritate novem omnino naves inſtruxerat, militibuſque eam ſibi expeditionem certatim depoſcentibus dixerat, honeſtiſſimum id periculum fortiſſimo cuique committendum: ſui ſe muneris ingrata quidem, ſed neceſſaria vincula cum uniuſcujuſque gregarii militis libertate libentiſſimè commutaturum: tametſi fixum haberet in animo, Dium uſque navigare ad obſeſſam arcem liberandam; magnopere tamen illis invidere ſe, qui præirent cum hoſte dimicaturi. Poſt hæc, acceſſito Ferdinando filio, coram frequenti Luſitanorum procerum corona, *Dium te*, inquit, *cum parvo hoc ſubſidio mittimus, Fili, quod hac ipſa die, juxta ea, quæ illinc nunciata ſunt, Turcicis undique copiis intercluditur.*

Eumdem alloquitur.

Quod

Quod ad te attinet, nihil moveor; pro ſingulis enim ejus arcis lapidibus filios ſingulos periculo objicere non dubitarem: illud tamen diligenter revoces in memoriam, velim, unde deſcendas, & majores tuos, tanquam domeſtica exempla fortiter, & præclarè faciendi tibi proponas, non modò ut ſequaris, ſed etiam ut vincas. Facies itaque, ſi me audis, ut hæreditarium cognomen illuſtribus factis merearis, memor homines univerſos æquè naſci, virtute dumtaxat, ac rebus glorioſè geſtis unumquemque differre. Scias demum illum à me filii loco cenſendum, qui honeſtioribus ſe mihi factis probaverit. Memineris prætera, illud ſanè præclariſſimum hæreditatis loco nos à majoribus accepiſſe, ut pro lege nimirum, pro Rege, ac patria glorioſè, ac fortiter occumbamus. Itaque commonſtratam tibi per me gloriæ viam, tuum eſt ita audacter ingredi, ut conſtanter, feliciterque proſequaris, ac teneas. Hæc ubi ſapienter monuit, Filium paterna benedictione donatum Didaco de Reynoſo, equiti Luſitanorum, qui in Indiam navigaſſent, ſtrenuiſſimo commendavit, ut ejus adoleſcentiam regeret, &, ubi opus eſſet, conſilio juvaret. Profecti ſunt unà ad eandem expeditionem Sebaſtianus de Sà, filius Joannis Rodriguez de Sà, qui hìc, ut alias, virtutem ſuam egregiè probavit: Franciſcus de Almeida Lupi filius, cujus germani fratres duo jam Dium præiverant, Antonius à Cunha, Petrus Lopes de Souſa, Didacus de Sylva, Georgius Maſcharenhas, Antonius de Mello, aliique permulti ex flore Luſitanæ nobilitatis, qui tunc temporis oblata ſibi pericula tam avidè arripiebant, tanquam timerent, ne ſemel dimiſſa perpetuò fugerent non reditura.

31 Dedit etiam ad Joannem Maſcarenhas Prætor honeſtiſſimas literas, quibus ſignificabat longè ſibi

Ad Dienſem Præfectum de filio ſcribit.

ſibi glorioſius futurum, ſi Dium Præfectus, quàm ſi Indiam ipſam Prætor adminiſtraret: ire cum eo ſubſidio Ferdinandum filium, ut deinde in Luſitaniam redux commemorare ſenex poſſet inter cæteras poſtremæ ætatis gloriationes, ſub ejus magiſterio prima ſe apud Dium ſtipendia meruiſſe: præterea pro certo haberet univerſas Luſitanorum, qui in India eſſent, vires in ejus arcis defenſionem eſſe impendendas: complures in iis navibus adoleſcentes nobiles navigare, quorum audaces impetus regere ipſe debeat pro ſua prudentia, & moderari; ſatis enim ſuperque eſſe, ſi ſe muris defenderent, dum obſidione premerentur, nec aliud quidquam ad implendas præclari militis partes præterea deſiderari: tantum bellici apparatus modò ſuppeditari, quantum ſatis eſſet, dum nova ſubſidia mitterentur: ire præterea duos militaris architecturæ peritos, mechanicos opifices permultos, quorum opera uti poſſet ad inſtaurandas propugnaculorum ruinas, ſi vi tormentorum lacerarentur, cæteraque inſtrumenta, aptamque materiam ad obſidionem pro dignitate ſuſtentandam. Quibus Joannes de Caſtro non modò ſe fidum oſtendit, ac diligentem Regis miniſtrum, ſed etiam militaris ſcientiæ peritiſſimum; præceperat enim animo pro ſua ſolertia, quæ forent obſidionis tempore neceſſaria, & omnibus opportunè, nequid deeſſet, providit.

Militares ſtationes diſtribuit Dienſis Præfectus.

32 Sed jam Præfectus, interciſo ponte, qui ſuper foſſam extructus urbem cum propugnaculo S. Jacobi conjungebat, alium ligneum, ac ferreis catenis pro libito verſatilem excitari juſſit, quem unà cum adjacente turre Alphonſo de Bonifacio, publico portorii ſcribæ ſervandum tradidit. S. Thomæ propugnaculo Ducem præfecit Aloyſium de

Sou-

Souſa: ad S. Joannis conſtituit Ægidium Coutinho: quod portæ imminebat Antonio Freyre commendavit: aliud item à S. Jacobo nominatum, unde flumen patebat, Joanni, ac Petro de Almeida fratribus: turrim S. Georgii Antonio Peſſanha: minorem exterioris muri loricam Joanni de Venezeanis, majorem Antonio Rodriguez cuſtodiendam tradidit. In hos deinde Duces militibus centum, & octoginta diviſis, ipſe ſibi triginta ſepoſuit ex fortiſſimis, qui vigilias ſecum circumirent, & militum ſtationibus, ſicubi neceſſitas poſceret, præſtò eſſent. Tam exiguo copiarum apparatu validas, & numeroſas hoſtium legiones Præfectus Dienſis opperiebatur, tanta animi fiducia, ac ſecuritate arcis propugnationem diſponens, ut ipſa periculi non inexplorata magnitudo, nec admirationem cieret, nec timorem incuteret: commeatum, pilas, tormentarium pulverem, cæteraque ad belli uſum neceſſaria cautiſſimè diſpenſari juſſit, cum valde in ancipiti eſſent ſubſidia, quæ ſperabantnr, hyeme, & hoſtibus obfirmatè contranitentibus. Mancipiis, cæteriſque ad arma tractanda minùs idoneis laborioſam curam commiſit deferendi ad muros tela, incendiarias ollas, lapides, & cibaria, ut milites conſerendo cum hoſtibus prælio unicè intenti, importunis occupationibus aliò non avocarentur. Pueros itaque, ſenes, & fœminas ad hunc uſum reſervavit, nequis otio torperet periculoſiſſimo tempore, omniſque promiſcuè ſexus, & ætas ſuam communi ſaluti conferrent operam. Poſt hæc, vocatis ad concionem cohortibus, ita in publico foro locutum tradunt.

33 *Quos ex hoc loco videtis, Turcæ, ac Prætoriani, ſuperiore Dii obſidione turpiter repulſi, ac profligati, ad conſerendas nobiſcum manus venere, amiſ-* Et milites alloquitur.

ſum apud ſuos decus recuperaturi: illi tamen nec plus valent militari virtute, quàm qui victi olim ſunt, nec nos ſanè minus valemus, quàm, qui victores ex noſtris olim fuere. Fateor ego quidem, ab ineunte ætate creviſſe mihi honeſtam quandam invidiam cujuſcumque vel gregarii militis, qui hanc primùm arcem propugnavere, quorum memoria militari fortitudine conſecrata illuſtres ad hanc diem poſteros facit, quos minùs cognomine, patria, tituliſque ſuis cognoſcimus, quàm quòd filii, ac nepotes eorum ſunt, qui vel glorioſè apud Dium occubuere, vel magno patriæ bono ſervati honeſtiſſimis cicatricibus clarè deformes triumphaverunt. Ex iis, qui illuſtres fuere, auxerunt familiæ ſplendorem, qui humiles, facti per ſe ipſi ſpectabiles primum in ſuos invexere memorandæ nobilitatis initium. Hanc porrò expeditionem illi perquàm ſimillimam inſigni beneficio fortuna nobis in manus dedit. Ne arbitremini, quæſo vos, ſtrenuos illos Luſitanos, qui nos tempore, & exemplo præivere, omnem ſecum armorum gloriam abſtuliſſe, cum morerentur: hanc nobis bellicæ laudis partem intactam ſepoſuere, quæ nos æquè faciat illuſtres, ac memorabiles. Nec eſt, cur virium inæqualitas vos magnoperè moveat, atque ſolicitet: quis enim unquam vulgaribus periculis famam meruit? Vicies mille milliarium difficillimæ navigationis non alia de cauſa confecimus, niſi ut præclaram hujus diei occaſionem lucraremur, qua tantum honoris aſſequi poſſumus, quantum nec Reges, nec majores, nec quiſquam alius dare poſſit; poſſunt enim Reges pro libito præmia ſuis dividere, merita verò, nullo modo: Cibariorum, ac bellici apparatus abundè eſt ad ſuſtentandam pro dignitate obſidionem, dum nova ſubſidia proveniant: maria etſi intractabilia ſint, & hyeme crudeſcente tumultuoſa, Joanne de Caſtro Prætore non eſt, cur timeamus:

ve-

veniet ille quidem, ſi opus fuerit, fluctibus nequidquam reluctantibus, gladium ore ſuſtentans, ad inferendum obſeſſis auxilium, unà cum ſtrenuis proceribus, & equitibus, qui injurioſum ſibi maximè ducent ejus nos gloriæ poſſeſſionem inire, cujus ipſi in partem venire neglexerint. Nihil ſanè majus, quàm quod nobis obtulit, ſibi fortuna ſervavit: videlicet in eorum deinceps numero computabimur, qui Regi, ac Patriæ in ſummo periculo ſervierimus, quorum ad ſuſtentandam famam, è remotiſſimis Europæ partibus huc navigavimus. Quod verò ad confirmandos Luſitanorum animos potiſſimum arbitror, illud eſt, quod contra hoſtes Chriſtiani nominis bellum gerimus: hoc unum ſatis eſt, ut Deo Opt. Max. à quo victoriæ militant, ſtrenuè ſervientes, auxilium nobis de Cælo præſentiſſimum ſperemus procul dubio non defuturum.

34 Peracta concione, Turcica caſtra multjplici tormentorum diſploſione perſonarunt; eo quippe militaris lætitiæ apparatu celebrabat Sofares auxiliarium peditum adventum, quos ad duo millia Cambaja ſubmiſerat: veteranam militiam bellica virtute, quàm robore præſtabiliorem. Lectiſſimas cohortes, inter alios, duo apud Mogoles magni nominis, ac ſpectatæ fortitudinis Duces ſequebantur. Eadem die plerique nobilium ex aula Mamudii venientium, poſitis extra caſtra ſplendidiſſimis tabernaculis, quæ luxum, & elegantiam Europæam imitabantur, cum ſuis conſedere. Noſtri verò non mediocri vitæ contemptu ab horrore tanti apparatus animum aliò avocantes, verbis ad præſentem fortunam accommodatis addebant ſibi invicem animos, ſumentes in præſenti diſcrimine tempeſtivum à neceſſitate conſilium. Hoſtium exercitus augetur.

35 Primo diluculo alterius diei, quæ incidit in Fe-

Barbari quatere arcem incipiunt.

Feriam Quintam majoris hebdomadæ hujus anni MDXLVI. objectum eſt arci ad teli jactum hoſtile vallum, congeſtitia materia egregiè munitum, muralibus hinc inde tormentis per apertas feneſtras prominentibus. Murum fartis goſſipio ſaccis, crudo undique corio, ad arcendas flammas, ſuperinducto, protexerant barbari. Hæc ſanè machina noſtros vehementer terruit, non tam mole ſua, quàm mira temporis celeritate, quo, nullo fabrorum ſtrepitu, parata fuerat. Opus præterea, tametſi tumultuarium, non videbatur tamen ex barbarorum diſciplina ædificatum, ſed planè ad artis normam exactum; hoſtes enim quotieſcumque conflictum inirent, militari virtuti parem ſemper ſcientiam oſtendere. Ex hoc loco quati Dienſis arx cœpta eſt tanta hoſtium felicitate, ut globis rectiſſima libratione in ora tormentorum noſtrorum adactis, quatuor nobis obcæcarint majoris molis bombardas, unde tormentarius barbarorum ſuggeſtus damnoſiùs impetebatur.

Navalem machinam adornant.

36 Ex proſpero diei hujuſce ſucceſſu facilè hoſtes didicere, qua potiſſimùm ratione per conſequentes dies nobis incommodarent. Itaque noctibus omnino quinque, totidem ejuſdem operis munitiones eadem inter ſe diſtantiæ proportione celeriter ædificatæ ſunt eo conſilio, ut per apertas variis in locis muri ruinas, facta irruptione, exercitus univerſus arcem invaderet, cui ægrè admodùm propugnatores neceſſariò diviſi pro ſua paucitate reſiſtere potuiſſent. Porrò cogitatis facilè reſpondiſſet eventus, niſi Caſtellum, quod eſt a mari, hoſtium munitionibus imminens, eas muralibus machinis tam feliciter verberaſſet, ut opportunius Sofares duxerit ruinas ſuas antea ſarcire, quàm per noſtras aſcende-

re.

re. Biduo ceſſatum eſt, dum, ad tutamentum primæ molitionis, novam machinam adornarent. Navem inuſitatæ formæ, ac magnitudinis ad mare adigunt, nitrato pulvere, naphta, cæteriſque ad concipiendum facilè ignem idoneis refertiſſimam: incendiaria materia in ſummis foris aptè diſpoſita, tanquam ſtratagema ultimo caſui reſervatum: ſuper foros ſpatioſum tabulatum conſtructum, ducentorum quaſi militum commodè capax, qui admotis ſcalis poſſent in arcem irrumpere. Navis Caſtello noſtro altior erat, unde conjiciebant, milites noſtros facili negotio invadi, vincique poſſe, quippe qui numero, & loco longè impares eſſent: quod ſi minùs ſuccederet, obfirmatis ad reſiſtendum propugnatoribus, ſtatuerant navem ex improviſo relinquere, relictæque faces ſubjicere, quæ in proximum Caſtellum incendia ſpargerent nullo ſuorum damno, ac periculo. Id ubi cecidiſſet ad votum, cogitabant ruinas occupare, ſuper quas excitato rurſus Caſtello, unde arcem quatere tutò poſſent, munitiones ſuas ab omni prorſus moleſtia liberarent. Optimum ſanè ſtratagema ex militari ſcientia depromptum, ut fuerat ſuperiore bello fruſtra tentatum, ita nunc in irritum cecidit.

37 Ubi Dienſis Præfectus per ſuos exploratores hoſtium machinamenta reſcivit, vocavit ad ſe Jacobum Leyte, maritimæ rei præfectum, virum fidei probatiſſimæ, explicatiſque breviter hoſtium conſiliis: *Non auferam à te*, inquit, *quod tui muneris eſt præcipuum decus: gratulor etiam, atque etiam uni tibi præ cæteris contigiſſe, quod omnes facile cupiant, ut primus omnium in hac obſidione virtutem, diligentiam, fidem tuam probare poſſis. Ibis itaque ſecunda vigilia noctis ad hoſtium machinationes, ut tibi rectiùs videbitur,* **Eam noſtri disjiciunt.**

tur,

tur, *diſturbandas*. Ille verò ad præſtitutam horam cum levibus navigiis duobus (Catures Indi vocant) lectiſſimos bellatores eduxit ad triginta. Hi ſurdo remigio naviculas impellentes, recto curſu direxere proras ad hoſtium onerariam, in quam incendiarias ollas toto impetu conjecere. Mauri verò de ſuo periculo admoniti ex igne; quo conflagrabant, ut erant ſomno non minùs, quàm metu graves, ſumptis raptim armis defendere ſe nitebantur, timidè tamen, & confusè; quippe invicem impediebantur clamoribus, & ſtupore ipſo, qui ſubita aggreſſione inopinatos, ac penè dormientes invaſerat. Qui omnium primi projiciunt ſe in mare præcipites, complanatam exemplo ſuo cæteris viam oſtendunt, ut debacchantis flammæ remedium in undis quærant, tantuſque inter querelas, & ululatus onerariam deſerentium clamor increbuit, ut exercitus univerſus ad arma conſurgeret. Hac opportunitate commodè uſus Jacobus Leyte illigatam nautico rudente navim remulco traxit: venientem cum præda Præfectus, datis amplexibus, largiſſimè laudavit, lætiſſimumque maritimæ velitationis eventum plurimi fecit, tanquam bene ominatum inchoati belli principium. Mauri itaque accepto damno irritati, intermiſſas tormentorum librationes inſtaurarunt, periculo ſanè exploratiſſimo; ſingulos enim lapides, quos de noſtra arce dejicerent, militum complurium, atque adeo libratorum ſuorum ſanguine mercabantur. Hoſtium verò librationes damni non ita multum nobis afferebant: unum S. Jacobi propugnaculum, ſivè quòd eſſet infirmius, ſive quòd vehementiùs, ac certiore ictu quateretur, facta ruina, duplicem aperuerat hoſtibus viam ad aggreſſionem. Noſtri verò, jactis ex interiori parte in tranſverſum

Et ad arcem abſtrahunt.

ſepi-

ſepimentis, quæ humo, nocturno furto ſubducta, replebantur, egregiè ſe defendebant.

38 Perpetua interea, nec irrita obſidionalium baliſtarum verberatio murum ubique luxatum multiplici ex parte laceraverat, nec poterat quiſquam ad repellendos hoſtium impetus ex muralibus pinnis ſe oſtendere, quin certiſſimo exitio pateret, telis undique, glandibuſque in procellæ morem volantibus. Soſares enim, nec bellicis inſtrumentis, nec militum parcebat periculo; utroque nimirum largiſſimè abundabat. Non ideo tamen propugnatores ceſſabant, quin immò crebris bombardarum diſploſionibus Mauros damnoſiùs fatigabant, quorum multitudo faciebat, ne glandium emiſſarum ictus in irritum caderent. Arcem quatiunt Barbari, nec impunè.

39 Aperta jam multis in locis ad arcem via, inſtabant vehementer Turcicæ legiones, aggreſſio ne differretur. Soſares tamen non annuebat, ſeu plures adhuc copias expectaret, ſeu vellet diutiùs labore, ac vulneribus atteri Luſitanos, quorum impetus lenta obſidione frangere conſtituerat, vires, munitiones, ac noſtram demum patientiam fatigaturus: nec male ille quidem, ut mea fert opinio, conjiciebat. Hyemale quippe tempus, cujus eſſe ſolent initia vehementiora, faciebat, ne poſſent ſubſidia navigare, quibus jam tum obſeſſa arx indigebat plurimùm; fecerat enim diuturna pax negligentes, & ſubitanea Turcarum irruptio deprehenderat imparatos, & ad ſuſtentandam belli molem minùs idoneos; adeo quippe nobis ipſi fidebamus, ut poſt propugnatam ab Antonio Sylveira Dienſem arcem unius eam reverentia victoriæ tueremur. Supererant igitur Præfecto nitrati pulveris craſſioris, quadraginta, tenuioris, viginti cadi, præterea nihil: arctiſſi- Arcis invaſionem differt Soſares.

mus commeatus difficillimo bello præter opinionem implicitis ſuppetebat: propugnatores omnino ducenti, quorum plerique præſidiarii, ac Tyrones, qui primam famæ commendationem à Dienſi oppido glorioſè propugnato meruere.

Ferdinandus Dium appellit.

40 Præfectum ergò vehementer ſolicitabant, cum præſens rerum ſtatus, tum inferendi ſubſidij difficultas: quæ omnia caute admodùm celanda exiſtimabat, nequid horùm domi, foriſque præſentiretur. Quamobrem nolebat ſub ipſum obſidionis initium, annonam, ſulphuratum pulverem, cæteraque ad bellum neceſſaria, conſtituta ſingulis menſura, dividere, quod ex una parte damnoſum, ex altera neceſſarium videbatur. Sed attulit huic ſolicitudini finem allatus ab excubitoribus nuncius, qui ajebant, novem procul naves apparere, quæ ex carinæ ſtructura, atque habitu Luſitanæ viderentur. Ad muros univerſi milites advolant è veſtigio, lætiſſimi nuncii prima gaudia ſuiſmet oculis delibaturi; & quamvis loci diſtantia, Cœlumque nubibus impeditum in varias hinc inde ſententias diſtraheret intuentes, deprehenderunt tandem quadrata vexilla, & præcipuè Luſitani Regis inſignia, quæ in Prætoria volitabant. Hæc porrò ventis, & adverſis undis obluctans in arcem toto impetu ferebatur. Cætera verò navigia minoribus vexillis, flammarum inſtar, tremulis, & flexuoſis inſignia, apluſtribus undique, & cætero belli ornatu ad ſpecioſum terrorem inſtructa ſequebantur. Arcem conſueto tormentorum ſtrepitu claſſiarii, mutuaque militaris urbanitatis repetitione Dienſis arx claſſem ſalutavit. Nec ſibi Mauri defuere; obverſis enim in naves tormentis, dum anchoras jacerent, venientes Luſitanos, tametſi fruſtra, impetivere. Commeatu itaque, ac bellicis inſtru-

inſtrumentis in terram expoſitis, exſcenſionem fecere milites, & omnium poſtremus Ferdinandus: ſive id Pater juſsiſſet, ſeu ſponte ſua egregiam animi nihil timentis firmitatem vellet oſtendere.

41 Præfectus porro poſt exceptos honorificentiſsimè Proceres, quos fortunæ ſuæ ſocios futuros gratulabatur, ubi de Ferdinandi adventu reſcivit, obviam illico venienti proceſsit ad navem, ſed inventum in ipſo arcis deſcenſu arctiſsimè amplexatus, aptiſsimis loco, ac tempori verbis excepit, & apud ſe invitavit. Officium tamen perurbana uſus excuſatione, generoſus Hoſpes non admiſit, rogavitque, ut id ſibi honoris in commodiora pacis tempora reſervaret: optare ſe nunc ajebat commodiſsimi hoſpitii loco, periculoſiorem ſtationem, à qua ſi, vel latum pedem, diſcederet, negabat ſe commodè ſomno uſurum. Fortem adoleſcentem Joannes Maſcharenhas, innexis iterum collo brachiis, amplexatus, viriles ſpiritus in tanta annorum viriditate feliciter germinantes ſuſpexit. A Præfecto honorificè excipitur.

42 Vehebant naves magnam vim nitrati pulveris, arma, machinas, tantumque bellici apparatus, ut ſuſtineri aggreſſorum impetus facilè poſſet, dum nova obſeſsis ſubſidia mitterentur. Nec oblitus eſt Goanus Prætor medicamenta, cupedias, cæteraſque lautitias ſuppeditare, opportunum datura ſauciatis, & ægris in eo rerum articulo levamentum. Vocatis deinde in concionem militibus, recitavit Præfectus humaniſsimas Prætoris epiſtolas, quibus ſignificabat, ut ſupra narravimus, venturum ſe quanta poſſet celeritate, ſimul ac copias contraheret, quantas reipublicæ vires paterentur: maturare ſe claſſem, & cætera ad Dienſem expeditionem neceſſaria. Hæc mirum, quantùm ad confirmandos propugnatores Quæ ſubſidia venerint.

 value-

valuerint; in ſe enim factum eſt, ut periculoſa ejus belli alea novam quodammodò faciem indueret. Soſares verò novis quotidie auxiliis auctus, obſidionem ſtrenuè promovebat, novaſque in dies ſingulos machinas excogitabat, ad quarum perfectam conformationem peritos machinatores variis ex locis advocarat, quorum induſtriam propoſitis præmiis ſic acuebat, ut non mediocri æmulatione ad nova, ac pejora invenienda invicem decertarent. Quod cùm illi præſtarent impigrè, Luſitanorum attentionem excitabant, non minùs ab occultis, quàm ab apertis periculis pertimeſcentium.

Prætor Cambajæ ballum publicè denuntiant.

43 Miſſo cum claſſe Ferdinando filio, Joannes de Caſtro bellum atrociſsimum Cambajæ Regi, ſonora præconis voce, denuntiavit. Perjurum publicè, ac pacis violatorem, contra quàm oportuerat, militaribus buccinis perſtrepentibus, legalibus de more formulis interpoſitis, appellavit, ut bellum, de quo totus, quàm latè patet, Oriens erat judicaturus, non temerè, ſed meritiſsimò ſuſcepiſſe videretur. Datis deinde ad Bazainenſes epiſtolis, revocavit illis in memoriam, ad eos præcipuè, tanquam Dio viciniores, pertinere, ſubſidia Dienſibus properare: cæteras arces communi periculo providere, ipſos, ſuo: murales machinas, quæ Dium impeterent, Bazainenſium etiam ædificia concutere: ſe ad eam obſidionem ſolvendam iter maturare, ut Cambajam, quanta vi, & contentione poſſet, infeſtis deinceps ſignis invaderet: more Luſitanorum, qui nunquam illatum ab Orientalibus Regibus bellum repulerant, quin eos tota belli mole laceſſere conarentur: rogare propterea, ut pro ſua in Deum, ac Regem fide, contracto properè milite, inſtructiſque navibus venientem opperirentur armati, ut conjun-

A Bazainenſibus auxilia petit.

junctis ſecum viribus Dio laboranti ſuccurrerent: nemini ſe certam pecuniæ ſummam imperare: nimirum uniuſcujuſque arbitrio relinqui, quantum quiſque in eam expeditionem conferre ſua ſponte vellet: nec dubitare, quin omnes, ac ſinguli pro ſua in Regem benevolentia, ac fide, auxilia viribus etiam majora ſuppeditarent.

44 Iiſdem penè verbis literas dedit ad cæteras arces, quæ Luſitanæ Ditionis ſunt, ex quibus aliqua ſubſidii ſpes affulgeret: nec id fruſtra factum; omnes enim, tum ad arma capienda, tum ad erogandas pecunias nactus eſt paratiſſimos: quæ felicitas ſanè ſingularis enituit eo imperante, ut pluribus in locis docebit hiſtoria. Incumbere itaque cœpit omni contentione, & cura in claſſis apparatum, & quia ærarium publicum immodicis ſumptibus exhauſtum fuerat, multam vim auri mutuam ſumpſit à mercatoribus, ſua tantùm fide oppignorata, quam unam ipſe theſauri loco ſemper habuit, quam ſi obligare ſemel vellet, totam illi ſortem credere non recuſaſſent fœneratores. Hæc vero incorruptæ fidei præclara, & ſibi conſtans opinio, quanto ſit in pretio apud eos, qui cæteris eminent, facile æſtimabit, qui ætatis noſtræ corruptelam non ignoraverit. Præter hæc, ut erat Joannes de Caſtro eximia in Deum pietate, ac Religione, publicè, privatimque preces indixit, quò faciliùs Divina bonitas ſuorum cauſam, immò ſuam tueri vellet; confidebat enim pius Prætor ſacrificiis magis, quàm armis, triumphum ſe de hoſtibus relaturum. De Dienſibus verò rebus cum veteranis, ac bellicæ rei peritis plerumque ſermones miſcebat, eorum ſibi profutura ſuffragia ſentiens tanquam meliora, quæ non ab authoritate, ſed ab experientia potiſſimùm ferebantur.

Et à negotiatoribus pecuniam mutuam.

Publicas preces inſtituit.

Commeatus hoſtium intercipitur.

45 Nec interea apud Dium barbarorum arma quieſcebant. Nunciatum Præfecto eſt, magnam mercatorum manum commeatus ad exercitum per maritimam Balſaris oram Damanum uſque ſubvecturam. Ad eos invadendos Jacobum Leyte maritimæ rei præpoſitum præmiſit cum tribus navibus ad Inſulam à mortuis nominatam. Is itaque noctu portu egreſſus, navali excurſione totam latè oram perluſtrans, minores onerarias complures, cibaria ſubvectantes, facta vi, redegit in poteſtatem, claſſiariis Mauris partim occiſis, partim ad dedecus reſervatis; nimirum, ut de nauticis antennis ſuſpenſos hoſtibus oſtenderet, cum ſe victor in portum reciperet. Ita factum eſt, territis horrido ſpectaculo barbaris, quibus de accepta clade dubitandi nullus relictus eſt locus, navigiis palàm incenſis. Commeatus verò, qui fuerat aptiſſima tempori præda, magno cum plauſu in arcem ſubvectus eſt.

Sofares è Surratæ portu claſſem educit.

46 Bellatores ſanè permultos ad eam diem Sofares amiſerat, quin aliquam infirmitatis notam, ſive in mœnibus, ſive in animis obſeſſorum deprehenderet, unde ſpes ſuas expugnandæ tandem arcis alere poſſet. Mundiſſimo cultu, & plumeis criſtis ornati ſpatiabantur in muro Luſitani, voluptatem quandam, ſeu potius ferocem belli contemptum præſeferentes. Eos porrò Sofares tam exiguis inſtructos viribus mari imperare moleſtè ferebat; cibaria quippe ad alendum exercitum non niſi periculosè, ac furtim tranſvehi poterant. Quapropter de Surratæ portu ornatiſſimam claſſem educi juſſit. Incidit hæc in tria minora navigia, quæ de Bazainenſibus ac Ciaulenſibus ad importanda Dio ſubſidia navigabant. Pugnatum eſt ſumma contentione à Luſitanis, ſed cum eſſent omnino viribus impares, plerique in-

ter

ter prælianduṁ fortiter occubuere, glorioſas animas tam egregiè profundentes, ut nihil Mauris ſuperfuerit, unde vel de præda, vel de victoria gloriari meritò poſſent. At Ferdinandus de Caſtro honoris, & gloriæ cupidiſſimus petivit à Præfecto facultatem excurrendi in maritimos hoſtes cum aliquot navigiis ſubſidiariis: non impetravit tamen; intellexit enim Præfectus fruſtraneam in ea excurſione operam poni, quia furtim hoſtis advenerat, ac paulò poſt in ſuam ſe ſtationem receperat.

47. Inter hæc Joannes Maſcharenhas ſuarum eſſe partium duxit, Luſitanum Regem de ea obſidione per literas commonere, quibus perferendis operam ſuam illi obtulit Armenius quidam Turcici ſermonis, locorumque peritiſſimus. Hunc levi navigio impoſitum in vicinam Poris oram celeriter tranſvehendum dimiſit, ut inde ſumpto Giogujorum habitu (qui inter illos pauperum, ac religioſorum cultus eſt) Cindum, deinde Armuziam, rectà contenderet cum literis, quas ad ejus arcis Præfectum perſcripſerat. Dedit ſe Armenius in viam cum mercatoribus Baſorenſibus, qui eum per Euphratem deduxerunt Babilonem, ubi expectanda erat nova peregrè proficiſcentium caterva, ut, juncto omnes agmine, periculoſa, & latronibus infeſta Arabiæ deſerta tranſmitterent.

Dienſis Præfectus per terreſtrem curſorem ad Regem ſcribit.

48. Nec minore Sofares periculo, quàm labore operibus promovendis inſtabat, in quibus urgendis tanta erat barbari contentio, ac crudelitas, ut ipſis caſtrenſium foſſorum corporibus, qui à noſtris confodiebantur, ad aggeres faciliùs implendos uteretur: ea fortaſſe diſciplina contra omnem humanitatem adhibita, ſuorum cladem per omnem penè exercitum divulgatam diſſimulaturus: tametſi crebris auxi-

auxiliis reficiebatur, quibus in horas ſingulas creſcebat exercitus. Poſt hæc, majora tormenta, in quibus Baſiliſci, quos vocant, aliaque portentoſæ molis, ad ſexaginta in ſtationibus locari, minoraque numero plura in arcem obverti juſſit: novis etiam ſepimentis excitatas nuper munitiones communivit, foſſores tegens, Indico more, tam obliquo, ac flexuoſo viarum obſidionalium ductu, ut nullo modo à muralibus machinis lædi poſſent. Hac arte perductis ad arcem operibus, Mauri foſſa potiti ſunt. Ibi Baſiliſci undeviginti conſtituti, qui arcem quindecim ipſos dies perpetua diſploſione verberantes tantum cladis mœnibus attulere, ut noſtri extremo coacti uti remedio, ruinis ipſis tegerentur, novis ex dejecto lapide muris, & ſepimentis raptim, ac tumultuariò excitatis.

Foſſam Barbari occupant.

49 Jam deſiderabantur ex defenſoribus ad octoginta: ſauciati ſupra centum numerabantur: ægri complures ex arcto commeatu, ac penè corrupto. Bellicus etiam apparatus magnam partem conſumptus, & non mediocriter imminutus Luſitanos in extremum penè diſcrimen adduxerat. Quod ubi Sofares cognovit de quibuſdam mancipiis, quæ à noſtris ad barbaros transfugerant, crebriùs, ac violentiùs tormenta diſplodi juſſit; putabat enim, attritis adeo viribus, propugnatorum animos quoque defuturos. Itaque ſuo cum Rege blandientis fortunæ munera partiturus, Mamudium non procul in oppido Ciampanello commorantem invitavit, ut in caſtra properaret, capiendam prima aggreſsione arcem paulò pòſt triumphali pompa intraturus. Illectus hac ſpe Sultanus cum decem equitum millibus, & magno aulicorum numero venit in caſtra, ubi exceptus eſt horrida tormentorum omnium exploſione,

Sultanus cum magna militum manu venit in caſtra.

ſione, tympanis, buccinis, cæteriſque militaribus inſtrumentis barbaro ululatu perſtrepentibus: qui ſanè concentus defenſorum animis timorem, auribus faſtidium incutiebat.

50 Eam hoſtium lætitiam repetito bombardarum ſtrepitu celebratam in Turcicarum legionum, quæ expectabantur, adventu, fieri Dienſes interpretabantur. Præfectus verò, advocato Ferdinando Carvalho, qui marino Caſtello præſidebat, fidiſsimos in actuaria prodire juſsit, qui eam inſolentis lætitiæ cauſam, & hoſtium conſilia, quanta poſſent diligentia, & celeritate perquirerent: exploratores enim, quos in exercitu alebamus, vel dubiæ fidei credebantur, vel apud ſuos ſuſpecti, currere ad nos omnino non audebant. Prodiere itaque ea ipſa nocte minutæ actuariæ impoſiti bellatores, qui paulò poſt Maurum captivum abduxerunt, ex quo de Mamudii adventu, de promiſſionibus, ac fiducia Sofaris intellectum eſt. Maurum Præfectus liberum dimiſit ea conditione, ut Cambajæ Regi nunciaret ſuo nomine, properè ſe ad ejus tabernaculum officii cauſa venturum, quapropter ab exercitu ne diſcederet. Abiit itaque Maurus non tam lætus recuperata libertate, quàm Præfecti conſtantia vehementer obſtupefactus, & paulò poſt in conſpectum Regis admiſſus commemoravit apud eum, quæ audiſſet, & quæ vidiſſet, addiditque in arce prorſus labefactata, Luſitanorum animos eſſe firmiſsimos.

51 Sofares verò mœnibus perpetua muralium machinarum emiſsione quati juſsis, nunciari præcepit Joanni Maſcarenhas per Simonem Feyum Luſitanum, quem contra jus belli captivum fecerat, mirari ſe, quare ignobilium pecorum ritu deliteſceret, & mœnibus ſe contineret, quin in apertum cum

ſuis dimicaturus deſcenderet, quemadmodum honeſtus eques Antonius Sylveira faciebat. Quid cauſæ eſſet, quamobrem audacibus verbis facta non reſponderent? Importuno nuncio, plumbeis glandibus de muro miſsis, reſponſum datum. Per horas omnino quinqne verberata majoribus globis ædificia jam pridem luxata, cladem non mediocrem accepere. Majore tamen damno noſtra in hoſtem tormenta directa ſunt, quin immo ſucceſſu meliore; ferreus enim ex arce globus Maurum in regio tabernaculo cum Mamudio confabulantem fortuitò trajecit. Rex verò (ut ſunt Orientales in interpretandis auguriis leviter creduli) caſum, tanquam certiſsimum ſiniſtri eventus indicium interpretatus, metum fortaſſe, ſuperſtitionis ſpecie diſsimulans, reliquit exercitum. Juzarcanes ab eo Regiis turmis præfectus. Is natione Abaſsinus in bello Mogolico coutra Sultanum ſtipendia ſtrenuè fecerat, nunc ab eodem tanquam gregarius non exigua mercede fuerat contra Luſitanos evocatus.

Fugit Sultanus, & Juzar canem pro ſe relinquit.

52 Relictis itaque caſtris, Mamudius in pace mnltò, quàm in bello animoſior, in Meliquenſe prædium in eadem Inſula ſitum ſeceſſerat, ubi auxilia maturabat, quæ in dies ſingulos exercitum augebant. Dienſis verò Præfectus, cum jam propter obſidionis anguſtias reſcire minus certò poſſet, quid hoſtes molirentur, re cum proceribus communicata, ſignificavit intereſſe plurimùm, ſi propiùs hoſtium machinationes explorarent, ut ſcire poſſent, quid ageretur. His auditis Didacus de Anaya, ſtipendiarius quidem, tametſi nobili loco natus, animum gerens ſanguini parem, ſuam Præfecto operam generosè obtulit. Itaque de muro demiſſus per funem, nocturnis tenebris tutus, ad hoſtium ſtationes

Didaci de Anaya notabile facinus.

per

perrexit inobſervatus, ac paulò poſt in duos Mauros incidit, qui invicem loquebantur. Pependit hìc animi dubius, an in ambos invaderet: neque enim utrumque poterat ſecum abſtrahere, nec fas erat cum utroque dimicare. Sumpto itaque ex occaſione conſilio, altero lancea lethaliter vulnerato, alterum ſtrictis brachiis arctiſſimè comprehenſum, clamoribus, morſibus, & toto corporis niſu vehementer repugnantem ſecum ad portas arcis abduxit, unde à ſtationariis magno cum plauſu exceptus, ad Præfectum unà cum captivo deductus eſt. Mirabile ſanè Didaci facinus, ſed quod illi adjunctum eſt longè mirabilius, nec ullo modo prætereundum. Commodatam ſibi à commilitone galeam Anaya, poſtquam in arcem ſe receperat, non inveniebat: amiſſam credidit eo tempore, quo cum Mauro luctabatur: per eundem iterum funem demiſſus, relectis retrò veſtigiis, galeam diligenter quæſivit in oculis exercitus jam perturbati: inventam ſuſtulit, auſuque feliciter temerario, ad ſuos incolumis tandem rediit.

53 Interrogatus à Præfecto captivus ſignificavit, Sofarem, & Juzarcanem, quorum alter perſtrenuus, alter ſuſpicaciſſimus ferebatur, conceptis verbis juraſſe Mahometi, fore, ut vel Dium in poteſtatem redigerent, vel in ea expeditione glorioſè occumberent; negabant enim ferre ſe poſſe Luſitanos victores, qui amicos ferre non potuiſſent. Ex continua diſploſione majora tormenta complura diſſiluere, quorum loco nova rurſus in ſuggeſtu conſtituta, incredibili impetu S. Joannis, S. Thomæ, & S. Jacobi propugnacula verberarunt. His præerant ſtrenui Duces Joannes de Almeyda, Aloyſius de Souza & Ægidius Coutinho, quorum tanta fuit in ea propugnatione conſtantia, ut nunquam thoracem

A Captivo intelligit Præfectus quid Barbati moliantur.

 exue-

exuerent; nec aliter cubarent, niſi armati, ut periculis ſemper, laboribuſque perferendis paratiores invenirentur.

Dienſis arcis ruinæ.

54 Propugnaculum verò S. Jacobi, cujus erat ſtructura debilior, ſolutis latè compagibus, metuendo hiatu diſceſſit: poterant in eo Turcæ pene ex æquo cum præſidiariis congredi. Nulla jam ſupererat muri lorica: nullæ omnino in tota arce pinnæ apparebant: omnia muralibus machinis labefactata: ea verò muri pars, quæ duo S. Jacobi, & S. Joannis propugnacula interjacebat, hoſtilium vi tormentorum penitus diſiecta fuerat. Quapropter diurno labori nocturnus etiam adjungebatur: tam paucis nimirum, ac perpetuo penè labore fractis, ut ſummoperè arduum, ita planè neceſſarium erat, brevìſſimo temporis intervallo laceram tot locis arcem reficere. Summa tamen animorum conſenſione admovebant omnes laborioſo operi manus, cujus perficiendi, tametſi nulla ſpes eſſet; urgeri tamen pro viribus neceſſitas ultima poſtulabat.

Dienſium matronarum notabilis virtus.

55 Laborantibus viris operam ſuam adjunxere Dienſes matronæ, partim materiam exſtruendo aggeri neceſſariam convectantes, intrepido partim vultu aſcendentes murum, offendentes paſſim in lanceas, ac militares gladios, inuſitata ſexus, ac naturæ victoria; perinde quaſi ſub habitu prorſus alieno viriles animos occultarent. Nec defuere, quæ ſumptis armis viriliter cum hoſte manus consererent, & ab acu ad tractandam lanceam, à mollibus ſtratis, in quibus, Indico more, ſedere ſolent otioſæ, ad defendenda ſtrenuè mœnia tranſirent. Gloriam præ cæteris ſingularem promerita eſt Eliſabetha Fernandez, quam Luſitani ſcriptores, ad illius famam ſumma cum laude poſteris commendandam, *Dienſem*

Anum

Anum in Indicis annalibus nominavere. Hæc porrò matrona honeſtiſsima magnam fortunarum ſuarum partem inſumpſit in comparandis cupediis, & delicatioribus cibis, quibus in acriore conflictu occupatos milites recrearet. Hos ad conſtantem arcis defenſionem, ad ſuſtentandum ſtrenuè prælium crebris exhortationibus inflammabat: validiores in id rationes afferens, quàm ſpiritus, & fœminilis prudentia dictare ſoleant. Spectabilis verò ejuſmodi matronarum induſtria, ac diligentia, non mediocri levamento fuit in laboribus, & in periculis capeſſendis exemplo; ſedulè nimirum, & opportunè ad omnia tametſi periculoſa, & ſervilia paratiſsimæ inveniebantur,

56 Animadvertens autem Sofares nocturna Dienſium induſtria refici, quidquid de die curulia tormenta dejeciſſent, novum opus molitus eſt, inventione quidem ſubtilius, quàm ſucceſſu commodum, & opportunum. Decrevit itaque è regione Thomæi propugnaculi, quod, quia male materiatum, & tormentorum ictibus magis obnoxium, patebat largiore ruina, alterum opponere, quod altitudine noſtrum vel æquaret, vel vinceret; inde enim, ut ex ſuperiore loco, murales pinnæ certiore libratione decuti poterant, & defenſores à prælio removeri, quin poſſent noctu obmoliri; nimirum obverſæ de die in eam partem baliſtæ potuiſſent noctem totam ad deſtinatum ſcopum collineare. Magnam itaque terræ vim, & prægrandes arborum ramos ad aggerandam foſſam convehi celeriter juſsit, interſtratis ad firmandam planitiem truncis craſsioribus, ne ſtrues deinceps aggerenda vacillaret. Operarum verò multitudo tanta confluxerat, ut novus quodammodo exercitus videretur: quapropter creſce-

Novum aggerem Sofares fruſtra inſtruit.

ſcebat opus ſpatio breviſsimo. At è noſtro propugnaculo tormenta interim librabantur incredibili hoſtium damno; nam cum operæ inter ſe junctæ admodùm, & ſtipatæ ſine pluteis aggeri inſtarent, nullus ex arce globus irritus, & ſine clade ferebatur.

Diſturbatur à Præfecto.

57 Illatum ſuis damnum Sofares ex multitudine pereuntium probe intelligens, de nocte tantùm inſiſtere operi fabros juſsit, ut incertæ, ac vagæ Dienſium tormentorum librationes minùs nocerent. Ejus itaque juſſu, clamoris ibi plurimum excitabatur, ubi minus operis eſſet, ut decepti libratores clamantium ſtrepitu, innoxios eò ictus dirigerent, unde clamor ad eorum aures pleniore ſono ferebatur. Id ubi Maſcarenhas intellexit, crebris & luculentis facibus per idonea loca diſpoſitis arcem juſsit illuminari, ut foſſores ac fabri, qui nocturnis tenebris tuti, & quaſi ſub clypeo laborabant, obiectu factitiæ lucis, apertiſsimo periculo objicerentur. Sofares verò militarium ſtratagematum, quæ in Europa didicerat, peritiſsimus, obſidionales vias tam obliquo ductu promoveri juſsit, ut inchoatum opus Mauri tutiores in altum perducerent, tormentis inutiliter, & vagè fulminantibus.

Aggeris molitionem Sofares promovet.

58 Magnam id Præfecto injecit ſolicitudinem; quippe perfecta machina, nullus ſupererat in arce locus, qui hoſtium telis non pateret, imminentibus arci libratoribus, quapropter, ſi amiſſa loci eminentia, qua valebamus, ex æquo cum barbaris, numero longè præſtantibus dimicandum eſſet, vel nulla, vel exigua reſiſtendi ſpes affulgebat. Re in deliberationem propoſita, nemo unus erat, qui periculum certiſsimum non videret, nemo, cui opportunum remedium ſuccurreret. Aliqui ſanè majore audacia, quàm conſilio in eam ſententiam abiere, ut,

Quem tandem Præfectus deſtruit.

facta

facta excurſione, hoſtium molitio aperta vi diſturbaretur: ignorabant tamen, qui ſic ſentiebant, longè majus eſſè periculum, cui objiciebantur, quàm quod fugiebant. Paucis igitur id conſilii probatum eſt, nemo tamen melius ſuadebat. Irrumpunt itaque noſtri in hoſtem, ſed levi, vel nullo fructu: quippe barbari præpotentes, & in omnem Dienſium motum intenti, valida Prætorianorum manu, munitorum ſtationem firmaverant. Verùm, ut in arctis, afflictiſque rebus ipſa periculi magnitudo conſilium ſuggerit, meminit Joannes Maſcarenhas eminentem adhuc locum in arce eſſe, qui, cum Thomæo Caſtello multò eſſet editior, peropportunus videbatur, ut ibi tormentorum ſuggeſtus locaretur. Ita factum ſucceſſu ſecundiſsimo. Statutæ nimirum eo in loco baliſtæ paucis poſt diebus hoſtilem machinam penitus evertêre, reſperſam æquè molientium ſanguine, cum ſurgeret, & cum deſtrueretur. Sofares verò, tanquam hydra multiplicis capitis, mutato conſilio, ruinis ipſis, quas feceramus, replere foſſam decrevit: quod erat oppidò facilius; neque enim tumultuarium opus meditata partium menſura, neque ingenioſa diſpoſitione, neque militaris architecti ſcientia indigebat, Foſſam implere Sofares aggreditur.

59 Congeſtis dirutæ munitionis ruderibus duo millia peditum circumductam arci foſſam æquare juſsa, dum cæteri penè legionarii perpetua miſsilium, ac ferrearum glandium jaculatione arcebant à muris repugnaturos. Creſcente hoſtium molitione, obſeſſorum quoque periculum mirum in modum augebatur; dirutis enim undecumque arcis faſtigiis, quantumcumque aggeſtio creſceret, facillimo negotio murorum humilitatem exæquabat. Eludendis hoſtium conſiliis intentiſsima cogitatione Præfectus invigi-

vigilabat. Cum verò penderet animi dubius, qua ratione id ipſum exequi commodè poſſet, à quibuſdam præſidiariis, qui Dienſem arcem à prima penè pueritia incolebant, indicatus eſt illi fornix in imis mœnibus inobſervatus, ſoluto lapide leviter, & in ſpeciem tantùm obſtructus, unde facilè, ac ſine periculo congeſta materia egeri poſſet. At cum nullas admitteret neceſsitas moras, Præfecto imperante, apertus, & repurgatus eſt locus militari fraudi peridoneus. Immiſsi inde noctu, qui perpetuo egeſtu foſſam latentes exhaurirent, & tradita per manus rudera aliò conveherent. Aggeſta tamen materia, ita ſolerter, & cautè ſubducebatur, ut intacta cumuli ſuperficies ad fallendos hoſtes relinqueretur. Extima tamen terræ facies, cum, detracto ſenſim fulcimento, violenta omnino penderet, imaginaria illa ſolidi operis ſpecie in oculis hoſtium dehiſcente, ad centrum ſuo ipſa pondere ferebatur.

Per poſticum rudera Dienſes avehunt.

60 Admonitus Sofares de hac Dienſium induſtria, qua operoſiſsima molitio diſturbabatur, impatienter admodùm ferens, quod ſua in irritum conſilia caderent, dum ad foſſam Turcica legione ſtipatus properabat, ferociter indignabundus, nequaquam in ſpem tantæ rei miſſus ex arce globus inopinantem percuſsit, & fractis cervicibus ſolo afflixit. Exercitum univerſum ſtrenuiſsimi Ducis deſiderio publicus mœror invaſit. Noſtris ex arce inſpectantibus, ductum militari, ac politico more funus, tractis per terram vexillis, incondito tympanorum pulſu, tubiſque diſſono clangore ſtrepentibus, donec ſuprema chariſsimorum comploratione, & ejulatu cadaver defoderetur. Juravit illico Rumecanes ſumpturum ſe meritas de Patris occiſoribus pœnas: dolor quippe & ira apud Turcas poſtrema ſunt pie-

Sofares plumbea glande per cuſsus moritur.

tatis

tatis officio, quibus ſolent mortuis ſuis parentare.

61 Is Patris non minùs odio, quàm muneri, cum Regia, tum militari deſignatione ſuccedens, bellum ſtrenuè perſequi cœpit, non tam, ut ſuſceptas novæ Præfecturæ partes expleret, quàm ut domeſtico dolori faceret ſatis; utroque enim titulo vehementer ad urgendam, quanta contentione poſſet, obſidionem, incitabatur. Itaque ſex in locis inchoatam foſſæ aggeſtionem promoveri ſtrenuè juſſit, novis in horas penè ſingulas foſſoribus, cohortibus, bellicisque machinis in caſtra venientibus. Fervebat itaque opus ex omni parte, cui inſtabat alacriter Rumecanes ad ſternendam faciliùs aggreſſioni viam, nec deſtitit inchoatam à Patre machinam promovere: quin immò, ut arte artem eluderet, ſex obſidionales acceſſus ad arcis fornicem, unde decidua à noſtris egerebatur materia, incredibili celeritate perduxit. Conjungebantur acceſſus omnes veluti in unum, ſuper ligneum pontem, quem extruxeramus ad rudera faciliùs adſportanda, cui tanquam fundamento hoſtilis machina nitebatur. Igitur ſuper pontem lapides, ac trabes tam inuſitatæ magnitudinis jacta ſunt, ut immenſo pondere curvatum prius, tandem dejecerint, non ſine damno operarum foſſam inferiùs exhaurientium. Id ubi Præfectus animadvertit, fornicis portam jam prorſus inutilem obſtrui juſſit, ad impediendam hoſtium ſubitariam invaſionem. Hi verò, nullo impediente, opus urgebant alacriter, dùm trepidi propugnatores rationem excogitabant, qua creſcentem damno non mediocri machinam diſturbarent. Porrò Mauri læto vultu, inconditiſque clamoribus victoriæ certò ſecuturæ voluptatem prægustare potiùs, quàm expectare videbantur.

Rumecanes filius Patri ſuccedit.

In arce Dienſi magna rerum omnium difficultas.

62 Huic ſolicitudini nihilo leviores curæ adjungebantur. Defenſorum quippe decreverat adeo numerus, ut vix ducenti in arce numerarentur, quorum alii labore, alii morbis, vulneribuſque debilitati, magis otio, ac deliciis indigebant ad recreandas vires, quàm novis periculis, ac laboribus objici poſſent. In gregariis verò militibus diffidentia paulatim timori locum faciebat. Summa rei frumentariæ, & bellici apparatus anguſtia, mare ſævum, adultæ hyemis acerbitas intractabilis omnem auxiliorum ſpem eripiebant, quæ per id tempus, nec peti commodè poterant, nec expectari.

Joannes Coelho parochus ad Prætorem navigat ſumma Eyeme.

63 Curandis militum animis exercebat in arce Parochi partes Joannes Coelho, Sacerdos non modò inſigni pietate, ſed magno etiam animo præditus ad honeſta quævis pericula capeſſenda. Is Præfecto, cui charus erat in primis, operam ſuam obtulit ad tranſmittendum, hyeme fruſtra obluctante, ut vel Bazainum, vel Ciaulum appellens earum arcium Præfectis ſignificaret, tanquam oculatus teſtis, quo loco res eſſent, ut inde, repetitis terreſtri itinere curſoribus, ad Goanum Prætorem triſtiſſimus Dienſium rerum nuncius perferretur: ſuam præterea fidem, interpoſito jurejurando, obligavit, ſe Dium, remenſo itinere, recurſurum, ſimul ac Prætor reſcriberet, ut unam, eandemque cum chariſſimis civibus fortunæ aleam experiretur. Illum Præfectus ſine mora inſtructæ duodecim naviculariis actuariæ impoſitum dimiſit. Eundem nos fluctibus interea obluctantem relinquemus, rationem deinceps de ſuſcepto tam piè, ac fortiter itinere reddituri.

Foſſam tandem Mauri implent.

64 Inter hæc Mauri coacti licèt, & perinviti in aggerenda foſſa ſtrenuè laborabant. Rumecanes enim crudeliter imperioſus miſeros, vel mori cogebat,

bat, vel in arduo, ac periculoſo labore perſeverare, cujus tandem ea merces erat, illata ab hoſtibus morte, miſerabilitèr tumulari. Aggere tandem ad ſummam foſſam perducto æquatum eſt iter. Cum verò ad propugnaculum Ægidii Coutinho non poſſet opus perduci, præjactis craſſioribus trabibus pontem prævalidum barbari extruxere, ſuffodiendo muro commodiſſimum; neque enim caſtrenſes foſſores, ut in anguſto loco, ac præterea pluteis muniti, baliſtarum ejaculatione prohiberi poterant, quo minùs operi inſtarent.

65 Ut imminenti periculo Præfectus occurreret, ferreas catenas craſſiores, quæ à muro ad pontem pertingerent, quanta potuit celeritate, conſtrui juſſit. His ſparteos ſaccos complures appendit, nitrato pulvere, pice, bitumine, cæteraque materia igni inextinguibili concipiendo peridonea undecumque oblitos, quos ubi ex alto projecit, tanto impetu immedicabiles flammæ pontem corripuere, ut è veſtigio diſiecerint. Ad opus novis trabibus muniendum intrepidus Rumecanes ferociter advolavit, ſtipatus majore militum, fabrûmque copia, quorum alii labori inſiſterent, alii laborantes defenderent. Impigrè tamen Luſitani venientibus reſtitere; ſiquidem repetita tormentorum jaculatione, quæ minuta glande repleverant, minoribus ſclopetariis undique fulminantibus, non mediocrem barbaris cladem attulere. Rumecanes tamen adeo pertinaciter operi inſtabat, ut ſuper ipſa occiſorum cadavera aſcendere ſuos juberet, qui, tametſi coacti, non ignoratam periculi magnitudinem ſervili obedientia ſuperabant. Foſſa demum ad marginem uſque, labore penè incredibili, exæquata eſt.

Dienſes contra nituntur, ſed fruſtra.

66 Intelligens verò Rumecanes, quo loco res

Rumecanes honeſtas conditiones offert Luſitanis, ut arcem tradant.

eſſent, paucis admodum ſuperſtitibus Luſitanorum, qui poſſent ſtationes, ut par erat, defendere, eorum animos perſpicere rurſus, & pertentare ſtatuit; rebatur enim diuturno labore attenuatos, ratione, ac natura ipſa ſuadente, vitam in tanto rerum articulo non contempturos. Igitur concubia nocte qui excubias agebant ad S. Jacobi, clamantem audiunt Luſitanis vocibus Simonem Feyo: Præfectum evocarent, quocum ſibi de re graviſſima negotium eſſet. Accepto nuncio, venit illico Joannes Maſcarenhas ad colloquium, cui Simon Rumecanis juſſu venire ſe dixit, ajentis captum ſe ſupra, quàm dici poſſit, virtute militum ſtrenuiſſimorum, quibus, deſperata jam defenſione, pretioſam vitam ſervare magnoperè cuperet. Arcem proinde undecumque labefactatam, defenſorum pleroſque, vel ægros, vel ſauciatos, ſubſidii ſpem prorſus nullam, annonæ, telorum, plumbearum glandium, ac denique nitrati pulveris extremam inopiam diligenter apud ſe reputaret, nec pergeret obfirmata mente, certiſſimo, & inevitabili fruſtra periculo ſuos, ac ſe ipſum objicere, gloriamque ſtrenuiſſimæ defenſionis, quam adeptus abundè fuerat ad eam diem, fatua, & maximè debilium propria temeritate corrumpere: rogare itaque, arcem dederent, ut, ex ſervata hoſtium fortiſsimorum vita, laudem ſibi pareret ſempiternam: honeſtiſsimis conditionibus diſceſſurum cum ſuis, ſi paruiſſet, relictis ad libitum abeuntium bonis, ac navibus ad tranſmittendum: verùm, ſi demum imperata facere recuſaret, uſurum ſe contra pervicaces duriſsimo belli jure, eaque licentia, qua ad cædem promiſcuè faciendam victoriæ tempore irati milites incitantur. Reſpondit ad hæc Maſcarenhas: arcem, quæ Luſitanos haberet propugnatores, mœnibus

Præfecti generoſum reſponſum.

nibus omnino non indigere: eam porro ipſi, vel apertam, obfirmatè defenderent, tota licèt Aſia contranitente: id porrò quàm verum eſſet, hoſtibus ſe in proxima aggreſsione declaraturos: validiora interim à Sultano ſubſidia properè ſolicitaret: Luſitanis victorias mediocres, ac nimis faciles contemptui eſſe: porrò, quod ad arcis ruinas attineret, ſperare ſe, deciſis Turcarum capitibus eas procul dubio reparaturum: ſciret præterea, ubi deeſſent in arce commeatus, præſidiarios ſecum in Turcica caſtra deſcenſuros ad conquirendam annonam, quæ cum cæteris cederet in ſpolia victorum: nihil Luſitanis inter hoſtes defuturum, dum arma ſuppeterent, nec eſſe profectò, cur tutiſsimam tranſmiſsionem offerret nou abituris, cum ſperarent viam ſibi ſtrictis gladiis per confertiſsimos hoſtium cuneos ſe brevi facturos: nunciare ſe demum diſertiſsimè Simoni Feyo, ne rurſus, tametſi juberetur, verbis non ſuis indecora ſuaderet: quippe ſi pergeret, juſſurum ſe præſidiariis, ut eum majoribus fiſtulis, tanquam patriæ perduellem impeterent.

67 Intelligens autem Rumecanes obfirmatos Luſitanorum animos periculis, laboribus, ac fame ipſa non frangi, ſed, tanquam ſumpto alimento, roborari; acerbiſsimo reſponſionis noſtræ contemptu exulceratus, Legionariis primam arcis aggreſsionem indixit in craſtinum. Et jam dies pertimeſcenda noſtris illuxit, quæ incidit in XIV. Kal. Auguſti ann. MDXLVI. Dirutam penè arcem innumeri barbarorum manipuli circumdabant undique. Primus omnium Juzarcanes cum quindecim lectiſsimorum centuriis S. Joannis propugnaculum incredibili impetu aggreſſus eſt. Defenſores in eo triginta omnino numerabantur, Duce Aloyſio de Souza, in quibus

Propugnaculum Sancti Joannis hoſtis aggreditur.

bus Ferdinandus de Caſtro, Sebaſtianus de Sà, Didacus de Reynoſo, Petrus Lopes de Souſa, Didacus de Sylva, Antonius à Cunha, aliique nobiles, gregarii cæteri. Primum hi ſubeuntium impetum, collato pede dimicantes, tam ſtrenuè, ac feliciter repulere, ut octoginta, qui primi omnium murum aſcenderant, dejecti ſint non mediocri clade, quam ſanguis, & morientium voces declaravere. His dejectis, alteri, nec minore impetu ſucceſſerunt, cadaveribus occiſorum molliorem aſcenſum præbentibus. Subeuntes Juzarcanes præmiis, ac minis alacriter inflammabat ad ſumendas de ſuperbis hoſtibus pœnas, victoriamque Turcico nomini glorioſiſsimam fore dictitabat. Aer horrido bombardarum ſtrepitu, inconditiſque clamantium vocibus fractus, & in Dienſibus muris reciprocatus metuendum in modum perſonabat. Cætera etiam propugnacula perpetua fulminantium baliſtarum jaculatione feriebantur: ad S. Joannis, ac S. Thomæ ſtrictis gladiis concurrebatur, ut diviſæ paucorum vires faciliùs expugnarentur.

Et Sancti Thomæ.

68 In propugnaculum S. Thomæ, quod egregii Duces Joannes de Almeyda, & Ægidius Coutinho tuebantur, cum Turcicis cohortibus Rumecanes impetum fecerat. Aggreſſores verò cum eſſent omnes probatæ virtutis, & natura ſua ſuperbiſsimi, tam audacter, furenterque irruperunt, ut, perinde quaſi venalem morte victoriam quærerent, lethaliter tranſverberati per ipſas ferientium lanceas aſcendereférociter velle viderentur. Valebant numero barbari, loco Luſitani. Qui murum ſemel aſcenderant, vel gradum promovere, tanquam victores, vel mutilo corpore mori cogebantur; perículoſior quippe præliantibus erat receptus ipſe, qnàm pugna. Bar-

bari tamen recenti milite aggreſsionem facilè inſtaurabant: Lnſitani iidem ſemper, tametſi non iiſdem viribus, ut primis ſuperiores, ita pares inveniebantur poſtremis. Nec ceſſabant hìc Dienſes matronæ, quin immò congruos tempori, non ſexui, ſpiritus induentes, ſociam cum bellatoribus viris jungebant operam: aliæ tela, aliæ incendiarias ollas ſuppeditabant: hæ delicatis potionibus, illæ lautioribus cibis feſſos opportunè milites reficiebant, & cum propriæ virtutis oſtendendæ locus deeſſet, ſerviebant alienæ. Nec defuerunt, quæ verbis appoſitiſsimis pugnantes incenderent: dignæ ſanè, quibus virile robur par grandibus animis contigiſſet. Earum tamen in hac obſidione acta non ſilebimus, quæ, ſi minùs videntur commemoranda inter præclara tot heroum fortiſsimorum facinora, tanquam rara certè, & inuſitata, laudem non mediocrem promerentur. Ad ima propugnacula, montis inſtar jacebant aggeſta cadavera, quorum alia largis vulneribus planè exanguia, alia flammis abſumpta. Extremum alii ægrè trahentes ſpiritum, feroci, ac miſerabili voce, ſuos ad ultionem ſolicitabant, nec raro accidit, ut, qui ultores veniebant, inultis omnino ſociis, præmorerentur. Mira prorſus in hoc prælio facinora edidere Luſitani, quæ faciliùs quis ex ſucceſſu ipſo conjiciat, quàm ſcripto comprehendat; incerta quippe ſit, ac dubia veritas, neceſſe eſt, ſi quis omnia ſingillatim, & enucleatè perſequi velit in bellicis eventibus deſcribendis, ubi timor, ira, deſperatio, cæterique perturbati animi affectus ita vim judicii ſecum rapiunt, ut ſua quiſque geſta fideliter referre vix poſſit.

69 Ferdinandus de Caſtro bellicam ea die virtutem ſanguini parem, & ſupra annos egregiè pro- Noſtri Mauris reſiſtunt.

ba-

bavit. Sebaſtianus etiam de Sà fortiter dimicandi memorabile poſteris exemplum reliquit, donec venenata ſagitta trajectus in ſiniſtro genu, cecidit quidem lethaliter ſauciatus, pugnare tamen utcumque nitebatur, tametſi vires ad ſuſtentandum prælium deficerent. Aliò tandem à ſuiſmet commilitonibus, qui illuſtrem ejus caſum æquè miſerabantur, & invidebant, adhuc invitus abſtractus eſt, ultione de hoſtibus cumulatiſſimè ſumpta. Omnes demum tam fortiter, ac ſtrenuè dimicarunt, ut, ad merendam in re bellica poſteritatis commendationem, probata hac una die virtus ſatis, ſuperque ſufficiat. Duas ipſas horas atrociſſima dimicatio tenuit, quin pugnandi vis, & contumacia quidquam remitteret; tanto quippe impetu Rumecanes cum ſuis congrediebatur, perinde, ac ſi vellet una tantum die bellum abſolvere: nationes ſingulas in ſingulas turmas diviſerat, ſive, ut ſtudio æmulationis inſtinctæ dimicarent fortiùs, ſive, ut ſuis unaquæque Ducibus obtemperaret faciliùs. Ipſe verò militis, acDucis partes impigrè obiens, quà vocibus, quà exemplo legionarios incitabat: quin immò ſanguinis, qui largiſſimè fundebatur, inexplebili quadam ſiti correptus, audaces laudibus, contumeliis inertes acuens, iracundiam cum prudentia conjunctam, vel in ipſo dimicationis ardore præſeferebat. Nec minùs ſtrenuè Joannes Maſcarenhas optimi Ducis partes exequebatur; omnium quippe periculis ſocium perquam naviter ſe adjungens, adeo pugnavit fortiter, & imperavit ſapienter, ut militari virtuti, ac diſciplinæ cumulatiſſimè ſatisfaceret.

Affecti clade Mauri receptui canunt.

70 At verò Rumecanes ſtrata paſſim ſuorum cadavera conſpicatus, ubi legiones minùs dicto audientes animadvertit, receptui cecinit, & ne ac-

ceptæ cladis, tum victis, tum victoribus manifeſta ſigna relinqueret, occiſos, ac vulneratos ex eo, in quo jacebant, in alium properè locum avehi juſsit. Quingenti tamen in eo prælio deſiderati, ut ipſi poſtea barbari faſſi ſunt: ſauciatorum numerus longè major. Ex noſtris unus dumtaxat occiſus, infra viginti ſauciati. In tanta virium inæqualitate quis dicere audeat humanis tantummodò viribus partam victoriam? Quis neget Deum ipſum pro meliore cauſa ſtetiſſe, & Luſitanis armis uſum feliciter tanquam inſtrumentis ad declarandam potentiam ſuam? Sed luculentiora de hoc argumenta nobis deinceps hiſtoria ſoppeditabit.

71 Receptis in caſtra barbaris, Dienſis Præfectus novo labore ſuos occupavit, quem ſanè leviorem, quàm re ipſa vires ferrent, vel neceſsitas ipſa, vel victoria faciebat. Reficiendæ neceſſariò erant arcis ruinæ, & aditus hoſtibus præcludendus. Itaque hæc una quies fatigatis offerebatur, lapides ſubvectare, & aptè reponere in loco, terram ſuffodere, ſuffoſſam aqua ſubigere, ſubactam ſubſternere, & omnes promiſcuè fabri murarii partes explere: hilari tamen vultu omnes, ac ſponte ſua operi inſtabant, Præfecti ipſius exemplo permoti, poſt victos inimicos, ſe ipſos quoque, natura licèt repugnante, vincebant. Sarta magna ex parte mœnia ſub auroram apparuere, triumphalibus fabris in ipſo dumtaxat opere quieſcentibus, quos æqua ſemper armorum ſarcina graves diurnus, & nocturnus labor fatigabant. Hoſtes porrò præteritæ dimicationis contentio adeo fregit, ac debilitavit, ut ad multos dies (experientia, credo, cautiores facti, ac paulò timidiores) congredi omnino nobiſcum non auderent. Crebris dumtaxat irruptionibus obſeſſos fatigabant,

Luſitani in reparanda arce occupantur.

ut, iteratis ad arma conclamationibus, frangerent, & ſingulorum in occupandis ſtationibus notarent alacritatem: tormentorum tamen emiſsiones continuæ, quaſi nos vellent lentæ obſidionis diuturnitate debilitare. Sed, cum novis quotidie ſubſidiis Turcicæ legiones ſupplerentur, ſignificaretque Mamudius vires omnes in eo bello conficiendo pertinaciter ſe impenſurum, ſtatuit iterum Rumecanes in arcem invadere.

Juzarcanes ſuperſtitioſis ceremoniis exercitum expiat.

72 Acceptam verò cladem apud ſe diligentiſsimè reputans, nuperam ſuorum cædem à gravioribus procul dubio cauſis proficiſci credidit, quàm à quibus vulgò putabatur, cùm à paucis tam multos, à laſsis recentes victos animadverteret. Quapropter Prophetæ indignationem à ſuis, ut rebatur, graviter irritatam, precibus, & expiationibus deliniendam exiſtimavit. Igitur impii Mahometis imagine conſecratum vexillum educi jubet, & ad impuram Prophetæ ædiculam ab univerſo exercitu circumduci: aliis deinde barbaris quidem, ac ridiculis cæremoniis expiari legiones imperat, ut, quo offenſo victoriam nuper amiſerant, eodem propitiato, recuperarent: Ferdinandus Carvalho, qui marino propugnaculo dux præſidebat, diſcurrentes tota nocte milites vidit, luculentas horridè faces circumferre; triſtes identidem voces, & ejulatus exaudivit, qui improviſo ſilentio pauliſper preſsi, erumpebant iterum in gemitus, ac ſuſpiria multorum, qui ad bellicos modulos miſerabiliter querebantur: in hac porrò ſuperſtitione magna pars noctis inſumpta. Rei novitas, & inſolentia non mediocrem Ferdinando Carvalho curam injecit, & licèt, quò triſtis cæremoniæ ſpectaret apparatus, nequaquam conjiceret, Præfecto tamen maturè rem totam aperit. Is facilè

inter-

interpretatus eſt, ea omnia certiſsima eſſe novæ invaſionis indicia, ad quam feliciter obeundam barbaro, ac ſuperſtitioſo cultu Mauri Mahometis indignationem placarent.

73 Igitur ne, ſi rurſus arcem barbari invaderent, imparatus inveniretur, Præfectus diligenter circumſpexit, an ad excipiendum irrumpentium impetum, in promptu haberet omnia. Animos certè militum, tametſi afflictis adeo viribus, integros invenit, & paratiſsimos; ægri nimirum, & ſaucii, lectulis, & medicamentis rejectis, magis erant de invadendo periculo, quàm de ſalute redintegranda ſoliciti. Prudenter itaque, ac ſtrenuè in omnibus ad validam defenſionem adornandis Joannes Maſcarenhas induſtria, ac diligentia ſua laborabat. Aurora vix dum illuceſcente arcis aggreſsionem repetunt Mauri terribili buccinarum ſtrepitu, & inconditis vocibus, quæ triſtiùs ex ipſo noctis ſilentio reſonabant. Tres in alas diviſus exercitus promovebatur ad muros. Præcedebat legiones Regium vexillum, quod impium Prophetam coloribus exhibebat expreſſum, ut ad rem ſtrenuè gerendam non ſolùm regia dignitate, ſed religione ipſa milites incitarentur. Uno, eodemque tempore in propugnacula S. Thomæ, & S. Joannis, & in ſpeculam Antonii Paſanha factus eſt à barbaris impetus tam ferociter, ut quaſi oculis capti, præſentiſsimum periculum, nec cernerent, nec timerent. Tanta tamen conſtantia ſubeuntes à Luſitanis excepti ſunt, ut cogerentur citius pedem referre, quàm intuliſſent: occiſi plerique, ſaucii complures, omnes flammis ambuſti cecidere. Cæteros ad ſubeundum Juzarcanes, Rumecaneſque imperioſis vocibus inflammabant. Recentes itaque centuriæ alacriter ſuccedebant, fulminantibus

Nova arcis invaſio.

tibus infra ſclopetariis, ſagittariiſque horribilem telorum, lapidumque procellam temerè in altum effundentibus. Hic enim verò conflictus atrox recruduit, Mauris pertinaciter obnitentibus, ut amiſſam apud ſuos bellicæ virtutis opinionem recuperarent: feras crederes furialiter incurrentes, niſi pudor iratos ageret. Obfirmati quippe quocumque periculo in muros ſcandere, ut victoriam adipiſcerentur, vitam negligebant. Superatis in hunc modum mœnibus, æquo jam loco, & collato nobiſcum pede dimicabant.

Ferdinandus de Caſtro ſtrenuè Mauris reſiſtit.

74 Aloyſius de Souſa cum Ferdinando de Caſtro, cæteriſque nobilibus commilitonibus novum hodie virtute ſua Luſitanis armis decus addidere; unuſquiſque enim tam ſtrenuè rem geſſit, ut eos nominatim Rumecanes ſuis oſtenderet, cum ad proponendum fortibus exemplum, tum ad ignaviam inertibus exprobrandam. Turcis tamen recentia ſemper auxilia ſubmittebantur, iidem, qui prælium injerant Luſitani, æqua tamen, & recenti ſemper virtute, dimicavere. Erat ubique perquàm atrox, cruentumque pugnæ genus. Multos jam Mauri Luſitanis gladiis transfixos amiſerant, alios, vel lethaliter ſauciatos, vel membris miſerandum in modum captos ſterni videbant: ira tamen obcæcati ſuorum cædem, vel diſſimulare, vel omnino negligere videbantur; ſiquis enim ſterneretur, commodiorem ſequenti locum faciebat, vel ut pedibus fortiùs inſiſtens majori vi haſtam emitteret, vel ut firmiùs latiùſque pugnaret: tanta, & tam nova crudelitatis genera duris militibus ardor, & impatientia victoriæ ſuadebant.

Propugnaculum Sancti Thomę Turcę ingrediuntur.

75 Hac pugnæ pertinacia, noſtris incaſsùm contranitentibus, ſuperato tandem barbari muro, S. Tho-

mæ

mæ propugnaculum occupavere: locum diu, multumque ſuſtentarunt, novis ſubinde manipulis, pro iis, qui caderent pari ferocia, & auſu ſuccedentibus. Magnus hic ſtoſtium in conſerendo prælio impetus extitit, nec minor cædes. Joannes, Franciſcus, ac Petrus de Almeyda non ſolùm ſanguine, ſed etiam virtute fratres, barbaros incurrentes conſtantiſſimè excepere, totam ſuſtinentes belli molem, dum pugna tenuit.

76 Rumecanis legionarii cum noſtris æquo ſanè loco, ſed numero longè majore dimicabant collato pede: periculo ipſo bellicam virtutem acuente. Ex iis verò, qui propugnaculum occuparant, pauci admodùm ad ſuos vivi deſcendere: penè omnes horribili cæde trucidati. Pugnabant tamen ſumma contentione, ut ſtratam jam ad victoriam viam, vel aperto vitæ periculo tuerentur. Rumecanes quidem, ut tum primùm in eo bello faventem ſibi fortunam experiebatur, cum laudibus, tum promiſſis ampliſſimis ferocem ſuorum arrogantiam alacriter incitabat. Inter hæc percrebuit in arce rumor, propugnaculum in hoſtium poteſtatem veniſſe: quæ ſanè fama, ſive dolo, ſive caſu diſperſa, parùm abfuit, quin arcem omnino perditum iret; bellatores enim, qui in aliis ſtationibus diverſi dimicabant, ad opem propugnaculo laboranti ferendam ſuis de locis, improvido conſilio, deceſſerant: ii præcipuè, qui domos ad rupem ſitas cuſtodiebant, tanto impetu in auxilium venerunt commilitonum, ut labore, ac vulneribus fatigatos non mediocriter recreaverint.

77 Præfectus verò ad ſuos de falſo rumore dedocendos ſingulas militum ſtationes circumiens, nunciavit omnibus, propugnaculum defendi ſtrenuè, & à nobis ſtare: Rumecanem admodùm triſtem ſuorum

Juzarcanes arcis loricam invadit.

rum ſtragi intereſſe, qui penè exangues de muro provolvebantur, vitam peſſime labefactatam præcipiti lapſu finituri. Interea tamen aggreſſionis ita vis intendebatur, ut alterna vulnerum, ac mortium reciprocatione vires utrinque, ac furor creſcere videretur. Quod opportunè Juzarcanes animadvertens, ratus defenſores ad unum omnes in tanto rerum articulo in defendendis mœnibus occupatos, aliquot ſecum manipulos circumduxit, & ad arcis loricam deveniens natura ipſa, & marinæ rupis inſuperabili aſperitate tutiſſimam, eam cum excubitoribus, ac præſidiariis deſtitutam conſpicaretur, intellexit Dienſes prærupti loci ſalebris, & altitudine fretos incuſtoditam omnino ſtationem reliquiſſe. Itaque accerſito Turcico centurione, admotis ſcalis cœperunt illàc aſcendere inobſervati, & nullo penitus prohibente; excubitores enim, propugnaculi expugnatione falsò nunciata, eò convolaverant, relicta ſtatione, animo ſanè majore, quàm diſciplina.

Rupem Turcæ audaciter aſcendunt.

78 Rupe feliciter ſuperata, Turcarum promptiſſimi domos quaſdam templo S. Jacobi adhærentes petunt, unde facilis ad inferiora mœniana patet deſcenſus. Ibi tanquam commodiſsimo in loco ſcalas figunt ſociis deinde ſubituris, quos acriter Juzarcanes inflammans, fortunato fraudis ſucceſſu admodùm lætus placebat ſibi, ratus, ſe Rumecani victoriæ decus præripuiſſe. Domibus in poteſtatem redactis, cum in arcem Turcæ deſcenderent, audacior quidam, vel diligentior, matronæ cujusdam domum ingreſſus, pecuniam exigit, obligata fide, ſi ſolveretur, mortem ſe illi non illaturum. Exanimata improviſo metu, & quaſi ſui impos matrona domo egreditur, mutuos nummos veluti petitura: vicinam de præſenti periculo commonet: hæc alteri

Luſitanæ fœminæ virtus ſingularis.

nun-

nunciat, ut fœminarum mos eſt. Illa vero virili prudentia, atque animo pilum corripiens, domum, in quam ſe hoſtilis manus abdiderat, adit interrita. Ibi vigilem, qui portam ſervabat, pilo aggreſſa, cogit intrò recedere: ſibique præter morem, in tanto periculo, ac trepidatione omnino præſens portam occluſit, & viriliter perſtitit in ſtatione, egreſſum hoſtibus impeditura: digna ſanè, quæ virtute ſua inter fortiſsimos annumeretur, non minùs ad exemplum, quàm ad imitationem poſteritatis.

79 Reliquæ verò matronæ, trepido metu ſolicitæ Præfectum undique conquirentes, magnis clamoribus Turcas in arcem receptos vociferantur. Is ubi primùm clamantes audit, æquè prudens, & animoſus, indicto ſilentio, tribus tantùm præſidiariis ſtipatus, quibuſcum arcis munitiones circumibat, eò advolat, ubi deliteſcere hoſtem fœminæ nunciant. In itinere alterum ex ſociis ad militares ſtationes properare jubet, & celato periculo, milites inde ad ſe abſtrahere, ubi minus aleæ foret, alterum ad palantes, ſiquos in arce offenderet, in unum cogendos, dimittit, ut omnes conjunctis armis hoſtilem manum aggredi poſsint. Additus eſt illi in itinere Andreas Bajanus unà cum ſocio, quibuſcum ad præmonſtratum locum pervenit, ubi pro foribus excubabat cum pilo matrona, quæ clauſos bellatores virili adhuc auſu prohibebat, quominus foras erumperent; digna ſanè, quæ in hac hiſtoria cum laude nominaretur, ſed, ignorato ejus nomine, hoc quoque debito magnæ virtuti præmio miſerabiliter careat, neceſſe eſt.

Ad propulſandum periculum Præfectus advolat.

80 Ab hac igitur de hoſtium numero edoctus Præfectus, victoriam ſibi ex inuſitata fœminæ conſtantia non obſcurè præſagiens, Abaſsinum quendam,

Miro modo necem evadit.

dam, qui fortè illuc advenerat, abire properè, & incendiariam ollam ſibi afferre juſsit, cunctantem cum brachio vehementer impelleret, ecce tibi, de ſummo templi tecto, quod nonnulli barbarorum jam occupaverant, miſerum hominem emiſſus majoris fiſtulæ globus percuſsit, qui Præfectum ipſum, niſi eo clypeo tegeretur, procul dubio abſtuliſſet. Is allatam ab alio incendiariam ollam, foribus arietis pulſu diffractis, in hoſtes audacter projecit tam felici ſucceſſu, ut hæc latè diſſiliens pleroſque diffuſa peſte ſuſtulerit. Complures in illum viciſſim ferreæ glandes emiſſæ in irritum cecidere, nulla eum, ne leviter quidem, perſtringente: quod multi caſui, plerique tamen miraculo tribuebant. Poſt hæc interritus, Ducis, militiſque partes egregiè ſuſtinens, parmatus cum ſociis quatuor ſtricto gladio in hoſtes invaſit, quos ad mœnianum uſque bene vulneratos inſectans, coegit de rupe præcipites ſe demittere, in ejuſdem mortis, quam fugiebant, periculum ſponte incurrentes; plerique enim, vel acutis infixi cautibus, vel membris capti in ipſo lapſu periere.

Hoſtem ſtrenuè pellit.

81 Nunciatum hic eſt, non exiguam hoſtium manum vexillis duobus jam explicatis eminus apparere in ſummo templi ſolario, diſploſiſque ex alto ferreis fiſtulis venientes impetere Luſitanos. Magno hic ſanè periculo certatum eſt; cum enim igne, non ferro dimicaretur, minor erat virtuti, quàm caſui locus. Vix è noſtris ſexaginta, Turcæ ſupra centum numerabantur, quibus locum egregiè ſuſtinentibus, cùm alios ſubinde, atque alios aſcendere Præfectus videret, afferri ſcalas properè jubet, coactus temporum iniquitate ſubire aggreſſoris partes in ea ipſa arce, quam propugnabat. Admotis minoribus ſcalis, qui prior aſcenſum tentavit, dejectus eſt è veſtigio,

Turcæ in ſummũ templum aſcendunt.

gio, lanceis barbarorum transfixus: ubi verò commodiores ſcalæ parietibus incubuere, Præfectum primò ſubeuntem milites jure per vim retraxere. Alacriter igitur Luſitani milites per templi parietes ſtrictis gladiis aſcendere aggreſſi ſunt, certiſſimam ſibi ex ipſo templi patrono S. Jacobo, victoriæ ſpem augurantes. Erat prælium loci inæqualitate omnino diſpar; barbari quippe fixo veſtigio, penduli noſtri, & vacillantes dimicabant: præter hæc ſcalæ duæ ſtatim effractæ pondere ſubeuntium; cùm enim vellet unuſquiſque cæteris locum præripere, ad imas ſcalas nova belli ſpecie certabatur. Militum alacritatem verbo, & exemplo Præfectus incitabat, potiùs, ut ſuo muneri faceret ſatis, quàm, quòd ita neceſſitas poſtularet. Pugnabatur utrinque pertinaciſſimè. E noſtris mortui cecidere nonnulli, nemo, tametſi graviter vulneratus, deſcendit. Qui infra ſubſtiterant, generoſa quadam impatientia præreptum ſibi ſubeundi locum magis dolebant, quàm glorioſis commilitonum vulneribus inviderent; nondum enim in tam multis diuturnæ obſidionis periculis, bellicis ſatiari concertationibus poterant.

Eos Præfectus aggreditur.

82 Mutuis itaque vulneribus barbari, noſtrique mira crudelitate ſe confodiebant. Addebat ſuis animos Juzarcanes, ſubmiſſis opportunè auxiliis, atque ita breviſſimo temporis ſpatio fortiſsimis legionariis plenus apparuit pugnæ locus. Fruſtra tamen; noſtri enim pretio ſanguinis non exiguo, aperta ad templi faſtigium via, murum feliciter, & ſtrenuè ſuperarunt, ſingularem promeriti bellicæ virtutis commendationem; quippe qui tanta loci, ac numeri inæqualitate, non modò dimicarint, ſed vicerint. Tres ipſas horas, eoque ampliùs atrox, & anceps dimicatio tenuit, quam qui ſuſtinuere Luſitani, ſanè

Recipiunt ſe Turcæ cum clade.

perpauci, ſuam tam cumulatè virtutem probarunt, ut ex eo ſolùm militari facinore præcipuam ab hiſtoria commendationem meruerint: eorum tamen ne ipſa quidem nomina ſcripta reperimus, qui ſanguinis bene prodigi tam glorioſo periculo ſe objecere. Turcæ propemodùm omnes occiſi: alii præcipiti ſaltu diſrupti, dum caderent: alii noſtrorum telis inter dimicandum confoſsi: nec dubitandi ſupereſt locus, quin ad tam arduam, & decoram expeditionem ſtrenuiſsimus quiſque delectus fuerit.

Arcis aggreſſio adhuc durat.

83 Ex hoc tam inſigni periculo, ſuos tam illuſtri victoria potitos, Præfectus in aliud tranſtulit, intelligens viros fortes in laboribus unicè quieturos. Cum enim arbitraretur, adhuc à barbaris oppugnari munitiones, militares cum ſociis ſtationes circumiens, præſidiarios in hoſte repellendo tam obfirmatos invenit, ut poſt horas omnino quatuor, ex quo oppugnatio cœperat, tunc primùm incipere videretur. Ad ima propugnacula tot jacebant interfectorum cadavera, ut conſtrato undique ſolo, confusè aggeſta ſubeuntibus ad arcem barbaris gradum facerent. Inſtabat ſuis Rumecanes, & prout quiſque rem gereret, vel ſtrenuè, vel remiſsè, hos laudabat, illos coarguebat, alios incitabat præmiis, alios propoſitis pœnis terrebat: ſtatuens omnia ex legibus diſciplinæ militaris, quas toto obſidionis tempore, tanquam belli peritiſsimus, exactè ſervavit. Nec quieſcebat ex alia parte Maſcarenhas ubique præſens, ubique providens, laborem ex æquo, & pericula cum ſtrenuis commilitonibus dividens. Ea die, quæ fuit Apoſtolo Jacobo ſacra, viſus eſt Luſitanorum Patronus à nobis ſtare, & glorioſam victoriam, tanquam ſuam elargiri, non minùs in Oriente contra Mauros potens, qnàm olim fuerit in Hiſpania.

84 Cùm

84 Cum adhuc pugnaciſsimè dimicaretur, Juzarcanes vehementer dolens, laborioſam arcis oppugnationem fruſtra tentatam, properabat cum ſuis legionariis, ut cæteris copiis ſe adjungeret, quæ propugnacula adoriebantur: plumbea tamen glande percuſſus in pectore, doloris, & iracundiæ plenus occubuit, &, ut erat, tum bellica virtute, tum gradu militiæ conſpicuus, nuncium ejus mortis exercitum ferme totum brevi pervaſit, Rumecanem verò præ cæteris tam acerbo perculit doloris morſu, ut, dato receptui ſigno (pietatis an doloris cauſa, neſcias) Juzarcanis cadaver in caſtra referri juſſerit. Ea verò clades, quòd palàm mors accidiſſet, celari non potuit. Quapropter, cum ad cæteras, eaſque non leves, adjungeretur, publica vox fuit dolentis exercitus, minoris valere victoriam, quæ tam multo pretio emeretur, qua ſi potiri tandem contigiſſet, paucos admodum triumpho interfuturos: Prophetæ in ſuos indignationem perſpicuam eſſe, qui ſua ſigna ignominioſiſsima clade affici patiebatur. Alii verò iratam Turcico Præfecto fortunam, & minùs juſtam belli cauſam accuſabant, culpæ tribuentes, quam patiebantur, calamitatem. Rumecanes verò artificioſiſsima diſsimulatione communi ſuorum diffidentiæ mederi ſatagebat, illatam modò Luſitanis cladem amplificans, acceptam modò mirum in modum extenuans: revocabat præterea in memoriam propoſita à Mamudio ampliſsima præmia, famamque poſteritatis quolibet præmio majorem, quam ſe procul dubio ſperabant conſecuturos. In hac dimicatione triginta è noſtris vulnerati, ſeptem occiſi: ex barbaris ſupra mille interfecti, duo millia, graviter ſauciatos accepimus.

Moritur Juzarcanes.

Magna Turcarū clades.

85 Joannes Maſcarenhas, ubi mortuis commi-

Præfectus Dienſis Prætori nuntiat de Dienſium ſtatu.

litonibus funebres cæremonias Chriſtiano ritu perſolvit, ad curanda ſauciorum vulnera totus incumbens, nihil omiſit diligentiæ, ac ſumptus, ut priſtinæ ſaluti redderentur: deinde per maritimum curſorem, levi navigio impoſitum nunciavit Goano Prætori, quàm difficili, ancipitique loco Dienſes res invenirentur: quanta militum, annonæ, militariumque inſtrumentorum inopia laboraret. Curſoris vices obiit, Præfecto, ac ſociis vehementer rogantibus, Sebaſtianus de Sà, qui tamen negabat, alibi meliùs fieri vulneribus ſuis medicinam poſſe, quàm in eo propugnaculo, ubi vulnus accepiſſet: ejus tamen ſalutem ad unum omnes ſumma diligentia, & cura ſervandam arbitrabantur; quippe qui tam præclara dediſſet in ea obſidione bellicæ virtutis documenta, ut vitam quàm longiſsimam, & immortalem omnium ſuffragio famam mereretur. Solvit igitur difficillimo tempore, & ob maris mirè intumeſcentis ſævitiam, obruto penè navigio, tenuit Bazainum. Venientem benigniſsimo excepit hoſpitio Hieronymus de Menezes, illius arcis Præfectus, & faſciculum Dienſium literarum ad Goanum Prætorem curavit quàm celeriter perferendum.

Prætoris ſolicitudo de mittendis Dio auxilis.

86 De Dienſi ſucceſſu erat per id tempus Joannes de Caſtro vehementer ſolicitus. Hyemis quippe contumaciſsimus rigor impediebat, quominùs Goam ab obſeſsis nuncii navigarent, deſtinataque ad illos ſubſidia mitti poſſent. Dienſibus tamen non defuit in extremis anguſtiis, nulli periculo, nullis parcens ſumptibus, ut eos, ſæviente mari, commeatu, milite, cæteriſque ad ſuſtentandum bellum neceſſariis, largiſsimè inſtrueret, ut ſtatim dicemus. Magnas, & firmas copias, quantas Luſitanæ in India vires præbere poterant, contraxerat eo conſilio, ut poſſet

ſet

ſet ipſe per ſe, tranſmiſſo mari, Dienſem arcem longa, & periculoſa obſidione liberare. Generoſis votis videbatur eventus pari felicitate reſponſurus; multa enim Indiæ Reges ad ineundam belli ſocietatem magnificè, ac ſponte offerebant, erantque Luſitani milites, procereſque ad eam expeditionem vel ſine ſtipendio, paratiſsimi.

87 Interea, Julio ineunte, Goam præter ſpem appulit, Antonio Rebello Præfecto, navis à Spiritu Sancto nominata, quæ unà cum Prætore ſolverat Olyſſippone, ſed, amiſſa navigandi opportunitate, in Melinde Iuſula hyemem totam exegerat. In ea, tametſi complures ægri venirent, Goanum Cœlum, Prætoris charitas, & diligentia, & præcipuè Dienſis expeditionis expectatio fecerunt, ut, reparatis breviſſimo ſpatio viribus, opinione celeriùs convaleſcerent. Hujus auxilii non opinatus adventus Prætorem vehementi affecit lætitia; videbat enim eas copias ad roborandam claſſem mirificè profuturas. De Dienſi tamen obſidione nihil adhuc afferebatur, quod male ominati ſucceſſus indicium non obſcurum vulgò habebatur. Redditæ tandem literæ ſunt, quas Dienſis Parochus Goam curaverat tranſmittendas, ex quibus intellexit Prætor, Dienſes in ſumma rerum difficultate verſari, hoſtiumque copias, & molitiones in dies magis invaleſcere. Quapropter, cum celeri remedio magis, quàm conſilio opus eſſe animadverteret, ſtatuit Alvarum Filium cum non exigua parte navalis exercitus, quem adornaverat, Dium præmittere. Huic tamen conſilio vehementer nautæ repugnabant, eam expeditionem ſumma hyeme temerariam palàm vocitantes. Perſtitit tamen in ſententia Prætor, nec paſſus eſt, vel amore filii, vel hyemis difficultate à ſuſcepto conſilio dimoveri: cer-

Allata a Dienſi Parocho nuncia accipit.

Alvarum filium cum ſubſidio Diū mittit.

certus quocumque periculo Dienſibus extremè laborantibus providere. Id ubi palàm intellectum eſt, obtulere ſe in eam expeditionem certatim milites, proceresque Luſitani, ne illis quidem exceptis, qui juſta ætatis, ac publici muneris vacatione uti poterant. In his præcipuè fuit Franciſcus de Meneſes, qui, poſt navatam diu, multùmque Reipublicæ operam in bellicis, civilibuſque rebus tractandis, gregarii militis habitu Dium navigaturum ſe dixit. Eum amplexatus tenerrimo ſenſu Joannes de Caſtro rogavit etiam, atque etiam, ut ſe expectaret non ita multò poſt cum præcipuo copiarum nervo ſoluturum; ab eo tamen cum, ne breviſſimam quidem moram impetrare potuiſſet, obfirmatum in ſuſcepto conſilio Dium quamproperè navigandi, ſeptem majoribus navigiis præfecit, ut in viam ſe daret, & ſiquà poſſet, procelloſum mare tranſmitteret. Itaque Franciſcus cum lectiſſima militum manu, ac nonnullis conſanguineorum, gloriæ avidiſſimis mari ſe commiſit.

Et Franciſcum de Menezes cũ ſeptem navibus.

88 Triduo poſt Alvarus etiam, Patri reconciliatus vela fecit; queſtus enim apud eum ſæpiùs fuerat, quòd, ſe prætermiſſo, Frater natu minor Dium prænavigaſſet: perinde, ac ſi prima pericula hæreditario veluti jure ſibi uni deberentur. Conſcendêre cum eo plerique nobilium, quibus, vel arduæ expeditionis oblectamentum, vel ipſum Alvari commilitium non modò dignos contemptu Turcas, ſed ipſas etiam tempeſtates faciebat. Filio proſpera omnia precatus Prætor paterno affectu, eum, deſcripto manibus Crucis ſigno, abeuntem incredibili populi deſiderio, plauſuque dimiſit: lætus admodùm, quòd filios ſuos patriæ commodis, & incolumitati devoverit, quam ſuis omnibus ſemper habuit

Vela facit Alvarus cum novendecim navibus.

cha-

chariorem. Inter alia multa, quæ filio mandaverat, remotis arbitris, illud etiam ſeverè edixit, ut Dienſi Præfecto ita pareret in omnibus, ut ab ejus voluntate, ne latum quidem, ut ajunt, unguem, diſcederet, tametſi eo, quo eſſet militiæ gradu, ſuo ſe nutu regere, & ab alterius obedientia eximi procul dubio poſſet. Id ipſum diſertis verbis Joanni Maſcarenhas per epiſtolas ſignificavit: alienæ quippe virtutis habitus eſt ſemper Joannes de Caſtro juſtiſſimus æſtimator. Navigiis undeviginti conſtabat claſſis, quibus Præfecti impoſiti Georgius de Menezes, Eduardus de Menezes, Feiræ comitis filius, Ludovicus, & Georgius de Mello de Mendonſo fratres germani, Antonius de Attayde, Garzias Rodriguez de Tavora, Lupus de Souza, Nonius Pereyra de Lacerda, Athanaſius Freyre, Petrus de Attayde Inferno, Joannes de Attayde, Balthaſar de Sylva, Eduardus Deza, Antonius de Sà, Melchior Moniz, Lupus Vàs Coutinho, Franciſcus Tavares, & Franciſcus Guilhermes.

Navium Præfecti.

89 Prætor verò poſt diſceſſum Claſſis, cui Filium præfecerat, aliam ſibi adornavit, in qua ipſe deinceps mare tranſmitteret, Dium liberaturus. Pecuniam, commeatus, bellicas machinas, & reliquum belli apparatum diligentiſſimè conquiſivit, obligata dumtaxat fide, quem unicum in India theſaurum poſſidebat, quo ſibi voluntates omnium conciliabat, ut ſua illi bona pro libito utenda permitterent ad patriæ incolumitatem: qua de re luculentum placet afferre exemplum.

Prætor aliam claſſem apparat.

90 Matronæ, virgineſque Ciaulenſes, congeſtis pari voluntate ex muliebri mundo pretioſis lapillis, monilibus, cæteriſque id genus lautitiis, auro intextis, quibus ornari ad elegantiam ſolent, majore quàm

Ciaulenſes matronæ gemmas ſuas ei offerunt.

quàm fœminas deceat liberalitate, theſaurum non contemnendum Prætori, in belli uſum miſerunt, nulla petita Chyrographi cautione, nihil pro beneficio rependi ſibi poſtulantes, eidemque ſignificarunt, nullo virorum, nullo liberorum deſiderio teneri, quibus invidebant unicè, quòd patriæ bono devoti, eſſent cum eo Dium profecturi. In Cæſarum profectò annalibus nihil ſimile à Romanis matronis, nihil illuſtrius factum accepimus.

Ciaulenſis matronę munus, & epiſtola ad Prætorem.

91 Per id fortè tempus Goæ degebat Catharina de Souſa Ciaulenſis, matrona honeſtiſſima, quæ ſimul, ac de miſſo à popularibus ſuis ad Prætorem munere audivit, congeſtas in pixide pereleganti gemmas ad eundem miſit cum ejuſmodi literis. „ *Simul ac nunciatum eſt mihi, Prætor Illuſtriſſime, Ciaulenſes Matronas, conterraneas meas ſuum tibi muliebrem theſaurum obtuliſſe ad ſuſtentandum diutiùs bellum, facere non potui, quin, tametſi Goæ degerem, ego quoque cum cæteris in hujus ſocietatem laudis venirem. Quapropter per Catharinam filiam meam, quidquid apud me gemmarum, & auri eſt, tibi in eundem uſum tranſmitto. Ex muneris mei tenuitate, quæ Ciaulenſibus adhuc ſuperſint pretioſa, ne conjicias, velim; intelligas enim me pretioſis ejuſmodi munditiis minùs abundare; quippe multa, ac meliora, quæ ad me pertinebant, in nubiles, nuptaſque filias diſtribui. Cæterùm, ſi quidquid auri, & lapillorum, quæ ad muliebrem ornatum traducta ſunt, Ciaulenſes tibi matronæ ſubmittant, non dubito tantum tibi pecuniarum inde rediturum, quantum ad decennalis belli ſumptus commodè faciendos ſufficiat. Illud à te vehementer rogo, atque oro, ut oblatum à me munuſculum in Alvari lectiſſimi fili tui adornando itinere, velis inſumi; Virginis enim Beatiſſimæ patrocinio freta, eum confido*

tum

tam præclaras de hoſte victorias brevi reportaturum; ut de tua in hoſtes profectione non ſit tibi deinceps laborandum. Hoc ego quidem meis à Deo precibus continenter peto, ac præterea, ut Patriæ, ac noſtrum omnium incolumitati quàm diutiſsimè, ac feliciter vivas, ac tandem in Luſitaniam redux lectiſsimam conjugem, ac liberos ſuaviſsimos lætiſsimo adventu recrees, atque reficias. Goæ in ædibus Mariæ filiæ meæ III. Idus Junias an. MDXLVI. Intelligas demum, ſi opus fuerit, ut tibi, ac commodis tuis ſerviam, meam à me Catharinam oppignorandam. Hæc humaniſsimæ liberalitatis nobilis, ut ita dicam, intemperantia à patriæne charitate, an ex ſumma in Prætorem benevolentia proficiſceretur, incertum eſt. Attenuato ſæpè ſæpiùs ærario non abſimili difficultate laboraſſe Indiam novimus, ſed tam benevolam largiendi voluntatem, qualis fuit Joanne de Caſtro imperante, nullam profectò unquam accepimus extitiſſe, Complures nobilium, honeſtiſsimis præfecturis ſponte abdicatis, & ſenes ipſi baculo innixi ad eum veniebant, Regiæ militiæ nomen daturi; nullum enim, vel dignitatis amplitudo vel imbecillitas virium, atque ætatis à glorioſiſsima expeditione retardavit.

92 His auxiliis Dium præmiſsis, quod copiarùm, ac virium reliquum erat Prætor diligentiſsimè contrahebat: viros præterea quærebat idoneos, quos per abſentiam ſuam conſtituere poſſet urbis rectores; bello enim intentus, quæ ad pacem pertinerent, non omittebat, in omnes æquè neceſsitates commiſſæ ſibi Ditionis incumbens. Cum verò Dienſis arx apparatu bellico, ac re frumentaria præcipuè laboraret, præter ſubſidia jam præmiſſa, onerariam prægrandem, commeatu, telis, ac nitrato pulvere confertiſsimam paulò poſt mittendam cenſuit. Ejus

Aliam onerariam cum commeatu, & bellicis inſtrumentis Prætor mittit. Præfecto Antonio Moniz.

verò deducendæ procuratio, ab iis, quibus fuerat commiſſa militibus, vehementer rejiciebatur; erat quippe navis, tum pondere, tum ſtructura ipſa gravis, atque ideo ad curſum minùs idonea: inglorium præterea videbatur periculum, cum elementis luctari. Quia tamen in ea deducenda ſalus Dienſium vertebatur, nobili viro onerariæ regimen credere Prætor vehementer cupiebat, cui gloriæ cupiditas ejus expeditionis periculum, ac difficultatem molliret. Re igitur communicata cum Emmanuele de Souſa Sepulveda, viro nobili, is, commendata apud Prætorem conſtantia, ac diligentia Antonii Moniz Barreto, ſignificavit, eum Regi, ac reipublicæ non defuturum in tanto rerum articulo, ſi juberetur: ſua tamen ſponte eam ſibi expeditionem non petiturum, quòd aliquas, tametſi leves haberet contra Prætorem querelas: addidit, illius animum, ſe diligenter exploraturum hac ſuper re, ut referre deinceps poſſet, quam in ſententiam inclinaret. Ita factum eſt. De Prætoris voluntate certior factus, expeditionem Moniz acceptavit illico, tantò libentiùs, quò pertinaciùs à cæteris, difficultatis nomine, rejiciebatur. Hujus exitum expeditionis, ac pericula commodiùs ſuo loco referemus.

Juzarcanes alter in caſtra venit ad promovendâ obſidionem.

93 Interim Dienſis Præfecti vigilantia, nonnullis inductis in arcem auxiliis, plures profectò, ac robuſtiores inveniebantur, qui laborioſa diuturnæ obſidionis pericula tolerarent: quanquàm multò validiora venerant ad hoſtes ſubſidia; ſiquidem intraverat caſtra cum tredecim peditum millibus Juzarcanes alter, qui, ut alterius æquabat virtutem, adverſam quoque fortunam eſt imitatus. Attulit hic à Sultano ad Rumecanem mandata, ut arcem arctiore obſidione circumdaret. Scribebat enim Ma-

mudius

mudius nullo modo ferendum, quod homines numero pauci, conditione viliſſimi, ex ultimis terræ finibus in Aſiam advecti injurias Cambajæ Regibus inferre auderent domi ſuæ: vitam ad unum omnes in ea expeditione profunderent: malle ſe deſertum, quàm ſubjectum Imperium: quando verò Luſitanos in dirutæ arcis ruderibus ſemiſepultos non poſſent hominum cæterorum ritu expugnare, eoſdem, tanquam Leones in antris ſuis deliteſcentes, occidione occiderent. Rumecanes, lectis publicè epiſtolis, reſponſionis loco, ſive ad jactantiam, ſive ad juſtam ſui excuſationem, deletos muros, ac munitiones digito ſuperbè monſtravit. Furore tamen accenſus vehementer indignabatur, operam ſuam minùs Sultano probari. Suſpicione igitur magis, quàm præmio incitatus, promiſit ſe Regi ſuo, vel moriendo, vel vincendo, facturum ſatis. Quapropter, ut ſuos magis crudelitate, quàm Præfectura fecerat ſibi pronos ad nutum, & obedientes, novum extrui aggerem juſſit è regione propugnaculi S. Jacobi, quem mira celeritate perfectum valido militum præſidio, & majoribus tormentis firmavit. Hic verò, quòd munitiones noſtras non leviter emineret, non vulgare obſeſſis incommodum afferebat; ſiquis enim pro pinnis ſe oſtenderet, barbarorum emiſſionibus patebat illico, ictu non declinabili feriendus. Novum aggerem hoſtes extruunt.

94 Vehementem itaque Præfecto ſolicitudinem novus agger incuſſit; quippe, ſi inde arx oppugnaretur, ut Rumecanes oſtenderat, nulla ratione reſiſtere irrumpentibus noſtri potuiſſent, quin apertiſſimo periculo fulminantium baliſtarum ſe ſe objicerent. Statuit itaque perniicioſiſſimam machinam per vim dejicere, ac militare facinus, Joanni, ac Petro de Almeyda germanis fratribus commenda- Eum noſtri evertunt.

vit. Hi, tertia vigilia, cum lectiſſima militum centuria foras egreſſi, Mauros inveniunt, partim dormientes, partim noctis, locique fiducia ſecuros. Itaque, facto in eos impetu, magnam brevi cædem edunt; nondum enim ſenſuum uſu recepto, barbari in gladios, & lanceas Luſitanorum ſponte incurrunt, quin hoſtes, aut mortem ſibi imminentem agnoſcant. Quibus evadendi ſpatium relinquitur, ii gemitibus, ac clamoribus ſtationarios in Caſtris excitant, quin certi quidquam audeant affirmare. Incertus etiam ad Rumecanem perlatus eſt rumor: is verò (ut majora noctu pericula credi ſolent) intellexit eam Luſitanorum audaciam magna vi niti auxiliarium copiarum, quæ inopinato adventu excubitores feſelliſſent. Primores ergo adhibet in conſilium: interea dum milites inſtruuntur ad pugnam, ſumptaque deliberatione defendendæ totis viribus munitionis, dum aciem diſponit, dum juſſa trepidè dividit, corrupta pugnandi opportunitate, dejectum funditus aggerem, præſidiarios occiſos, noſtros in arcem jam receptos invenit. Ea ſanè Dienſium excurſio non modò feliciter cecidit, ſed momenti fuit, ad ſuſtentandam dituiùs obſidionem, ſanè permagni. Trecenti ex hoſtibus cæſi, ne uno quidem ex noſtris deſiderato.

Quatuordecim militum virtus.

95 Rumecanes verò craſſiores muros, raptim excitatos propugnaculo S. Joannis adverſos objecit: conſtituit legionarios, qui more caſtrorum, viciſſim vigilias agerent: tormenta, jam ſuper aggerem ſtatuebat, ut inde commodiùs arcem everberaret. Sed Joannes Maſcarenhas in omnem occaſionem diſturbandi operis imminens, nocte concubia, & maximè procelloſa, emiſſos per feneſtram, unde majores diſplodi baliſtæ ſolent, quatuordecim præſidia-

ſidiarios, improviſo impetu in hoſtem invehi jubet. Hi, dum legionarios nihil tale opinantes aggrediuntur, & facta vi, de ſtatione nituntur exturbare, Caſtrenſes fabri acutis ex utraque parte malleis machinam evellunt inobſervati. Id ubi nunciatum Rumecani fuit, ſtatuit aperta vi arcem adoriri, indicitque omnibus copiis, futuram in craſtinum aggreſſionem. Ubi primùm illuxit, milites incitavit pro concione ad reſtaurandum dedecus à paucis acceptum, quos labor, fames, vulnera ad ultimam penè deſperationem redegiſſent. Glorioſiores vocabat, qui fortiter occubuiſſent, quàm qui modò incolumes ſupereſſent, futuri apud omnes nationes injurioſi belli probroſiſſimi teſtes. Ajebat in manibus uniuſcujuſque ſitum eſſe, nutantem Regis ſui famam ſuſtentare, occiſos ulciſci ſocios, immortalem demum factorum ſuorum memoriam Oriente toto diſſeminandam relinquere. De conſtitutis à Sultano præmiis ne laborarent, eum quippe pro numero vulnerum, præteritorum laborum largiſſimam ſingulis mercedem repenſurum: ſiquis eſſet, qui ſuſcipere in ſe vellet imperandi partes, quas ipſe ſuſtineret, ſe primum omnium in muros aſcenſurum.

Arcem undique invadunt Turcæ.

96 In hunc modum gloria juxta, atque injuria irritatos militum animos furibundus dimiſit. Craſtina die, primo diluculo, tympanis, ac tubis undique perſtrepentibus progredi turmatim cœpit exercitus explicatis vexillis, quæ ex arce volitare horrendum in modum videbantur: ordines deinde ad arcem ex omni parte promoti ſcalas mœnibus admovêre, quæ ab univerſo exercitu protegebantur, effuſo miſsilium telorum nimbo largiſsimo. Confuſæ undique barbarorum voces incitantium ad cædem animos, & judicia perturbantium, geminato con-

flictus

flictus horrore, impedimento erant, tum Ducibus ad imperandum, tum militibus ipſis ad obediendum. Hinc Mauri certatim in muros, illinc Turcæ aſcendebant. Unuſquiſque, ſuo contempto, alienis tantum periculis invidebat, nec de alia re pertinaciùs ſinguli laborabant, quàm, ut primi omnium mortis aleam ferocientes incurrerent. Noſtri, tametſi pauci, cum bellica unuſquiſque virtute, & ſcientia Dux eſſe poſſet, nec eſſet ad gloriam calcaribus adigendus, ita ſe geſſere, perinde ac ſi ſinguli omnium famam ſuſtinendam ſuſcepiſſent. Qui omnium promptiſsimi muros ſubierant, audaciæ ſuæ pœnas ſanguine, ac vita ipſa dedere: pari tamen furore alii complures interfectorum occupant locum, ſive virtute ſua, ſive minitabundis Rumecanis vocibus incitati; is enim ſubeuntes, vel laudabat, vel arguebat, prout animoſos, ac ſegnes animadverteret.

Noſtri quomodo ſe contra ignem defendant.

97 In omnia latè propugnacula emittebant Mauri certatim incendiarias ollas, miſſiles globos ignibus plenos, plurimamque peſtem inextinguibili materia ſuccenſam, tanta vi, & copia, ut cogerentur noſtri dimicare inter flammas, quæ veſtibus facilè inhærentes, vivos, videnteſque incendebant. Proviſum eſt ſedulò huic malo, allatis in medium doliis aqua plenis, quæ ſi minùs flammarum vim reſtinguerent penitus, ſaltem refrigerabant. Hoſtis verò, cognito damno, quod nobis ea miſſilium ignium procella importabat, eandem in ſingulis aggreſſionibus largiſſimè effudit. Contra id facile quidem noſtri, ſed inefficax remedium adhibuere; plerique enim ad avertendam peſtem pelles induerant, quibus difficiliùs, & minùs tenaciter flammæ adhæreſcerent, multiſque Joannes Maſcarenhas ſaluti fuit, diviſis inter milites pretioſis periſtromatis,

quæ

quæ ex pellibus auro illuminatis conflata, veſtiendis lautiorum parietibus adhibebantur.

98 Fervebat igitur bellum, & fumoſis undique nubibus arx involuta vix apparebat, niſi quòd crebra fulgura fulminantium cum ſtrepitu baliſtarum oculis eam identidem maligna, & fugitiva luce repræſentabant; erat enim æqualiter horrori quod auribus percipiebatur, & quod oculos feriebat. Ad imos muros jacebant congeſta miſerabiliter cadavera, partim occiſorum, partim extremos ægrè trahentium ſpiritus, nec aliud, quàm fœdiſſimum & horrore plenum, vulnerum, mortiſque ſpectaculum oculis obverſabatur. Atrox ubique & pertinax erat ex utraque parte concertatio, licèt impare numero propugnatorum, & oppugnantium. Propugnaculum verò in quo Aloyſius de Souſa cum Ferdinando de Caſtro dimicabant, parùm abfuit, quin veniret in hoſtium poteſtatem; quippe quod, ruina periculoſiore jam lacerum, lectiſſimæ Turcarum cohortes invaſerant. Edidere tamen, qui illud tuebantur, tam multa bellicæ virtutis documenta, inter flammas tam inuſitata conſtantia dimicantes, ut nemo unus loco ceſſerit, perinde, ac ſi non modò ſtrenuè rem gererent, ſed omni doloris ſenſu planè carerent. Bellicam præcipuè ſtrenuitatem, ſuprà, quàm virides anni ferrent, Ferdinandus oſtendit, ætatem non expectante virtute. Uno verbo Luſitani omnes ea die perilluſtria dedere probatiſſimæ virtutis argumenta: digna ſanè, quæ meliore calamo, & largiore volumine deſcribantur. Ipſi demum barbari eorum virtutem admirati, unos ajebant Luſitanos viros eſſe.

Recru deſcit pugna.

99 Quamdiu dimicatum eſt, ex marino propugnaculo directa in hoſtem tormenta magnam attulere

Receptui canit Rumecanea.

re barbaris conferto agmine dimicantibus cladem; quam ubi Rumecanes animadvertit, lacera videns ſuorum vexilla, profligatum militiæ nervum, ruinas ipſas, quas Luſitani defenderent, adhuc intactas, receptui cecinit, damnum, quàm injuriam leviùs ferens. Accidit hæc dies Luſitanis fortunatiſſima; nam trecentis hoſtium cæſis, ac duobus millibus vulneratis, ex eis nemo unus deſideratus eſt: tametſi nonnulli glorioſis vulneribus non parùm profuderint generoſi ſanguinis. In ea curanda Præfectus, quanta potuit celeritate, ac diligentia totus incubuit, tantamque in ægros, quibus benevolè aſſidebat, oſtendit charitatem, ut hæc ipſa præſentiſſimi remedii loco eſſe poſſet. Omnium promiſcuè neceſſitatibus, collato ære, largiſſimè providens, ſuorum calamitatem tenerrimo ſenſu commiſerabatur: habitus proinde communis omnium pater in pace, ut erat omnium ſocius in bello. Dienſes graviſſimo defunctos periculo labor deinde non vulgaris excepit; noctem quippe totam inſumpſere in mœnibus reſarciendis, quæ diurnis jaculationibus hoſtes labefactarant: laborioſo tamen operi ad unum omnes lætiſſimi incubuere, perinde, ac ſi in ſubvectandis lapidibus, in aggerenda humo, in convehendis oneribus commodiſſimè requieſcerent.

Ex Turcis tercenti cæſi.

100 Acceptis tam inſignibus cladibus intellexit tandem Rumecanes, quàm arduum eſſet, & periculoſæ aleæ plenum admotis ſcalis in arcem irrumpere, quapropter congeſta humo exæquare foſſam decrevit tanto ſpatio, quantum inter duo SS. Joannis, & Jacobi propugnacula medium interjacet. Periculoſam provinciam Prætorianis, quos Janizaros vocant, ultrò commiſit, qui, cum opinione ſua, tum virtute ſuperbiſsimi majora hujus obſidionis pericu-

Foſſam exæquari Rumecanes jubet.

la ambiebant. Quatuor ex iis centuriæ interierant, non exigua bellicæ virtutis relicta fama, & communem ſuorum commiſerationem promeritæ: reliquæ inſtabant injuncto operi ferociter, ex quo nihil illis utilitatis profluxit, periculi verò plurimum; noſtri quippe libratores, obverſis in eam partem tormentis, eos, cæteroſque fabros continuis emiſsionibus impetebant non mediocri cæde, illi verò ex barbara Turcarum diſciplina ad æquandam celeriùs foſſam projecta ſociorum cadavera accumulabant. Opus verò, ut congeſtitia humo, ac faſcibus virgultorum conſtabat, largo fabrorum ſanguine delibutum ita creſcebat, ut exæquata planitie nonnulla tormenta locaverint, quibus arci non mediocriter incommodabant. Propugnaculum verò S. Thomæ violentiùs impetebatur, ubi adactis feliciſsima libratione paribus globis, majoris uſum baliſtæ nobis abſtulere. Succeſſu deinde admodùm læti ad pejora inferenda damna præparabantur.

101 Inter hæc, Dium regreſſus eſt Joannes Coelho Parochus, actuaria vectus cum novem militibus, qui tametſi mare tumultuoſum, ac ſævum adverſis ventis nanciſceretur, periculum tamen, cogente neceſsitate, feliciter ſuperavit. Retulit hic, à Prætore curam omnem impendi, ut quamprimùm laborantibus ſubſidio veniret: valida jam præmiſſa auxilia: Bazaini quinque militum centurias freti trajiciendi opportunitatem expectare, ex quibus non paucos moræ longioris impatientes incerto ſe mari commiſiſſe. Ejuſmodi nuncium per omnem illico arcem diſſeminatum, choreis, & muſico concentu milites celebravere, & (ut eſt hominum ſpes in ſummis anguſtiis maximè credula) curioſis oculis mare perluſtrantes, quaſcumque procul nubes aſpi-

Dienſis Parochus in arcem redit.

rent, naves putabant. Nec Mauros ſefellit allati nuncii celebritas: quapropter, antequàm noſtri auxiliaribus copiis invaleſcerent, ad arcem totis iterum viribus oppugnandam ſe compararunt, certi vel Dium expugnare tandem, vel obita fortiter morte, idoneam navatæ fideliter operæ, tum Aſiæ univerſæ, tum præcipuè Sultano excuſationem afferre.

Nova aggreſſio.

102 Itaque ea ipſa die tribus ſupra viginti majoribus tormentis, in quibus nonnulla inuſitatæ magnitudinis, quos Baſiliſcos appellant, mœnia ferocisſime quati cœpta, continuata ad occaſum uſque ſolis jaculatione, quæ conſequentis diei primo diluculo repetita in horam tertiam pomeridianam extracta eſt. Munitiones magnam partem dejectæ. Fulminantes aſsidua fiſtularum diſploſione ſclopetarii noſtros prohibuere, quominùs, vel tumultuariis aggeribus, vel tranſverſis ſepimentis protegi poſſent. Aperta tormentorum impetu vià, aſcenderunt Turcæ in propugnaculum S. Thomæ: verùm Aloyſius de Souſa Dux, Ferdinandus de Caſtro, Franciſcus de Almeyda, aliique perſtrenui bellatores, ſubeuntes obiectis lanceis tam fortiter excepere, ut multos confoderent, multos bene vulneratos regredi cogerent. Qui primis deinde ſucceſſerant parem omnino fortunam experti ſunt Luſitanorum gladiis confoſsi. Eadem felicitate dimicabatur in cæteris propugnaculis, pari oppugnantium cæde, & propugnatorum virtute, ſed jam deciduis ex arce diverberata ruderibus, exæquata penè campi planitie, barbari collato pede, ut in aperto, conſerebant nobiſcum manus, tametſi numero pugnatorum, & incendiariis machinis ſuperarent. Difficilem pugnam noſtri ad multas horas tam imparibus inſtructi viribus egregiè ſuſtentantes, immortalem ſibi apud poſteros glo-

gloriam peperere ; tam multis quippe, ac ſibi ſemper ſuccedentibus barbaris iidem numero Luſitani ſemper reſtitere, parem ſemper, & recentem virtutem oſtentantes.

103 Porrò Joannes Maſcharenhas, omnes ſuorum ſtationes circumiens, modò prudentis Imperatoris, modò ſtrenui militis partes exequebatur, non minùs ſapienter imperans, quàm fortiter dimicans. Videns tamen ad S. Thomæ majore impetu, ac periculo bellum geri (eò quippe hoſtium fortiſſimi majore frequentia confluxerant) incendiarias ollas ab honeſtiſſimis Matronis afferri properè juſſit. Illæ verò de communi ſalute ſolicitæ, inſigni laboris, periculique contemptu, alacriter inter hoſtium lanceas, pilarumque nimbos intercurrentes imperata fecere inuſitato, ac memorabili exemplo. Opportunis aliæ verbis, prudentiæ, virtutiſque plenis, dimicantes milites inflammabant: lautioribus epulis reficiebant aliæ fatigatos, perinde, ac ſi ex æquo vellent famam cum bellatoribus viris non modò quærere, ſed etiam mereri. Ventus etiam in noſtros quodammodò conjuratus pugnare à barbaris videbatur; pulverem nimirum è terra excitatum in oculos præliantium effundebat: quæ ſanè res parùm abfuit, quin noſtros miſerè perderet. Subclauſis tamen oculis incurrebant in barbaros Luſitani, in id incumbentes magis, ut hoſtem ferirent, quàm demum qua ratione ſe tuerentur. Nec minore Mauri pertinacia præliabantur, imperioſis Rumecanis vocibus inſtigati, qui ut ſuorum martiales iras acueret, nihil frequentiùs commemorabat, quàm, ut periclitantem Regis famam, ſuumque ipſi nomen ſuſtentare pergerent, ac tueri.

Luſitanorum reſiſtentia.

104 Inter hæc Juzarcanes cum ſuis legionariis,

Sancti Joannis propugnaculum invadit Juzarcaues.

facto ferociter impetu, in propugnaculum D. Joannis, noſtros in ultimum penè diſcrimen adduxit; primis enim ſtrenuè repulſis, cum recentes Mauri ſupervenirent incredibili vi, & audacia, redintegratum eſt prælium, quod in ancipiti ſtetit ad multas horas, quin ad alterutram partium propendere fortuna videretur: vicit demum Luſitana virtus, hoſtibus de loco dejectis, non ſine magna cæde barbarorum, qui partim occiſi ſunt, partim lethaliter ſauciati. Hìc tamen victoribus novum, ac majus periculum ſe obtulit; laſſos enim, & diuturno labore mirum in modum debilitatos, recentes omnino, ac robuſtæ Maurorum cohortes aggreſſæ ſunt: Luſitani tamen, quaſi vires, & martiales ſpiritus ad laborioſiſſimum periculum reſervaſſent, qua primos virtute ſuperaverant, eadem poſtremis etiam alacriter reſtitere.

Magna Turcarum clades.

105 Nec minore ſtrenuitate, nec diſpari exitu ad ſpeculam Antonii Peſanha pugnatum eſt. Non perſequar ego quidem omnia diſtinctè, & ſingulatim; ſatis enim ſucceſſus ipſe ſignificavit, quid hoc die tandem contigerit. Barbari nimirum ex ſuis, qui in acie cæſi ſunt, ſexcentos omnino ſupra mille numeravere, ſauciatis graviter longè pluribus, quorum iniri numerus nequaquam potuit. Mirum id ſanè, & ſupra fidem legentibus videatur, cum tam inſignem victoriam à duabus Luſitanorum centuriis partam intelligent: id ipſum tamen cum ex Dienſium narrationibus, noſtriſque commentariis disertè conſtet, dubitandi locus non eſt; parcè nimirum Luſitani ſuas referre laudes ſolent, in alienæ virtutis commendationem effuſi, ſuæ contemptores. Ex noſtris triginta vulnerati, tres omnino interfecti.

106 Arx tamen, ante hoſtium irruptionem,

vio-

violento tormentorum impetu adeo labefactâta eſt ex omni parte, ut omnino pateret hoſtium incurſibus: nec jam ad reficiendas ruinas tempus ſuppetebat: deerant etiam cum cæmentis operæ. Noſtri tamen, diſcuſſo ſomno, neglectaque corporum requie, noctu certatim operi inſtabant, dejectiſque raptim ædificiis, ligneam inde materiam, ac lapides ad muros utcumque rafarciendos convectabant, excitatis tumultuario opere ſubitariis aggeribus, ac ſepimentis, prout anguſtiæ temporis permittebant, non qualia neceſſitas poſtulabat.

107 Sed jam commeatuum, ac bellici apparatus inopia incredibilis premebat obſeſſos; nihil quippe ſupererat nitrati pulveris, niſi quantum in dies ſingulos fabricabatur: id verò non modò perexiguum erat, ſed humiditate, quæ non ita facilè exſiccabatur, minùs idoneum. Nec ignorabant Mauri in ſumma rerum difficultate verſari Dienſes: quapropter ſpe, & audacia corroborati, obſidioni continuandæ ferociter inſiſtebant; nunciatum quippe eſt in eorum caſtris, tritici modium tribus aureis nummis apud nos vendi, nec tamen tanto pretio facilè emendum inveniri. Cornices ægris gallinarum loco apponebamus. Has putribus cadaveribus ſaginatas mactabant milites, & ſummo pretio vendebant. Eò demum famis crudelitas devenit, ut neque canibus, neque felibus, nec ipſis immundioribus cibis, & maximè noxiis parceretur. His miſerabiliter enutriti attritas vires reficiebant, laboris, ac periculorum illuſtriſſimi contemptores, ipſiſque naturæ affectibus, animi ſui magnitudine fortiter imperabant.

Arcis neceſſitas ultima.

108 Inter alia nocendi inſtrumenta, quibus Indici milites uti ſolent, primum ſibi vindicant locum incendiariæ ollæ, quas Luſitani feliciter ad eam

Incendiarias ollas tegulæ ſupplent.

eam diem, ad repellendum hoſtem adhibuerant. Iis vero penitus abſumptis (ut ira, & neceſſitas ingenium mirificè acuunt ad nocendum) novum bellici machinatores inventum protulere. Binas invicem arcuatas tegulas conjunxere, obverſas ſibi ex ea parte, qua concavæ ſunt, & navalis unctúræ ceromate foris undecumque illitas, ex quibus pendebant incendiarii funiculi extrema tantùm parte ſuccenſi. Hæ cum in hoſtes miro ſucceſſu projicerentur, non mediocri barbaros incommodo affecere, commodumque ad victoriam ſtraverunt iter.

Maurum Martinus Botelho in arcem ad Præfectum abducit.

109 At Dienſis Præfectus, ignoratis planè hoſtium conſiliis, ſcire magnoperè ſatagebat, quid machinarentur; nimirum barbari ſagaces æquè, & fraudulenti arcanis modis molitiones ſuas occultabant. Præterea, cum à ſtationariis marini caſtelli nunciatum eſſet, ſingulis fermè noctibus Mauros nonnullos ad arcis pontem adventare, ibique ſubſiſtere, tanquam ſitum loci metiri, & explorare vellent; horæ importunitas, nocturnum ſilentium, & iteratus hoſtium adventus facilè ſuadebant id non temerè, ſed conſultò, & de induſtria fieri. Quapropter Joannes Maſcarenhas Martinum Botelho, cui multum fidebat, cum lectiſſimorum decuria, pontem noctu occupare juſſit, eo conſilio, ut per vim, ac fraudem venientium aliquem in arcem abſtraheret. Is tertia vigilia, per loricæ feneſtras, unde bellica tormenta diſplodi ſolent, demiſſus cum ſuis gladio tantùm, ac ſcuto armatis ad deſtinatum locum contendit. Ut hoſtem faciliùs fallant, abjiciunt ſe ſe omnes in terram, ac paulò poſt arrectis auribus ſonum explorantes diligentiſſimè, ubi primas audiunt venientium voces, in Mauros ſubito, & improviſo impetu inſurgunt. Hi numero duodevigin-

viginti, repentina invaſione turbati, aggreſſoribus vix dum ictum inferentibus terga vertunt: unus dumtaxat ex genere Nobiorum lancea ſe ſtrenuè defendebat, quem Martinus vivum capere, quàm occidere ſatiùs ducens, illatam in ſe lanceam oppoſito ſapienter gladio declinans, medium amplexus, quanta vi poterat brachiis tenaciter illigatum, in arcem abducit, incredibili omnium plauſu, qui egregiam illi virtutem, ut par erat, gratulabantur.

110 De hoc Præfectus captivo probè novit, quænam eſſent hoſtium conſilia, & inde ad eludendas Turcicas fraudes totus incubuit. Nunciatum præterea eſt ab eodem, milites ad quinque millia in acie cæſos deſiderari, præter ſtrenuos centuriones, Tribunos, equitum magiſtros, alioſque permultos, illuſtribus militiæ gradibus honeſtiſſimos, quos omnes ad eam diem Luſitana virtus abſumpſerat: quapropter militari ſcientia clariores, inchoatæ expeditioni adeo diffidere, ut palàm dicerent, ventura nobis procul dubio valida auxilia, ſimul ac mare aliquantulùm quieviſſet. Addebat tamen Rumecanem, acceptis cladibus, adeo ab incœpto non receſſurum, ut contumaciùs obſidionem urgere ſe velle dictitaret; quippe qui, obligata Mamudio fide, obſtinaverat animo militarem famam tota vi, & contentione defendere. Hæc autem minimè falſa monſtravit eventus. Rumecanes quippe conſilio bellici machinatoris Turcæ ex Dalmatia cuniculos agi juſſit ad propugnaculum S. Thomæ, quod Ferdinandus de Caſtro, Didacus de Reynoſo, aliique centuriones, equiteſque honeſtiſſimi defendebant. Suffoſſio miro ſilentio peracta eſt, quin poſſent obſeſſi, vel leviter odorari, quid ageretur; ut enim Aſiatici bellatores non ita peritè, ac Europæi ſolent,

De captivo hoſtium conſilia cognoſcuntur.

Ad propugnaculum Sancti Thomæ cuniculos agunt Mauri.

lent, incendiariis machinis uti norint, ab hac ſe tutos pernicie noſtri exiſtimabant; verùm, cum præcipui ordinum ductores, atque præfecti eſſent ex Turcica gente, hi non modò ſecum ad exercitum militarem virtutem attulerant, ſed etiam diſciplinam.

Per fraudem Luſitanos aliò abſtrahere ſtudet Rumecanes.

111 Dum in ſuffodiendis cuniculis caſtrenſes foſſores laborabant, muros variis in locis ſubrui Rumecanes juſſerat, ut noſtri publico periculo intenti, occultum minimè animadverterent. Quin etiam, ut Dienſium animos aliò per fraudem magis abſtraheret, ligneos equos complures extrui juſſit è regione Thomæi propugnaculi, oſtendens quodammodò ſe in illud admotis ſcalis brevi irrupturum. Statuta aggreſſioni dies erat in IV. Id. Auguſti. Itaque pridie ejus diei collocata in ſtationibus tormenta revehi properè juſſit, & nequid fraudis ex ea novitate noſtris ſuboleret, novo eos dolo ſecuros fecit. Eadem quippe nocte Abaſſinum quemdam, fallacia inobſervabili inſtructum, ad arcem venire juſſit. Is, ubi ad muros propiùs acceſſit, cautionem, ac timorem fallaciter ſimulans, advocato excubitore: *Heus tu*, inquit, *introduc quæſo me, quàm celeriter potes intrò ad Præfectum, quocum mihi res eſt ſummi momenti ſine mora communicanda*. In arcem illico receptus, ubi in Præfecti conſpectum venit, orationem ſuam prudenter inſtituit ab execratione perfidiæ ſuæ: dicebat enim, ſe Chriſtianis ortum parentibus, majorum religionem, in qua fuerat educatus, ſponte abdicaſſe: nunc tamen facti fœditate perterritum, ſceleriſque pertæſum, expenſa diligentiùs periculi gravitate, ad Eccleſiæ ſinum confugiſſe, ut Latini Sacerdotes, pro ſua in homines charitate, perditam ovem ad Romana ſepta re-

reducerent: hanc eſſe vitæ à ſe inſtitutæ miſerabilem quidem, ſed veram ſeriem. Quod verò ad Cambajæ res attineret: Mamudium, ajebat, feſtinatis nunciis accepiſſe Mogolum Imperatorem cum innumeris penè copiis Cambajæ fines ingreſſum, omnia latè ferro, & igne vaſtare: Juzarcanem, qui paulò antè cum tredecim peditum millibus in caſtra veniſſet, juſſum à Sultano, conjunctis cum Rumecane vexillis, hoſtibus obviam procedere, & exultantes, collato prælio, compeſcere: idcirco dimota de ſuis locis tormenta. Monebat tamen, ne imparati invenirentur, irrupturos proxima die undique in arcem barbaros: ſonorè nimirum, & cum ſtrepitu finem diuturno bello allaturos. Hominis conſilium de Neſtoriana ſecta abjicienda Joannes Maſcarenhas, ut par erat, largiſſimè laudavit, monitis etiam peropportunis ſapienter inſtruxit, ut in eo propoſito perſeveraret: de cæteris, quæ nunciaverat gratias egit ampliſſimas, ac demum per murum ad ſuos remiſit, ut indicare deinceps pergeret, ſiquid novi in caſtris barbari molirentur.

112 Non ambiguus igitur per omnem latè arcem diſſipatus eſt rumor, fore, ut obſidio brevi ſolveretur, nunciatumque eſt omnibus, hoſtes in craſtinum arcem procul dubio invaſuros. Ejuſmodi nunciis lætiſſimi propugnatores apparuere lauto, & pereleganti habitu ornati: aliis hoſtium adventum: aliis finem belli concelebrantibus. Omnes itaque ad defenſionem alacres, & paratos Præfectus invenit; ut enim, opinione omnium, ea dimicatio in tam diuturna obſidione futura erat poſtrema, pro ſe quiſque faciebat, ut ex eo prælio glorioſiſſima ſibi ad poſteros manaret memoria. Fraus bellè hoſti procedit.

113 Porrò Ferdinandus de Caſtro, tentatus febri-

Ferdinandus æger ad propugnaculum pugnaturus accurrit.

bribus lecto tenebatur: verùm ſimul, ac de imminente aggreſſione nunciatum eſt, ſurrexit illico, animi magnitudine imbecillis corporis viribus vim inferente. Generoſo adoleſcenti reſtitit Joannes Maſcarenhas, modò imperioſè, tanquam ſupremus armorum Præfectus, modò amicè, pro ea, qua mutuò jungebantur, arctiſſima familiaritate: verùm, cum, imminente prælio, inobedientia ipſa virtus videretur, contra ſalutem, quàm contra opinionem ſuam peccare maluit. Militaribus itaque inſtructus indumentis ad propugnaculum impiger advolavit.

Novâ aggreſſionem hoſtes ſimulant.

114 Ut illuxit ſacra glorioſo Martyri Laurentio dies, latis ab eo pro Fide in igne cruciatibus conſecrata, ſtationes ſuas Luſitani proceres, militeſque petivere, tanta animi alacritate, ut victoriam non expectare, ſed quodammodo præcepiſſe viderenrur. Jam ad prælium inſtructus hoſtilis exercitus promovebatur, ut arcem, ordinibus in orbem circumductis, undecumque circumdaret. Tormenta undique Dienſes libratores non irritis emiſſionibus explodebant; barbari quippe militiæ periti, eodem, quo procedebant, ſervato ordine, paſſim ſternebantur, dum occupato ad aggreſſionem idoneo loco, ſcalas ad muros admoverent. Forti tandem, magnoque animo in propugnacula invaſere, ut noſtros acri dimicatione diſtentos, ab occulta cuniculorum, quos moliti fuerant, fraude faciliùs avocarent. Noſtri verò, non modò ſtrenuè, ſed eleganter arma tractabant, utpote, qui ad optatam victoriæ quietem properarent, quam, certum ſibi laborum fructum eo ipſo die allaturam arbitrabantur.

Cuniculus incenditur.

115 Stricto ferro ad S. Joannis dimicabatur, ne minima quidem ignis ſuſpicione. Remiſsè quidem barbari conſerebant prælium incendendi proximè

cu-

cuniculi ſignum expectantes, quod ubi datum eſt, omnes eodem tempore, & ordine receſſere. Æquus igitur, ac ſubitaneus hoſtium timor certiſſimo indicio fraudem aperuit: ſuis itaque valida, & ſonora voce Præfectus edixit, ut omnes, relicta ſtatione, ſine mora pedem referrent, dum innoxia, & ſine cujuſquam periculo incendiaria peſtis erumperet. Imperanti, relicto loco, paruerant omnes: unus Didacus de Reynoſo inconſulta virtute recedentes, tanquam ignavos ſugillans, ſe omninò loco non movit. Hæc dictitantem imitati ſunt cæteri exemploque potiùs, quàm ratione ipſa ducti, relictum paulò antè locum repetivere. E veſtigio, concepto jam igne cuniculus horribili fragore diſſiluit, illuſtreſque defenſores unà cum loco, quem vivi tenuerant, mortuos abſumpſit. Hic inter cæteros glorioſis laboribus illuſtrem coronidem poſuit Ferdinandus de Caſtro, duodeviginti annos natus, neglecto morbo, quem ſanare natura ipſa facilè poterat, niſi virtus feciſſet immedicabilem. Suum hìc quoque diem obiit Franciſcus de Almeyda, continuatis in eo unà cum Majorum virtute etiam ærumnis. Uno præterea eodemque caſu ſepulti ſunt RotericusCoutinho, Rotericus de Souſa, & Didacus de Reynoſo, qui pretio unius vitæ pœnas dedit tot illuſtrium funerum, quorum generoſè ille quidem, ſed fataliter fuerat inſtrumentum. Didacus verò de Sotomajor, eo ipſo, quo pugnabat habitu, lanceam manu tenens, vi flammæ in altum ſublatus, incolumis, ac recto corpore in arcem innoxio caſu rejectus eſt. Alii ſuper hoſtium caſtra cecidere. Ferme ad ſexaginta triſtiſſimus caſus abſumpſit: cum vita omnino tredecim, ſed vel caſu vulnerati, vel incendio deformes ſuperfuere. Scio ſcriptores alios multò largiùs

Quos abſumpſerit ejus incendium.

giùs miſerabilis incendii caſum deſcribere: ego tamen, ne plus æquo lectoris attentionem miſeranda narratione fatigarem, cæteris dumtaxat commemoratis, ad memorabilem Dii obſidionem pertinentibus, infeliciſſimam diem æterno involvi ſilentio maluiſſem. Noſtri verò vehementer mirati ſunt, vim nitrati pulveris in cuniculis conſepulti adeo valuiſſe, ut ingentes ex arce lapides violentiſſimo impulſu raperet in hoſtium aciem non mediocri clade barbarorum: operante nimirum igne magis ex naturæ impetu, quàm ex cunicularii deſignatione.

Quinque Luſitanorũ militum notabilis virtus.

116 Diſſipata paulò poſt denſiſſima fumi nube, quæ non arcem modò, ſed diem ipſum abſtulerat, ſimul, ac mœnia apparuere, per apertas dejecti propugnaculi ruinas quinque legionariorum ſigna Rumecanes progredi juſſit, quos exercitus deinde univerſus confuſis ordinibus ſecutus eſt. Subeuntibus Luſitani omnino quinque ſtrenuè reſtitere, totam iniquiſſimæ pugnæ molem diu ſuſtentantes. Mirum quidem, ſed verum: id ipſum tamen ut literis conſignetur, idem prorſus animi robur in Hiſtorico requiritur ad ſcribendum, quo, ad perpetrandum illuſtriſſimum facinus, omnino præditos eſſe fortiſſimos viros oportuit. Sed cum hoſtes ipſi non modò teſtes fuerint tantæ virtutis, ſed etiam buccinatores, injuriam facerem receptiſſimæ traditioni, quæ huic veritati ſuffragatur, ſi rem, & confeſſione hoſtium, & diuturnæ ætatis ſuffragio comprobatam auderem in dubium revocare. Eòdem advolavit Joannes Maſcarenhas cum militibus omnino quindecim, ac duplici ſpectaculo ſtupefactus, quorum alterum commiſerationem, alterum admirationem merebatur, juncto agmine cum iis, qui pugnam alacriter ſuſtentabant, tanto impetu, ac ſtrenuitate barbaris obſtitit, ut ad

re-

retardandam exercitus jam jam victoris ferociam Luſitana virtus ſufficeret. Hujus ſanè pugnæ glorioſa commemoratio ad normam genuinæ veritatis exacta longiſſimè excedit quidquid, vel Romani ſcriptores memoriæ tradidere, vel Græci, fabuloſa Heroum ſuorum amplificatione, commenti ſunt.

117 Interim per omnem latè arcem rumor percrebuit, Turcas propugnaculo jam potitos, quo factum eſt, ut nonnulli milites, qui in aliis ſtationibus dimicabant, eò ſtatim confluerent, aleam periculoſiorem ſubituri. Quæ ſanè fama latiùs diſſeminata arci periculoſiſſimè laboranti fortaſſe ſaluti fuit; ex iis enim, qui undique confluebant, juſtum agmen conflatum eſt, quod tredecim millibus peditum irruentibus reſiſtere utcumque potuit: tot enim ferunt in propugnaculum irrupiſſe. Matronæ verò, utpotè quæ vitæ contemptum edoctæ, ad bellica militibus ſuppeditanda inſtrumenta perquàm alacriter convolaruut: in primis ſtrenua illa, quam ſuprà laudavimus, Eliſabetha Fernandez, pilo armata, conjuncta cum præliantibus opera omnes exemplo, ac verbis inflammabat. Summa itaque vocis contentione: *Macti animis*, clamabat, *Chriſtiani equites, Deo, ac Regi veſtro fortiter præliamini. Deus vobiſcum eſt.* Barbari autem, quibus fortunatus cuniculorum ſucceſſus latiſſimam aperuerat ad victoriam viam, occaſionis opportunitate, & Rumecane ipſo inſtigantibus, eo die fortiter dimicantes ſuſceptam expeditionem abſolvere decreverunt. Pugnæ præ cæteris acriùs inſtabant, qui in propugnaculo dimicabant, ambitione, credo, incitati, quòd primi omnium ad arcis expugnationem properaſſent, quam ſanè pulchram bellici facinoris laudem integram ſibi aſſerere conabantur, qui cum fermè omnes eſſent

Eliſabethæ Fernandez, & Dienſium matronarum virilis animus.

ex

ex Turcis, ac Prætorianis, præcipuam ſibi victoriæ famam arrogabant. Inter hæc Rumecanes in cæteras Luſitanorum ſtationes irrumpere militem jubet, ut, diſtractis in plures partes propugnatoribus, facilior in arcem aditus panderetur.

Parochus Dienſis militibus animos addit.

118 Sæpè ſæpiùs, deſperata propemodum defenſione, in ultimum adducta diſcrimen Dienſis arx vix ſtetit, ac diu nutavit. Quìnam enim irrumpentibus tanta vi, ac numero barbàris, ac planè recentibus, tam pauci, ac labore tandiu victi reſiſterent? Ad animos tamen in tempore corroborandos adfuit opportunè Joannes Coelho Vicarius, Chriſtique in Cruce pendentis ſalutare vexillum attollens: *Macti virtute*, dicebat, *egregii milites, Deum exercituum, ac victoriarum vobiſcum pugnantem recordamini: illius huc uſque cauſam ſi tanto labore, ac ſanguine defendiſtis, ſuis ille quidem in tanto rerum articulo pro ſua benignitate non deerit.* His verbis ac multo magis Chriſti Servatoris aſpectu Chriſtiani bellatores corroborati, alias propemodùm induiſſe vires humanis majores videbantur; omnes enim, diſsimulatis vulneribus, ac preſſo dolore, prælium eodem planè, quo cœperant ardore continuabant.

Quinque Luſitanorum militum nomina.

119 Jam inclinabat in veſperam dies, barbarique cum noſtris inter flammas permixti æquè incendebantur, mutuiſque vulneribus proprium, alienumque ſanguinem fundebant largiſſimè, &, quia tam paucis exercitus univerſus inſtabat, Luſitani milites in uno, eodemque vulnere plures ſæpè lanceas excipiebant. Exaggeratum fortaſſe videatur, quod ſincerè ſcribimus, & ſine fuco. Edita eo die à Luſitanis præclara facinora Orientis utcumque populi decantaverint; arbitror tamen Dienſem arcem in unoquoque ſuorum lapidum, mutum illis quidem,

ſed

ſed glorioſius epitaphium excitaturam. Quod ad me attinet, non committam, ut quinque militum, quos ſupra laudavimus, nomina ingrato ſileutio preſſa deliteſcant, ſed ea fideliter tranſmittam, cum ad memoriam, tum ad exemplum poſteritatis. Fuere itaque Sebaſtianus de Sà, Antonius Peſanha, Benedictus Barboſa, Bartholomeus Correa, & Joannes, Chirurgus non ignobilis. Idem fuit diei, ac pugnæ finis. Rumecanes, dato receptui ſigno, in caſtra ſe recepit, ſeptingentis ſuorum amiſſis, innumeris ſauciatis, quorum complures incuria medentium, paulò poſt occubuere; ſauciorum quippe multitudo, ut medicamenta citiùs abſumebat, ita medentes faciliùs delaſſabat. Ex iis quinque ſupra laudatis, qui propugnaculum primò propugnavere, unus interiit Joannes Chirurgus, vulnerum multitudine dilaniatus, quæ ſatis ſuperque ſua ipſe manu ultus eſt, quin vellet de ſtatione decedere, nec ſuadentibus amicis morem gerere: hi tamen hominem non minùs arte, quàm bellica virtute conſpicuum ſubduxere de pugna, ſibi fortaſſe, ac cæteris profuturum. Ad obliganda mariti vulnera uxor interrita convolavit Eliſabetha Madeira: mortuum terræ defodit, viroque amantiſſimo paucis ſanè lacrymis, ſed ingenti dolore parentavit: animo deinde, vel in fortioribus viris inuſitato, adeo non contabuit domeſtici luctus acerbitate, ut in reficiendo aggere cum cæteris matronis operam ſtatim ſuam conjunxerit.

Recipit ſe Rumecanes in caſtra.

Eliſabethæ Madeira præcipua virtus.

120 Ab hoſtium regreſſu, nulla interpoſita mora, Joannes Maſcharenhas ſuorum cadavera, quæ ſub propugnaculi ruderibus jacebant, erui, humarique juſſit, ſive, ut veriùs dicam, ex uno in aliud ſepulchrum inferri. Omnes acervatim, pro loci, ac temporis anguſtiis, tumulati. Defuit quidem honeſtiſ-

Mortuos curat Dienſis Præfectus.

ſimis

ſimis cineribus funeris pompa, & ultima chariſſimorum comploratio; dormiunt tamen Dienſes Heroes majori patriæ deſiderio in humili ſepulchro compoſiti, quàm qui alabaſtrinis urnis incluſi, otioſam, ingloriæ vitæ memoriam poſteris reliquere. Diverſo tamen ab aliis loco ſepoſitum Ferdinandi de Caſtro cadaver terræ mandatum, ſi forte aliò generoſus Pater honoratos transferre cineres voluiſſet, quibus tametſi ſumptuoſius, ac magnificentius, non tamen illuſtrius ſepulchrum poſſet excitare. Poſt impenſam mortuis commilitonibus curam, ad reſtaurandas murorum ruinas, animum Præfectus adjecit. Operi raptim perficiendo Matronæ, glorioſi laboris, ac periculorum ſociæ fortiter incubuere, quin tempus ſibi vacuum reſervarent ad complorandos liberos, ac maritos, quos mori præclarè viderant, mortuoſque ſuis ipſæ manibus terræ mandarant, novo, & inaudito conſtantiæ exemplo, inſitum ſibi à natura erga chariores dolorem ſuffocantes.

Ejuſdem generoſa deliberatio.

121 Ubi primùm lapidibus recenti ſanguine, & incendio fumantibus propugnacula Præfectus refecta vidit, ſuperſtites cladi ſocios ſanè perpaucos in conſilium vocavit, apud quos, explicato præſentium rerum miſerabili ſtatu, oſtendit, pleroſque defenſorum jam mortuos, ægros, aut vulneratos, qui ſupereſſent, arma longo jam uſu detrita, corruptum commeatum, apparatum bellicum penè nullum, arcem dirutam, maria ſæviente hyeme quotidie magis impervia, hoſtem in omnem nocendi occaſionem intentum, perpetuis ſubſidiis corroboratum, & omnium, quas pateremur difficultatum apprimè gnarum. Quapropter rogare ſe omnes, ajebat, ut vitæ prorſus immemores in commune conſulerent, quomodò ſuo, ac Regis nomini in ultimo rerum diſcrimine

mine

mine conſuli poſſet: meminiſſent omnium in ſe oculos eſſe converſos, tanquam in publicum, miſerandumqne ſpectaculum: eò loci rem eſſe, ut ſumma ſibi, vel infamia, vel fama ſubeunda neceſſariò eſſet: quam non poſſent ipſi victoriam adipiſci, eadem ſpoliare hoſtes poſſe virtute ſua: nimirum in uniuſcujuſque arbitrio ſitum eſſe gloriosè mori, majoremque laudem cadendo fortiter, quàm barbaros victoria ipſa mereri: eo conſilio ſe omnes advocaſſe, ut nudaret omnibus animum ſuum, quem fortes commilitones ſperabat ad unum omnes probaturos. Scirent igitur paratum ſe eſſe, deſperatis omnino rebus, cibariis, & bellico apparatu conſumptis, omnia incendere, tormentiſque adacto clavo obturatis, armata manu in confertiſſimos hoſtium cuneos irrumpere, ne barbari ea lætari victoria poſſent, in qua captivi, ac ſpolia nuſquam invenirentur. His à Præfecto commemoratis, nemo unus fuit inter milites, cui generoſum conſilium non probaretur: immò verò moram omnes incuſabant, qua fortiſſimum exemplum diutiùs differebatur. Proferat nunc antiqua Roma, ſi poteſt, ex glorioſiſſimis annalibus par exemplum fortitudinis, quod ſui olim vel Fabii, vel Scipiones, vel Marcelli, vel alius quiſquam inter Romanos Heroas ediderit; ſimile profectò Luſitanæ conſtantiæ non inveniet.

122 Hæc dum apud Dium agebantur, Alvarus de Caſtro cum tempeſtatibus, hyeme ſæviente, luctabatur: nimirum oct. Kal. Julias, tempore ad navigandum prorſus inopportuno, de Dienſi arce ſolicitus, contempto ſuo, claſſiſque periculo, naves impendentibus undecumque fluctibus penè obrutas valido remigio jubebat impelli. Flabat incredibili impetu Africus, qui omnium hyemali tempore tur- *Alvari de Caſtro iter.*

bulentiſſimus eſt in Indico præcipuè mari; tranſverſis inter ſe fluctibus concitata ſuperbè maria abſorbere quodammodò naves immenſis hiatibus videbantur, quarum aliæ ventorum vi, laxatis compagibus, fatiſcebant, aliæ nauticis malis, & armamentis ſpoliatæ ferebantur, impotenti fluctuum depræliantium arbitrio permiſſæ; gubernaculo quippe non obedientes, ſubſultantes ex utroque latere undas miſerabiliter accipiebant. Alvarus tamen obfirmato vehementer animo, ut Dio quàm primùm ſuccurreret, ferebatur hinc illinc incerto curſu in ſingula penè momenta naufragus, & à ferociſſimo mari abſorbendus; donec navis, perpetuis ſubſultibus amiſſo clavo, impatientem coegit cum paucis, ac laceris navibus Bazainum renavigare: reliqua diſſipatæ claſſis navigia, alia aliò appulere. Invenit hìc Alvarus Franciſcum de Menezes, qui nihilo mitiorem expertus fuerat maris fortunam; tempeſtatis quippe vi repulſus fuerat, Cambajani freti trajectione ſemel, iterumque fruſtra tentata, quod tanta ſævitia ferociens repperit, ut commeatus, ac bellica, quæ ferebat inſtrumenta coactus fuerit in mare projicere, ne oneraria cum claſſiariis abſumeretur.

Vi tempeſtatis Bazainum renavigat.

123 Interea Antonius Moniz Barreto, de quo ſupra meminimus, venerat cum onerario lembo, qui fœdiſſima tempeſtate ubique jactatus ſæpè ſæpius in ultimum naufragii diſcrimen adductus eſt. Eundem, jactis anchoris, Antonius Alvaro tradidit eo conſilio, ut ipſe ea cura ſolutus Dium, vel invito mari trajiceret; guſtu nimirum prioris periculi ſic illectus eſt, ut aliud longè majus gloriæ ambitioſus appeteret. Eodem die, creſcente maris ſævitia, retrahi paulatim lembus vi fluctuum, &, fractis duobus anchorariis rudentibus, abduci cœpit. Eum Alvarus, quòd

Antonius Moniz Bazainum appellit.

quòd in eò melior auxiliorum portio veheretur, ab imminenti periculo ſubducere d u conatus eſt: nautæ tamen, ut remis validè inſurgerent, & obſtantes audaci curſu frangerent undas, prohibiti vi tempeſtatis fugientem nequaquam aſſequi potuerunt. Moniz autem actuariæ invectus, quam prope litus fortè repererat, mari ſe commiſit, obſtupentibus, qui in litore erant, quomodo in ſingula penè momenta non mergeretur: actuaria tamen levitate ſua, ut vim fluctibus non inferebat, ita ſecuriùs, vago quidem, & incerto curſu, ab iiſdem ferebatur. Lembum tandem aſſecutus, ac nautico rudente illigatum contra omnium opinionem, majore fortuna, quàm conſilio, in portum remulco traxit. Conjiciens deinde actuariam illam, utpote levem, ac parvam, minùs undis ſævientibus obnoxiam fore, atque adeo putans ſe in ea commodiùs poſſe traiicere, numerata clanculum pecunia de Bazainenſi Mercatore illam coemit, conductiſque pro libito remigibus, Dium trajecturus conſcendit. Forte fortuna deambulabat in litore Garzias Rodriguez de Tavora, & animum Antonii conſpicatus, petivit ab eo, ut ejus ſe ſocium expeditionis acciperet: negavit Antonius ſe ejus ſocietatem admiſſurum, qui famam ſuam poſſet obſcurare: uni ſibi illius periculi gloriam ſe depoſcere, nec pati poſſe, ut, cum primas facilè partes ſuſtinere poſſet, admiſſo ſuperiore, ſecundas ageret. Garzias his auditis ſeriò affirmavit, ubique, & omnibus teſtaturum ſe, tanquam ejus ſocium navigare, & ſi minùs verbis fideret, ſcripto ſuam ſe fidem obligaturum. Tam religiosè per id tempus honoris, & gloriæ certamina agitabantur. Tanta verborum moderatione expugnatus Antonius ſocium admiſit. Eos cum à litore provehi videret Michael de Arnide,

Onerariam in mari periclitantem ſtrenuè periculo ſubducit.

Nobiles duo Dium in navicula proficiſcuntur.

Michael de Amide eos comitatur.

de, miles immenſa propemodum corporis mole, ac majore animi firmitudine, inclamans, heus, inquit, Domini mei: Diumne trajicitis me relicto? Cùm reſponderent, locum accipiendo tertio non ſupereſſe, ille nihil cunctatus, ferrream fiſtulam ore ſuſtinens, ut erat veſtitus, mari ſe dedit, & dimotis utraque manu fluctibus, adnabat actuariæ. Hominis conſtantiam demiratus Antonius Moniz, fluitantem hinc inde naviculam circumducens, tandiu expectavit, dum venientem exciperet, magnum, ut ipſe ajebat, laturus Dio ſubſidium in egregio commilitone.

Itineris pericula.

124 Proceſſere illi quidem diem, ac noctem totam, facti ventis, & contumaciſſimo mari ludibrium; actuaria quippe incerto curſu, clavoque non obediens, fluctuum impetum tantummodò ſequebatur, quibus, uti ſecundis procedebat, ita adverſis regrediebatur. In hunc modum exiguo tantùm veli additamento ad imum malum explicato, temerè navigabant, fluctibus ex utroque latere naviculam ita onerantibus, ut exhauriri ſitulis ſentina vix poſſet. In hoc labore, ac periculo nox omnis inſumpta, attritis omnino viribus, quin per nocturnas tenebras, denſumque nubibus cœlum liceret miſeris locum agnoſcere ubi eſſent, & quò ferrentur. Nocti ſimillima dies illuxit, in qua, ut antea, cum fluctibus colluctantes ægrè admodùm procedebant, donec inclinante in veſperam ſole, Dienſis arx eadem fortuna navigantibus ſe ſe aperuit, quæ tamen propemodùm ſolo æquata, vix à circumjectis ruinis agnoſcebatur. Ægrè tandem, præjactis anchoris, ſubſtitere, quin tamen ab excubitoribus audirentur, quod non obſcurum captæ jam arcis indicium interpretabantur. Itaque ſumma vocis contentione clamavit

Dium appellunt.

Nobilis duorum procerum diffidentia.

Anto-

Antonius Moniz, qui ubi primùm auditus eſt, Præfectus è veſtigio de venientibus factus eſt certior. Sciſcitante verò mœnium excubitore; quinam venirent? reſpondiſſe militem ferunt, Garziam Rodriguez de Tavora ibi adeſſe: quod ægrè admodùm ferens Antonius Moniz, primò ſe, ac præcipuè venire reſpondit. Et forte nobilis altercatio diffidentibus animis ultrà proceſſiſset, niſi Garzias comitate, & modeſtia ſua exulceratum Antonii animum temperaſſet: tametſi tempus ipſum, & cauſa diſſimulandas leves querelas omnino ſuaderent. Hoſpites benevolè amplexatus Joannes Maſcharenhas, permagni ſe facere ſignificavit eam auxilii opportunitatem: ſciſcitatus deinde, ubinam gentium eſſet Alvarus de Caſtro? reſpondit Antonius Moniz ſonora voce ita, ut à circumſtantibus commodè audiri poſſet: Madreſabati ſubſiſtere cum ſexaginta navibus, prima maris opportunitate navigaturum: remotis tamen arbitris Bazaini adhuc detineri dixit trajectione ſæpiùs, ſed fruſtra tentata: moræ tamen impatientem, ut auxilia quàm citiſſimè importaret, occaſionem navigandi non prætermiſſurum. Nuncium lætiſſimum Dienſes milites tanto cum plauſu excepere, ut laborum præteritorum quodammodò immemores, & vicini ſubſidii ſpe mirificè corroborati, lætitiam ſuam choreis, ac muſico concentu celebrarent. Qui verò cum Alvaro militaverant, quippe qui illius animi magnitudinem haberent probè perſpectam, repugnantibus ventis, & invito mari venturum omnino ajebant. Nuntiant de adventu Alvari.

125 Joannes Maſcarenhas illuſtres commilitones recèns advectos in propugnaculis S. Joannis, ac S. Thomæ omnium periculoſiſſimè labefactatis, hoſpitio excepit: his nimirum belli blanditiis do- Dienſis Præfectus Alvaro arcis periculum ſcribit.

nan-

nandos ratus, qui jam ſpecioſiora pericula meriti fuerant. Nec minùs, quàm antea, inſtabat periculum: ſed jam experientia ipſa, atque uſu minùs timebatur. Actuariam in qua venerat, remiſit Antonius Moniz Bazainum Aloyſio de Mello de Mendonca, conſobrino ſuo, qui, & ipſe Dium navigaturus, eam vehementer expetiverat. Vecti ſunt in ea nonnulli milites membris capti cum epiſtolis Dienſis Præfecti ad Alvarum datis, quibus ſummatim, ea ipſa, quæ ſcripſimus nunciabantur. Appulit tandem navicula Bazainum magno intuentium motu, & expectatione; libenter enim audiebatur ſtare adhuc Dienſem arcem pro Rege Luſitano: tametſi ejuſmodi gaudium tot illuſtrium virorum funera nunciata corrumperent. Præcipuè verò movebat animos immatura mors Ferdinandi de Caſtro, qui viridi adhuc ætate virtutis ſuæ memoriam reliquerat honeſtiſſimam. Excepit Alvarus Fratris caſum militari conſtantia, tametſi non mediocriter gauderet ſtricto jam gladio ad eum ulciſcendum properare. Eadem die pomeridianis horis claſſem eduxit, Dium navigaturam, facta Ducibus ſingulis poteſtate, ut, cæteris non expectatis, aptiſſimam caperent navigandi opportunitatem.

Alvarus illicò Bazaino ſolvit.

126 Inter hæc Rumecanes experientia doctus, cuniculis longè meliùs, quàm aggreſſionibus obſidium procedere; cum ex quibuſdam mancipiis, quæ ex arce fugerant in caſtra, reſciviſſet, quanta rerum omnium difficultate premeremur, quantuſque luctus apud nos eſſet, tot illuſtribus viris incendio abſumptis, novas ſuffoſſiones maturavit, quæ minùs periculosè, & majore Dienſium damno agebantur. Qua de cauſa propugnaculum D. Jacobi ſubrui juſſit cum adjacente mœnium tractu, excitatis ad id ſinuato

Novos cuniculos agit Rumecanes.

to itinere obſidionalibus viis, aggere terreo contectis, non tam, ut foſſoribus proſpiceret, quàm, ut nos conſilium celaret ſuum. Joannes verò Maſcarenhas cautus juxtà, ac providens, hoſtem ex illa brevi armorum quiete in ſuffodiendis cuniculis occupatum conjiciens, timenſquè vehementer propugnaculo, quod Antonius Peſanha tuebatur, novis illud munimentis præmuniri, & ſubterraneas aperiri juſſit auriculas, unde cognovit ex ea præcipuè parte tentari murum, quem cum hoſtes ita prædurum, ac validum inveniſſent, ut, ne impactis quidem ferreis palis, frangi poſſet, aceto, & igne domuere. Hinc facilè lector colligat, Orientalibus barbaris, quibuſcum tum agebamus, nec virtutem defuiſſe, nec diſciplinam: contrà, quàm per errorem Scriptores nonnulli memoriæ prodiderunt, qui ad noſtras minuendas victorias, tyrones, ac rei militaris omnino rudes fuiſſe ejuſmodi Mauros ſunt arbitrati. Muro hac arte ſubrui cœpto, Rumecanes cuniculum agi juſſit inter D. Thomæ propugnaculum, ac veterem turrim. Noſtri verò, cognita fraude, cuniculo cuniculum excepere, murumque prævalidum ex interiori parte excitarunt. Verùm, quia non minùs cæmentis, quàm operis indigebamus, Dienſes Matronæ molitioni difficilis operis manus admovere pro ægris, & vulneratis, qui, tametſi labori pares omnino non eſſent, quieſcere tamen in eo rerum articulo non ita facilè potuiſſent.

Noſtri eos diſturbant.

127 Ubi primùm cunicularii fabri opus perfecere, decrevit Rumecanes, incenſo cuniculo, cum omnibus copiis in arcem aggredi: itaque, vocatis in concionem militum Præfectis, iiſque, quibus ſuperandi per ſcalas muri provincia difficilis erat impoſita, hæc fermè verba feciſſe commemorant. „ *Eæ,*

Suos ad aggreſſionem incendit Rumecanes.

quas

quas videtis, ruinæ, commilitonum noſtrorum reſperſæ ſanguine, vel hodie nobis ſepulchri, vel caſtrorum loco eſſe debent. Una tantum Luſitanorum centuria dirutos muros tuetur, quos longa fames, & vulnera ſic enervavere; ut non cum hominibus, ſed cum umbra eorum, qui homines fuerint, ſit nobis hodie dimicandum: miſeri nimirum gladiis noſtris animas quodammodò exangues objiciunt. Quem illi honorem in hac obſidione, infelici virtute ſibi peperere, eo nos brevi potiemur; bellicæ enim expeditiones ex fine dumtaxat nomen accipiunt, cum de militari virtute ultima belli fortuna plerumque judicet. Caſuram per ſe arcem tandem aliquando expugnemus, ad eum triumphorum noſtrorum montem alacres aſcendamus, una tantùm victoria injurias propemodùm infinitas vindicaturi. Captivam Aſiam probroſis pendendi ſtipendii vinculis exſolvamus, maria ipſa ſub Luſitanis claſſibus diu gementia liberemus. Suprema hac aggreſſione pulcherrimæ expeditioni coronidem imponemus, ut diu, multumque per conſequentes ætates Aſia univerſa diei feliciſſimæ jucunda recordatione uti poſſit.

Propugnaculum Sancti Jacobi invaditur.

128 Peracta concione, idoneis tempori, ac loco verbis complures privatim incendit: aſcenſuris in murum legionariis præmia non contemnenda promittit, tanta dexteritate, ac prudentia, quantam Europæus Imperator belli peritiſſimus poſt longum armorum uſum oſtendere potuiſſet. Eadem die, quæ fuit poſtridie Id. Auguſti, egreſſi caſtris barbari cum omnibus copiis circum propugnacula militari ordine diviſi ſunt: numeroſiores verò legiones, ac maximè ſtrenuæ ſubſtitere, D. Jacobi propugnaculum aggreſſuræ, unde commodam ſibi ad victoriam viam ſperabant ſe facilè munituras. In illud itaque horrendis clamoribus, quaſi tumultuariò irrupere,

effu-

effuſo miſſilium telorum imbre denſiſſimo, ut nervum Luſitanorum ad defenſionem eò invitarent. Erat hìc atrox, ſi unquam aliàs, cruentumque pugnæ genus: ecce tibi, in ipſo certaminis ardore, barbari, quaſi a noſtris repulſi, ſubitaneam fugam, tanquam ex compoſito ſimularunt. Noſtri tamen experientia recentis infortunii ſatis edocti, cognita fraude, ex ſimulato hoſtium metu, propugnaculum tandiu deſeruere, dum cuniculi paulò pòſt erupturi innoxius impetus detonaret. Huic ignem Mauri applicuere, qui repulſus ab ima muri declivitate, quem noſtri validis ex arte repagulis communiverant, extima ex facie retroactus erupit, frontemque muri interjacentis in tranſverſum attollens, tanta vi rejecit in Mauros, ut trecentos oppreſſerit, ac multo plures caſu damnoſiſſimo vulneraverit.

Incenſus cuniculus in hoſtes recidit.

129 Diu, multumque ſpiſsiſſimis pulveris, ac fumi nubibus arx involuta delituit, quin ex utraque parte importatum ab igne damnum æſtimari poſſet. Sed ubi primùm attenuari aer cœpit, turmatim irrupere barbari per apertas mœnium ruinas, tauta victoriæ fiducia, ut, vel præmii cupiditate, vel ambitione honoris incitati, alii aliis impedimento eſſent. Venientes, objectis lanceis, Luſitani ita repulere, ut minutatim conciſi ſupra ſuorum cadavera, quos ignis abſumpſerat, cadere cogerentur. Succeſſere alii non minore impetu, nec meliore fortuna; nam, tametſi prælium diu, ac ſtrenuè ſuſtentaverint, eadem cæde rejecti ſunt. Noſtri tamen viciſſim, effuſo ſagittarum, pilorum, igniumque miſſilium nimbo, tam ferociter è Caſtris impetebantur, ut nonnulli militum, vulnerati impedirentur, quominùs duplici periculo intenti, ſe ſe defenderent. Ex Luſitanis verò ita exuſtis, ac vulneratis nemo unus fuit qui

Arcem Mauri aggrediuntur.

loco cederet, quapropter luculentiſſimum heroicæ virtutis ſpecimen edidere, ut ex ipſo pugnæ ſucceſſu, & copiarum inæqualitate cognoſci poteſt. Cæterùm tanta vis ignium à barbaris in propugnaculum conjecta eſt, ut noſtri inter ardentes flammarum globos miſerrimè dimicarent: cui malo providit pro ſua prudentia Præfectus, poſitis in medium doliis aqua plenis, unde corporum, veſtiumque incendia, vel extingui omnino poſſent, vel mitigari. Verùm, quia nervus Turcici exercitus in eum locum confluxerat, eòdem noſtri etiam frequentiores convenere, totis viribus repugnaturi. Violentiùs igitur pugna recruduit, à recentibus Mauris in ſingula penè momenta redintegrata, & à Turcici Imperatoris ſuos inflammantis voce, ac præſentia nutrita, & aucta.

Fœminarum Dienſiū virtus.

130 Antonius Moniz Barreto, & Garzias Rodriguez de Tavora belli molem non mediocri conſtantia ſuſtentantes inſigne bellicæ virtutis ſpecimen edidere, eandem præſeferentes animi magnitudinem in terreſtribus, ac maritimis periculis ſuperandis. Nec minorem ea die laudem Dienſes Matronæ meruere, quæ in perferendis, cum laboribus, tum periculis non animos ſolùm cum bellatoribus viris, ſed etiam operam conjunxere, præcipuè verò proba anus Eliſabetha Fernandez pilo armata populares ſuos verbo, & exemplo inflammabat: reliquæ verò inter ſagittas, lanceas, ac plumbeas glandes pluſquam virili audacia impavidè volitantes, virtutem, vel oſtendebant ſuam, vel adjuvabant alienam.

131 Nec in cæteris locis noſtri ceſſabant; ubique enim dimicabatur, ut diſtractis pluribus in locis Luſitanis, facilior ex incenſo D. Jacobi propugnaculo pateret barbaris in arcem aditus. Juſſit etiam

etiam Rumecanes, imminens arci templum crebris tormentorum emiſſionibus verberari; putabat enim illud ex ipſa loci eminentia impeti poſſe faciliùs, & ſolo æquari: majorem præterea ſe nobis injuriam illaturum exiſtimabat, ex ipſâ, quam contemnebat, loci ſanctitate. Tanto tamen impetu noſtri barbaros fatigavere, ut jam vulneribus laſſi, & ſuorum cæde perterriti minus ad audendum animi, minus haberent virium ad tentandum arcis aſcenſum.

132 Quapropter impatiens Rumecanes ſiniſtro ejus pugnæ ſucceſſu, receptui canere tubicinem juſſit, mortuis ea die legionariis ſupra quingentos, innumeris propemodùm ſauciatis. Unuſquiſque verò noſtrorum militum ad bellicæ commendationem virtutis ea gloria poterat eſſe contentus, quam glorioſiſsimum ſibi illius diei diſcrimen attulerat. Michael verò de Arnide tam præclaram invicti animi laudem retulit ex eo prælio, ut, quamvis immenſo propemodùm eſſet corpore, ſpiritu tamen præditus longè majore videretur: cum verò pro magnitudine corporis vires eſſent, quemcumque aggrederetur, primo facilè ictu diviſum conficiebat. Mojetacanes autem, qui paulò antè recentibus copiis exercitum auxerat, cum Luſitanorum virtutem ſuperbè anteà contemneret, poſt commiſſum prælium mutato judicio, palàm dixiſſe ferunt, Luſitanos planè dignos eſſe, qui nationibus cæteris imperarent: mundique felicitatem in eo ſitam, quòd eſſent ejuſmodi homines pauci numero: natura enim ſumma Dei providentia eos, quemadmodum leones, raros fecerat, & in ſpeluncis extremi Occidentis incluſerat.

133 Septem dumtaxat eo die Luſitani gladio confoſſi: duo ſupra viginti flammis abſumpti: qui verò planè valerent tam pauci numero reperti ſunt,

Cum clade ſe recipiunt in caſtra Mauri.

Mojatecanes Luſitanorum virtutē laudat.

Dienſis arcis difficultates de tranſfugis Rumecanes cognoſcit.

ut, nec ad ſaucios curandos, nec ad inſtaurandas mœnium ruinas ſufficerent; neque enim jam perficiendo operi tempus, nec cæmenta, nec operæ ipſæ ſuppetebant. Rumecanes verò de Dienſium viribus ex obſtinata propugnatorum conſtantia longè aliter opinabatur. Tria per id tempus mancipia ex arce ad hoſtes transfugientia, ad Rumecanem adducta diſertiſſimè pronunciarunt, vix in Dienſi arce ſupereſſe milites ad ſexaginta, qui poſſent arma tractare, eoſque fame, labore aſſiduo, vigiliiſque fractos adeo, & debilitatos, ut in illis nihil aliud inveniretur præter enervem obſtinationem. Ab hoc nuncio decrevit iterum Turcicus Imperator nova arcem invaſione in craſtinum aggredi, ſuiſque ſignificavit, in qua rerum deſperatione obſeſſi verſarentur, dictiſque ut pleniorem fidem adſtrueret, ex captivis ipſis audire ſuos juſſit, quæ nunciaviſſet: hi verò per totum exercitum circumducti omnem miſeriarum noſtrarum ſeriem hilariter explicabant.

Iterum arcem invadit.

134 Vixdum illuxerat dies, explicatis ordinibus, inſtructus eſt ad ultimam aggreſſionem exercitus, in quo nemo unus ex barbaris deſideratus eſt, quin immò, pro ſua quiſque facultate, & gradu, eleganti habitu ornatus ad triumphum potiùs, quàm ad prælium procedere videbatur. Caſtris itaque egreſſi, vexilla explicant inter diſſonos militarium inſtrumentorum concentus, inconditis clamantium vocibus identidem iteratos, quibus barbara, & horribilis echo repræſentabatur. Barbari verò, quia omnem ex prænarratis nunciis timorem exuerant, facto procul impetu, invecti ſunt in propugnaculum D. Thomæ, quod cum penè dirutum eſſet, circumfuſæ ruinæ commodum ad ejus invaſionem gradum faciebant. Ex Turcicis legionariis prima proceſſit

aggre-

aggredientium turma: hi ſuperba ſuæ virtutis fiducia freti, ſummo impetu noſtros invaſere, viam cæteris copiis ad victoriam quaſi facturi: obſeſſi tamen, jactis in ſubeuntes felici ſucceſſu incendiariis ollis, miſerè combuſtos repulere. Eodem impetu alii ſucceſſere, & prælium aliquandiu ſuſtentarunt, ſed tandem pari prioribus cæde rejecti ſunt. Ratus tamen Rumecanes longa nos defatigatione conſumptos, inſtar ferri, quod uſu diuturno conſumitur, ex ipſa ſuorum cæde, detritas obſeſſorum vires conjiciens, imperioſis clamoribus ſuos incitavit, ut animosè in arcem aſcenderent victoria potituri, quando propugnatores, aut nulli jam, aut omnino pauci ſupereſſent. Complures hìc fortiſſimorum manipuli, confuſis ordinibus, irruere, virtuti ſuæ planè confidere, vocibus Imperatoris fidem habere, & certam ſibi quiſque victoriam augurari. Confirmatis animis murum ſuperarunt, ubi collato pede pugnatum eſt à multis, recentibuſque contra paucos, & tandiu fatigatos. Hi tamen viribus ex animi conſtantia, & ultima neceſſitate corroboratis, eadem virtute primos, ac poſtremos ſuſtinuere. Siquis hoſtium caderet, ſuccedebant illico, qui eorum occuparent locum, tanta contentione, ac contumacia, ut ſæpè ſæpius nihil propiùs abfuerit, quàm, ut arx caperetur. Joannes Maſcarenhas omnes optimi Ducis obiens partes, ſuos opportunis verbis incendebat ad pugnam, eandemque ſtricto gladio, veluti miles egregius, ſuſtentabat: fortuitis belli caſibus occurrebat diligentiſſimè, & omne telorum genus à matronis opportunè ſuppeditatum, ita paratum habebat, ut inde noſtri non parum adjumenti caperent ad ſtrenuè rem gerendam. Nec minùs fortiter, qui propugnaculi defendendi partes ſuſceperat Dux Aloyſius

Strenuè Luſitani reſiſtunt.

de

de Souſa, arma tractavit ea die. Antonius Moniz Barreto, Garzias Rodriguez de Tavora, Petrus, & Franciſcus de Almeyda ita impigrè ſe geſſere, ut longam, & præcipuam hiſtoriam mererentur. Cæteri etiam ex equeſtri ordine cum gregariis, qui huic interfuere prælio illuſtrem pro meritis famam adepti ſunt.

Sancti Joannis propugnaculū aggreditur Rumecanes, & recipit ſe in caſtra.

135 Inter hæc Rumecanes, ut ex captivis audiverat, ratus propugnaculum D. Joannis aggreſſoribus facilè pervium, lectiſſimas in illud cohortes invehi juſſit: pauci tamen, qui ſupererant ibi ſtationarii hoſtem virtute ſua non ſine damno, ac pudore coegere properè pedem referre. Obſtupuit Rumecanes, ea ſecum reputans, quæ in oculis ſuis agebantur, affirmans Luſitanos Divinæ in Cambajam indignationis inſtrumenta eſſe præcipua. Itaque rurſus adiecit animum ad placandam Mahometis iram, luſtrato exercitu, barbariſque, ac ridiculis expiationibus, Turcico more, iteratis. Quia verò milites quotidianæ cladis horrore perterriti, militare jugum penè excuſſerant, & aggreſſiones aperta vi factæ multum ſine fructu Turcici cruoris exhauſerant, cuniculos iterum agi juſſit, quod ſuis tutius, nobis damnoſius belli genus arbitrabatur. Priùs tamen in pariete, qui exercitum ab arce dividebat, crebra juſſit aperiri foramina ad ferreas inde fiſtulas explodendas, unde, fulminantibus ſclopetariis, non vulgare damnum obſeſſis importabatur; dirutis enim undecumque mœnibus, quaſi in aperto dimicare cogebamur.

Ciſternam arcis labefactare ſtudet.

136 Præter hæc, obverſo in ciſternam minore tormento, eam crebris emiſſionibus quati juſſit, quæ ſi perfoderetur, immedicabili ſiti facilè enecaremur. Hæc porrò ciſterna in aditu viæ ſita eſt, quæ vul-

vulgo *Cova* dicitur, ubi Mauri foſſam antiquitùs excavarant, quò ad bellum inutiles, quaſi in tutiſsimum locum ſe ſe reciperent. Hùc igitur ferrei globi complures inferebantur, non ſine damno miſerorum, qui eò confugerant, fornicisque ciſternæ ſuperpoſiti periculo præſentiſsimo. Huic ut occurreret Præfectus periculo, vallum extrui juſsit, ex præaltis trabibus, congeſtitia humo firmatis, ex quo factum, ut duplici commodiſsimè damno provideretur; perforatis quippe ex interiori parte ædificiis, ex uno in aliud tutiſsimus tranſitus apertus eſt.

137 Interea ſuffoſsio tota contentione ad propugnaculum D. Jacobi promovebatur à barbaris, quod cum noſtri animadverterent, tranſverſis è regione ſtructis cuniculis, foramina hinc illinc plura aperuere, unde ignis innoxio impetu foras erumperet. Ubi verò eruptionis tempus advenit, tanta vi ab interioris muri declivitatibus repulſus eſt ignis, ut avulſam propugnaculi partem obliquo caſu exteriùs in Turcicos milites, ac foſſores impulerit, magna hoſtium ſtrage, quin noſtros ea ruina ne leviter quidem læſerit, nec ipſam muri inter duo propugnacula interiacentis, extimam faciem corruperit. Id quidem prodigio ſimile omnibus viſum, tametſi caſui tribui poſſet, rariſsimò quippe ſimile quid accepimus eveniſſe. Poſt eruptionem cuniculi, dejectam muri partem invadentibus turmatim Mauris, noſtri, fame, vigiliis, vulneribuſque non mediocriter debilitati, conſtantiſsimè reſtitere; eos quippe magis animi vigor, & magnitudo, quàm naturales corporis vires ſuſtentabant. Gloria tamen, & periculo ita ſunt animati ut integris, & recentibus viribus dimicare viderentur; ita repreſſus barbarorum impetus, qui torrentis more inundaverant, promptiſ-

Alius cuniculus hoſtium damno incenditur.

Magnum Luſitanorum periculum.

ptiſsimis quibuſque trucidatis. Multos tamen capiebat area bellatores, & numeri inæqualitate periculum pauciorum mirificè augebatur. Armorum ſtrepitus, confuſæque clamantium voces impedimento erant, quominùs duces ſuis imperare, ducibus parere milites poſſent. Ex barbaris multi interfecti, ſed centurionum, ac tribunorum diligentia nova ſemper auxilia ſubmittebantur, quæ noſtros perpetuo fatigabant, miſsilibus eminus telis impetitos, cominus verò collato cum recentiſsimis legionariis pede dimicantes. Ad multas horas prælium atrociſſimum tenuit. Fixa tandem in propugnaculo tria hoſtium ſigna, quæ à magna majorum ſclopetariorum manu ſtrenuè defendebantur. Ex hoc loco ad templum S. Jacobi, quod propugnaculo hærebat, per murum deſcendentes, ſolarium occupavere: itaque propugnaculum, templumque ex dimidia parte barbari, ex dimidia Luſitani ſuſtentabant.

Barbari in propugnaculo Sancti Jacobi tria ſigna figunt.

138 Diremit interea nox pugnam, natura ipſa, non pace, iras prohibente: nocturnas tamen inter tenebras vagis, & incertis ictibus cæcum quodammodo prælium committebatur. Præfectus verò debile vallum opere tumultuario excitari juſsit, quo dividi ab hoſte veriùs, quàm defendi videbamur. Vallum ſtricto gladio, & quaſi furtivo opere conſtructum eſt, ipſo prælii loco in militum caſtra converſo. Nullus hic tutò quieſcendi relictus eſt locus, tametſi cubare duriter, & ſuper arma vellemus: omnis etiam ad curanda vulnera deerat opportunitas. Præfectus etiam non minùs armorum ſtrepitu, quàm multiplici cogitatione defixus, nullam prorſus capiebat quietis partem, ſed omnia ſedulò circumſpiciens, ac præcavens, bellicum ea nocte tormentum ad portam templi ſtatui juſsit. Hoc ut erat propugna-

Præfecti diligentia, & cura.

gnaculo imminens, Mauros damno affecit non mediocri, dum locum, quem occupaverant, tuebantur: valido tandem vallo protecti irritos libratorum conatus effecere.

139 Nec minus erat terra, quàm mari periculum, ſimul enim Antonii Moniz actuaria, remenſo freto, Bazainum appulit; inſequente proximè die, quæ fuit XIX. Kal. Septemb. eidem impoſitus Aloyſius de Mello de Mendonca, cum ſociis omnino quindecim, vela fecit. Eundem in alia navicula curſum ſuſcepere Georgius, & Eduardus de Menezes ſeptemdecim ſtipati militibus: in alio navigio quindecim Antonius de Attayde, totidem in alio ducebat Franciſcus Guilherme. In altum ſtatim Aloyſius de Mello navigavit: vix tamen procedebat adverſo vento, & quò magis à litore recedebat, eò ferociùs intumeſcere maria videbantur: actuaria verò cum eſſet mutilæ, & exiguæ molis; fluctuſque ita ſuperbi, ut ſpumas agerent (è tranſverſo quippe ſe mutuò collidentes frangebantur vi tempeſtatis) undas ex utroque latere accipiebat, quas nautæ ſitulis exhaurientes, in ſingula penè momenta obrui arbitrabantur: quapropter metu obſtupefacti, imminentique territi periculo navales famuli, ac milites etiam atque etiam ab Aloyſio petebant, ut regredi naviculam pateretur; dicebant enim ſe cum hominibus tantùm, non cum elementis pugnaturos, nec virtutem eam eſſe, ſed contumaciam, ſi pergerent manifeſto, & inutili vitæ periculo navigare, nec bellicam virtutem contra Dei indignationem quidquam proficere. Aloyſius tamen tumultuantes ſedavit; affirmans in eadem prorſus actuaria, non minore maris ſævitia, Antonium Moniz trajeciſſe, qui tamen, nec melioribus ſociis, quàm quos ipſe duceret,

Aloyſius de Mello Bazaino ſolvit.

Ejus iter periculoſum.

navigaverat, fluctibuſque nihilo placatioribus uſus eſſet: neminem ſine magno periculo magna perfeciſſe: nec lactea maria, nec molles Zephiros expectandos, ut amicis cum Turcico exercitu digladiantibus opem ferrent: ſe quidem certè, tametſi fluctus naviculam abſorberent, gladio ſuffultum, Dium adnaturum: auderent itaque, ac pro viribus laborarent, pro certo habentes, audentibus Dei opem minimè defuturam.

Sociis renavigandi cupidis reſiſtit.

140 His auditis, pudor, & metus audaces tumultuantium querelas compeſcuit: itaque reliquum ejus diei, ac noctem totam cum tempeſtate colluctati, fluctus ſingulos, quaſi mortem ſibi allaturos pertimeſcebant. Cùm verò jam pares ferendo labori vires non eſſent, procellæ impetu magis, ac magis increbreſcente, milites, nautæque conjurati compellere per vim Aloyſium decrevere, ut vellet, nollet, Bazainum renavigaret. Is verò de ſuorum conſpiratione per Gomezium de Quadros multis ſibi beneficiis obſtrictum, certior factus, armis omnibus in nitrati pulveris apothecam conjectis, & ſtricto gladio ſuperſtans. „ *Si quis apud me*, inquit, *de reflectendo curſu verbum fecerit, is profectò, non niſi accepto vulnere, reſponſum capiet; neque enim uniuſcujuſque veſtrùm vitam, mea pretioſiorem exiſtimo, nec quidquam cauſæ eſt, ut me moriente, unà mori recuſetis: Dium cogitate; neque enim alium portum communis omnium ſalus, & fama ſpectare poteſt*. Hunc milites animum demirati, nautæque Ducis, quàm tempeſtatis timidiores, curſum audacter ſunt proſequuti, decumanis fluctibus penè obruti, & imminenti morti devoti, ac toties opinione ſua ſepeliendi, quoties ventorum aura violentior inſurgeret. Ita navigabant, imminens ubique naufragium continen-

Dium appellit, & de Alvaro nuntiat.

ter

ter timentes: donec ſub veſperam in conſpectum arcis venere, quæ, ubi venientes proſpexit, non tam lætata eſt, quàm cohorruit. Portum ſubeuntes crebris emiſsionibus barbari fatigavere, ſed fruſtra; ad muri quippe loricam mari adjacentem incolumes applicuere. Porrò inexpectatum auxilium magno animi motu Præfectus excepit, lætus præcipuè allato nuncio, venturum biduo pòſt cum claſſe Alvarum de Caſtro, Prætoris filium. Ut lætiſsimi nuncii vehemens expectatio Dienſium ad lætitiam commovit animos, ita Mauros admonuit, eam inſolentis gaudii ſignificationem non alia de cauſa proficiſci, niſi quòd Goana ſubſidia, quæ feliciter navigarent, propediem expectarentur. Quocirca Rumecanes obſidionem urgere vehementiùs inſtituit. Aloyſio de Mello, ac ſociis in Jacobæo propugnaculo deſignatum hoſpitium; ejus quippe loci majorem partem hoſtis occupaverat, & lectiſsimis muniverat bellatoribus, quibus omnino deliberatum, ac fixum erat mori potiùs, quàm loco cedere. Proxima die Georgius, & Eduardus de Menezes Dium appulerunt, nihilo mitioribus functi periculis, quæ pari, ac Aloyſius de Mello, conſtantia ſuperaverant. His auxiliis in arcem receptis, virtute, quàm numero præſtantioribus, alia prorſus, ac fuerat, belli facies videbatur.

Alii proceres Luſitani Diū veniunt.

141 Præfectum interea novi hoſpites importunis precibus fatigabant, ut dimicandi cum hoſte faceret poteſtatem; ardebant enim mirum in modum barbaros de occupato loco exturbare: petentibus facilè annuit Joannes Maſcarenhas: quin immò in ejus ſocietatem expeditionis ipſe etiam venire voluit. Parata in aliam diem aggreſſio eſt. Itaque, ubi primùm illuxit, vallum, quo hoſtis protegebatur, aſcendunt, & in Mauros tanto impetu invadunt, ut

Prælium atrox in propugnaculo Sancti Jacobi.

ad unum omnes, tametſi ſtrenuè repugnantes expulerint. Armorum ſtrepitus celeriùs ipſo nuncio Rumecanis aures pervaſit.: eò igitur cum omni copiarum nervo ferociter advolans, cum noſtris certamen inſtaurat, non tam loci fretus æqualitate, quàm numero ipſo, quo prævalebat. Collato utrinque pede dimicabatur, quandàm luctationis ſpeciem referente pugna: adeo propè miſcebantur acies; mutua quippe cominus vulnera ſtrictis pugionibus inferebantur, laborantibus ſingulis occupatum antea locum ſanguine; atque adeo vita ipſa tueri. Noſtri in tam diſpari pugna, tam eleganti ſtrenuitate rem gerebant, ut eos Mauri extra aleam poſiti non ſine metu, & admiratione attoniti intuerentur. Verùm, cum numero copiarum longè prævaleret, eam, quam amiſerat, propugnaculi partem hoſtis recuperavit; quam ubi duplicato præſidio communivit ad invadendam undique arcem militari tuba ſignum dedit. Pari undique ferocia pugnabatur: ſternebantur Mauri, partim ferro, partim igne conſumpti: ſed in medio pugnæ atrocioris ardore, certantibus inter ſe ventis obſcurari dies, imbres largiſſimè effundi, fulgurare, tonare; perinde quaſi novum in aere prælium ageretur.

In ſummo arcis periculo ſumma Luſitanorum virtus.

142 Mauri verò, cum animadverterent, immodica imbrium vi igniarios funiculos in manibus præliantium extingui, incendiarias ollas, & cœtera ejuſmodi inſtrumenta in irritum ferri, eam tumultuoſi cœli varietatem, tanquam ſingulare Dei ſibi faventis beneficium interpretantes, inter denſiſsimos imbres ſecuri noſtros aggrediebantur, clamantes lætis, & inconditis vocibus, tanquam ſi cœlo maximè propitio uterentur. Hic dies præ cæteris, quanta eſſent Luſitani virtute, luculenter oſtendit; neque

neque enim unquam arx periculoſiùs caſui vicina nutaverat: Mauri quippe brutaline ſtoliditate an maſcula virtute impellente, non affirmaverim, in gladios ſponte ſua, ac lanceas ferociter incurrebant. Sex ipſas horas prælium contumaciſſimè agitatum: donec depulſis nubibus defæcata omnino dies priſtinam induens ſerenitatem, commodum fecit Luſitanis locum incendiariis ollis pro libito utendi, quæ, cum ſtragem ederent non mediocrem, reſtincta barbarorum audacia, fecerunt, ut cautiùs depugnarent. Ingruente tandem nocte, Rumecanes receptui dari ſignum juſſit, relinquens ex ſuis occiſos quadringentos, mille verò, eoque ampliùs vulneratos. Ex noſtris ſeptem deſiderati, ſaucii multò plures. In hoc conflictu auxiliarii Proceres omnes ſtrenuè dimicantes, virtutem ſanguini non imparem oſtendere. Joannes verò Maſcarenhas prudenter, & ſtrenuè Ducis, militiſque numeros omnes explevit; ita enim periculo ſemper interfuit, ut optimi Imperatoris providentiæ non defuerit. Noctem totam pervigilare noſtri coacti ſunt hoſtis vicinitate, qui novis à Sultano honoribus auctus fuerat, quòd obſidionem arctiùs promoviſſet. Eidem quinque peditum millia ſubſidio venerant, in quibus Turcici Duces, ac Præfecti complures, quos ſtatim objicere noſtris voluit Rumecanes, ut iis oſtenderet, contra quos bellum ad eam diem geſtum eſſet, quantumque virtute ſua profeciſſet.

Rumecanes magnâ accepta clade receptui cauit.

Turcarum exercitus auxiliaribus copiis augetur.

143 Proxima ab aggreſſione die, tenuere Dium Antonius de Attayde, & Franciſcus Guilherme, qui mare nihilo minùs contumax, & implacabile ſunt experti, quàm cæteri, de quibus ſupra meminimus. Nunciatum ab his, eſt Alvarum propediem venturum; Claſſem quippe eduxerat, facta omnibus poteſta-

Luſitani proceres Dium appellunt.

teſtate, ut unuſquiſque pro libito commodiſſimam caperet navigandi occaſionem, cæteris non expectatis. Vicini verò ſpes certa ſubſidii tanta præſidiarios affecit lætitia, ut muſicis concentibus, ac perpetuis choreis nuncium optatiſſimum celebrarent: ita pericula ipſa obſtinatæ obſidionis tranſierant in oblectamenta, & materiam voluptatis.

Rumecanes arcem ſe capturum diffidit.

144 Intelligens verò Rumecanes Luſitanorum vires crebro auxiliorum adventu refici, & augeri, nec defuturum Goanum Prætorem, quin miteſcente hyeme, majoribus copiis ſuorum periculo quàm citiſſimè provideret, de ſuſceptæ expeditionis exitu diffidere vehementer cœpit. Videbat enim Luſitanorum animos laboribus, tametſi ſummis, atque perpetuis non imminui, nec ignorabat id bellum, tanquam injuſtum, & malè ominatum palàm damnari crebris vulgi militaris ſermonibus, violatam pacem incuſantis, quam nos intactam voluiſſemus, & quia jam res ad ſeditionem ſpectare videbatur, ſerpenti malo ſatagebat occurrere, modò miſerrimum Dienſium ſtatum multis exaggerans, modò victoriæ procul dubio ſecuturæ ſpem faciens minimè dubiam. Præterea, numeratis militi tumultuoſo ſtipendiis, edicere ſacrificulos ſuos palàm dixit, fore, ut qui in hoc bello morerentur, ampliſſimam omnes Mahometicæ beatitatis mercedem conſequerentur: addidit etiam, Sultanum ſtrenuìs patriæ liberatoribus ampliſſima præmia redditurum, ut non tam humanis, quàm divinis incitamentis ad gerendum fortiter bellum torpentium animos erigeret, & inflammaret. Demum, quia cuniculis, quàm aggreſsionibus feliciùs obſidio, ac minore periculo procedebat, novas agi foſsiones decrevit. Prægrandem ergo cuniculum perduci juſsit ad exteriorem muri faciem,

Novum cuniculum fruſtra parat.

ciem, quæ ex propugnaculo S. Joannis ad turrim uſque Antonii Peſanha pertinebat. Verùm cum noſtri in omnes hoſtium molitiones diligentiſsimè excubarent, tametſi Rumecanes cautus juxtà, ac fraudulentus aliis propugnaculis minaretur, juſsis noctu fabris, excitato de induſtria tumultu, aliis in locis operi inſtare, ne Dienſes ea fraude diſtracti ſubterraneam molitionem animadverterent; nihil tamen profecere. Præfectus enim detectis occultæ peſtis indiciis, adverſa foſsione cuniculum hoſtium excepit, proceribus ipſis repagulorum ſtructuræ naviter inſtantibus, quorum exemplo gregarii militis labor mirificè molliebatur.

145 Perfecto opere, cum tempus cuniculi ſuccendendi jam adventaret, relictis caſtris, movit exercitus, arcemque paulatim cœpit curvatis ordinibus circumſiſtere. Præcedebant Turcici Præfecti duo (Sangiaccos vocant) lectiſsimam ducentes turmam, cui data provincia fuerat irrumpendi in arcem per eas, quas aperturus erat ignis, ruinas. Hic, cum erumperet fragore incredibili, totam muri faciem disjecit. Irruerunt è veſtigio barbari, tametſi fumo, ac pulvere denſiſsimo, vi flammæ in aerem ſparſo nihil viderent. Alium tamen objectum ſibi murum invenere, quem intactum ignis reliquerat, ſive, quòd ad illum vis nitrati pulveris non pertingeret, ſive, quòd majore vi erumpentium flammarum vis repelleretur. Cum verò jam tribus in locis apertam Antonii Peſanha turrim viderent, converſis ordinibus, factus eſt à barbaris impetus ad eam totis viribus expugnandam. Reſtitere tamen noſtri ad ejus propugnationem impigrè advolantes; erat enim locus ſponte ſua parùm munitus, & labefactatus non mediocriter: quapropter omnibus nervis contenderunt,

Cuniculi incenſi ruinas noſtri defendunt.

runt, ut inundantes barbaros opportunè compeſcerent, ac retardarent, ut ſecundiſsimo ſucceſſu factum eſt.

146 Atrox hic concertatio diu, multumque noſtros cum barbaris quaſi ex æquo dimicantes exercuit. Quocircà Rumecanes omne Luſitanorum robur eò confluxiſſe interpretatus, in cætera quoque propugnacula ſubito impetu irruere ſuos juſsit: ſed reſiſtentibus impigrè Luſitanis, inde etiam repulſus eſt. Infinitam propemodùm glandium vim ea die in arcem barbari libratores conjecere, quibus tamen nihil admodùm damni noſtris illatum eſt, diruta jam arce, ac penè nulla. Qui ſanè eventus mirificus videri potuit, quia rarus. Ad plures demum horas atrox concertatio obfirmatis utrinque animis extracta eſt, recipientibus ſe ſe in caſtra barbaris eodem, quo antea, damno, lætis eadem fortuna, ac virtute Luſitanis.

Thomæum propugnaculum invaditur.

147 Rumecanes verò obſidionis inſtitutæ moras omnes ſibi perinjurioſas arbitrabatur; quippe qui ſua, ac ſuorum pericula quæreret de induſtria, tanquam ad purgandam bellici eventus infelicitatem, ſibi aliquando profutura. Itaque Thomæum propugnaculum, periculo ſuo exemplum aliis facturus, proxima die invaſit ipſe per ſe, diverſis hinc inde Præfectis edicens, ut admotis ſcalis in reliqua propugnacula impetum facerent: quod cum illi ſtrenuè exequerentur, iteratæ per eos dies aggreſsiones perpetui belli ſpeciem repræſentabant. Dimicabant hic Mauri deſperanter magis, quàm fortiter, ac noſtrorum gladiis, teliſque transfixi alienam æquè mortem, ac ſuam properabant. Erant quippe ad infligenda, quàm ad declinanda vulnera promptiores, mori quodammodo ſtudentes, ut ad imaginariam,

quam

quam nefarii Sacerdotes promiſerant, beatitatem, latam ſibi, & glorioſam portam aperirent; hoc enim peſsimum incitamentum Myſtæ impuriſsimi commenti fuerant, tum ad ejus expeditionis emolliendam difficultatem, tum ad inſignem vitæ contemptum credulis animis ingerendum. Hoc itaque ardore ad multas horas immenſum prælii pondus ſuſtentantes, legionarios ad octoginta ex fortiſſimis amiſere, quorum calcatis cadaveribus atrociter dimicabant, occiſorum commilitonum dolore, & injuria ferociter incitati. Tanta demum pertinacia commiſſum eſt prælium, ut, ea potiti propugnaculi parte, in qua dimicabatur, locatis vexillis, ibidem vallum, adactis fiſtuca palis contra Dienſium impetum communierint.

148 Nec minùs acriter ad S, Jacobi pugnabatur. Semel, atque iterum eo propugnaculo potiti ſunt hoſtes, ſed tanta virtute repulſi ſunt, ut occupatum mox locum lethalibns vulneribus bene ſaucii relinquere cogerentur. Igneis hoſtium miſſilibus tantum hìc incendii ſuſcitatum eſt, ut noſtri ſemiuſtulati confligerent, doliis aqua plenis, ut antea, utentes, extremi remedii loco ad flammas, vel abigendas, vel temperandas: propugnaculum tuebantur Antonius Moniz Barreto, gregarii milites duo, præterea nemo. Horum virtute hoſtium impetus frangebatur; Moniz tamen miſſilium ignitorum vim minimè ferens ad mitigandum ardorem conſueto remedio uſurus, properabat. Ejus verò apprehenſo brachio, itane verò, miles inquit, Regium propugnaculum deſerens, in hoſtium manus venire permittes? Atqui, retulit Moniz, totus ardeo, ut vides: refrigeratione eſt opus, niſi me prius in aquam tantiſper immerſero, vivus pereo. Si ad enſem commo-

Quid factum ſit in propugnaculo Sancti Jacobi.

Præcipua virtus Luſitani militis.

dè tractandum, brachia valent (miles repoſuit) cætera parvipendas. Opportunum militis monitum ſequutus Moniz adeo probavit, ut de illius bellica virtute magnificè in poſterum ſentiens, eum ſecum in Luſitaniam reduxerit, ubi expeditis illius apud Regem negotiis, notam ſuam apud æquales ſignificare conſuevit, in alienæ virtutis commendationem; militem verò honeſtiſſimo ignei bellatoris cognomento ſemper appellavit, ut Dienſium rerum Scriptores prodidere.

Barbari rurſus in caſtra revertuntur.

149 Cæteris in propugnaculis æquali virtute, ac periculo certatum eſt: ſingulos tamen ejus diei ſucceſſus referre non vacat; cum enim narratorum ſimiles omnino ſint, ac planè gemini, ſcribenti æquè, ac legenti faſtidium moveant, neceſſe eſt. Hujus tamen obſidionis narratio, tametſi illuſtrium facinorum varietate minùs delectet, quis neget tamen Luſitanorum geſta apud Dium non modò memoratu digniſſima, verùm etiam inter illuſtriora, quæ humana hiſtoria meminerit, recenſeri jure poſſe? De iis certè bellicoſiores Aſiæ, atque Europæ nationes præclariſſimè judicarunt. Regreſsi ex prælio barbari in ipſis dirutæ arcis ruinis caſtra munivere, unde perpetua, tametſi levia prælia, committebantur.

Antonius Correa ad deprædandum egreditur.

150 Proxima die Joannes Maſcarenhas Antonium Correa caturi impoſitum cum viginti bellatoribus miſit, ad luſtrandam circùm Dienſem inſulam. Erat Antonius eximiæ, & jam diu probatæ virtutis. Ejus tamen natale ſolum, ac genus ignoramus; tametſi præclara ejus facinora illuſtri loco, vel natum, vel naſci meruiſſe ſignificant. Igitur portu egreſſus, inſulam felici curſu circumiens, ut Præfectus juſſerat, nulla capta præda ſe recepit: verùm, quia ſtrenui milites in re bene geſta non acquieſcunt, niſi ea

feli-

ſeliciter, & ex voto ceſſerit, eandem quinquies expeditionem, irritatus magis improſpero ſucceſſu, quàm, ut Præfecto obtemperaret, Correa repetit, fortunam belli periclitaturus. At (quia myſterium re vera fuerat, quod caſui tribuebatur) decrevit Deus, vel potius permiſit, ut ſtrenui militis animus vitio ſibi verteret, quod minùs feliciter rem confeciſſet & in repetita toties expeditione pertinaciter obfirmaretur. Igitur, ut fortunam ſuam diligentiùs exploraret, inſulam repetita navigatione circumdedit, & procul obſervato luculenti ignis ſplendore, quem ſanè exiguum loci diſtantia faciebat, relictis in navicula ſociis, in terram ſolus egreditur, nec ita multò pòſt Mauros duodecim igni aſsidentes, quaſi pro corona, deprehendit, qui nocturnum frigus depellebant. Ad ſocios illico lætus regreditur: nunciat quæſitam diu prædam in manibus eſſe: venire ad ſe jubet exſcenſione facta: fruſtra tamen; nam milites, vel ſuæ obliti virtutis, vel Divinæ providentiæ conſiliis ſervientes, imperium detrectant, ſolumque ducem incerto fortunæ arbitrio permittunt. Is fœdum ſuorum conſilium deteſtatus, Mauros relectis retro veſtigiis, ſolus aggreditur, largè animoſus ad invadendum periculum, quod ægrè admodùm vinci poterat. Perterriti inopinata aggreſsione Mauri, partim trepidare, partim fugere, partim timidè, ac veluti nova re commoti, ſe tueri; verùm paulò pòſt recuperatis animis, ubi cæſim vulnerari ſe vident ab uno tantum, audaciùs illi reſiſtere, & revocatis ex fuga ſociis, cœperunt turmatim ſe defendere. Ille verò, dum à fronte cum aliquibus ſtricto ſtrenuè gladio depugnat, à reliquis à latere, & à tergo circumſeſſus, opprimitur, capiturque, ſed ritu nobilis feræ, injectis etiam vinculis,

Turcas duodecim aggreditur, à quibus capitur.

terrori eſt. Vinctum ad Rumecanem adducunt, accepta palam vulnera oſtentantes ad captivi commendationem.

Ad Rumecanem adducitur.

151 Generoſum Luſitanum expediri vinculis illico juſſit Rumecanes, deinde interrogavit, quot ſupereſſent in arce milites, venturuſne diceretur Goanus Prætor, quibus demum viribus, & quo tempore Prætoris filius expectaretur. Ille verò ſumma fiducia, nihil dubitans, ſexcentos in arce bellatores eſſe reſpondit, qui Præfectum infimis precibus fatigarent in dies ſingulos, ut foras in aciem prodeundi faceret poteſtatem: venturum brevi cum octoginta roſtratis majoribus Alvarum Prætoris filium, qui, facta deſcenſione ſtatim in aciem proditurus ferebatur, ut triremes complures, quas ſecum vehebat, Turcicis remigibus inſtrueret: majori navium apparatu Prætorem ipſum procul dubio navigaturum, utpote, qui bello cum Cambajæ Rege ſuſcepto, finem tandem glorioſum afferre ſemel decreverit. Rumecanes, qui virium noſtrarum tenuitatem non ignorabat, ſummam viri libertatem in humili fortuna non ſuſpexit modò, verum etiam invidit; cum enim eſſet ipſe non mediocriter ſtrenuus, captivum, tametſi inſignem ſui contemptorem, plurimi fecit. Rogavit præterea, ut relictis Chriſtianorum ſignis, ad Mahometis caſtra tranſiret, quod ſi facere, ut par erat, non recuſaret, videret profectò, quantùm diſtaret Regem ſequi magnificum, ac præpotentem, ac pauperculis maris prædonibus ſtipendia facere. Verùm generoſus miles irritatus non mediocriter pudendi favoris indignitate, Luſitanos reſpondit pro Chriſti lege, ac Rege ſuo ad profundendum piè, ac fortiter ſanguinem, ſemper paratos eſſe, atque alacres: Mahometem, inſignem fuiſſe nebulonem,

Invitatur ab eo ad ejurandam fidem.

nem, peſſima doctrina juxta, ac malefactis infamem: ſiqui eſſent apud Cambajæ Regem legis Ortodoxæ deſertores, eos profectò non ex Luſitanis, ſed ex aliis eſſe nationibus, quemadmodum fuerat Cogeſofares illius pater, quem tanquam horridum terræ natalis monſtrum, parentes ipſi, ac patria ſuum eſſe filium pernegabant.

152 Rumecanes injurioſa, non Legi minùs, quàm ſibi verba à captivo dici non ferens, irritatus tum ſtudio Religionis, tum ſui contemptu, antequàm Luſitano vitam eriperet, eum in facie cædi coram ſe contumelioſiſſimè jubet; putabat enim ingenuum, ac fortem virum pœnam faciliùs, quam injuriam laturum. Itaque inter plebeculæ ſannas, atque convicia incedere per publicas urbis vias nudum imperat, novo, eoque barbaro invento ſupplicii genere, quod non minùs contra inſitum homini à natura pudorem foret, verùm etiam contra ipſam humanitatem. Hæc tamen omnia Chriſtianus miles, novo militiæ genere ſtrenuus, non bellica, ut antea, virtute, ſed Chriſtiana patientia ſuperabat. Poſt ejuſmodi contumelias Rumecanes irrogatam Prophetæ injuriam dictitans nefario ſanguine dilui oportere, Antonium Correa ſecuri percuti jubet, qui datis fortiter pro Chriſto cervicibus, palmam, quam mereri miles cœperat, Martyr obtinuit. Ejus caput, oblongæ haſtæ præfixum, in altum ſublatum è regione Dienſis arcis, quò faciliùs conſpici à noſtris poſſet. Luſitani verò, inſito à natura dolore (injuſto licèt, & intepeſtivo) tanquam milites, glorioſi commilitonis ulti ſunt necem: eidem tamen, tanquam egregiè Ortodoxi magnopere invidebant. Proxima die, qui cum Correa profecti fuerant, in arcem regreſſi, eos ne ſuo quidem aſpectu dignos Præfectus

Illuditur ab exercitu.

Capite plectitur.

ctus exiſtimavit, quin immò tempori ſerviens juſta in eos animadverſione prorſus abſtinuit. Illi verò admiſſæ culpæ fœditatem egregiis factis redimere ſtudentes, objiciendi ſe ſe periculis gravioribus nullam ſibi occaſionem elabi patiebantur, utpote, qui inſuavem, & fœdam eam vitam ducerent, quæ notam mereretur. Ex iis complures ſua quaſi ſponte morti ſe objecerunt, ſtimulantem acriter delicti ſui conſcientiam non ferentes. Mauri procul contumelioſo clamore noſtris conviciabantur, oſtendentes manu exſectum, Antonii caput, accepta à nobis damna ſatis, ſuperque rependi ſibi ea indignitate arbitrantes. Et jam paulò, quàm antea audaciores, noſtris fruſtra repugnantibus, militari quadam elegantia præclara facinora non pauca oſtentabant.

Vexillum ex arce eripere Maurus nititur.

153 Inter propugnacula à Divis Jacobo, & Thoma nominata, Regium vexillum præfixum erat. Hoc Maurus revellere cupiens, facili negotio fieri id poſſe arbitratus, tum muri humilitate, tum excubitorum negligentia, murum per apertas ipſius ruinas inobſervatus aſcendit, arreptamque manu haſtam, quanta poterat contentione concutiens, auferre nunquam potuit. Deſtitit itaque timidus ab incœpto, & vexillum, quod abſtrahere non poterat, inclinatum reliquit. Nec ita multò poſt reputans ſecum, quàm parvo ſibi prima ſtetiſſet audacia, eòdem pari cautela regreſſus eſt, militare ſignum repetiturus. Vix tamen ad ſpecioſum furtum audacem admoverat manum, cum ferrea fiſtula in eum directa, Luſitanus miles mortuum humi dejecit. Accidit id in conſpectu hoſtilium Caſtrorum, quæ ſummis laudibus, ac clamoribus primam expeditionem tentanti acclamaverant, nunc verò ſummo ſilentio deturbatum intuebantur. Deciſum illi properè caput

Capitur, & capite plectitur.

è re-

è regione capitis Antonii Correa collocatum eſt.

154 Mauri verò, qui ſe in congeſtitio aggere Thomæi propugnaculi egregiè muniverant, paulatim progrediebantur, loco potiti, pretio ſanguinis non mediocri: porrò ut tegerent ſe faciliùs, atque munirent, terreos aggeres, deciſis arborum ramis intextos continenter promovebant. Joannes autem Maſcarenhas admoto ad templi valvas baſiliſco, unde tanquam ex edito loco impeti Mauri facilè poterant, barbaros repetitis librationibus tanto impetu verberavit, ut dejectis omnino munitionibus, non ſine magna ſuorum cæde caſtra movere compulerit, Progredientes Mauros repetitis emiſſionibus Dienſes repellunt.

155 Diruta per id tempus arce ruinas ſuas pro muris, qui nulli erant, Luſitani tuebantur. Hoſtis, ſuperatis propugnaculis, in ipſo quaſi victoriæ veſtibulo triumphum deſignabat. Commeatus partim vetuſtate corruptus: partim qualitate ipſa maxime noxius. Inde peſtilentes adeo morbi profluebant, ut longè majus à lue damnum, quàm ab ipſis hoſtibus importari ſibi, qui valebant, experirentur. Extremum arcis periculum.

156 Sed jam è Bazaini portu vela fecerat Alvarus de Caſtro cum quinquaginta navibus (communi navium vocabulo lembos, celoces, triremes, & alia quæcumque ad navigandum idonea Indi vocant) Verùm, quia naves commeatu, bellicisque inſtrumentis oneratæ plus æquo ferebantur, decumanos fluctus non ferebant, laceratis puppibus, ac penè diſſolutis regredientes, diverſos ad ſinus, prout à tempeſtate jactabantur, ægrè appulere. In iis, quæ vi fluctuum abreptæ ſunt, ea fuit, cui Athanaſius Freyre præfectus fuerat: hæc terram appetens, cum in Cambajæ ſinum ingreſſa eſſet, communi calculo deliberatum eſt, ut in litus, ſiquod appareret, illideretur: adeo fuerat marinis fluctibus obruta, & Diſperſa claſſe renavigare Alvarus cogitur.

labefactata; intelligebant nimirum omnes vitam libertate potiorem eſſe. Itaque prope Surratam navim in arenas impegerunt, ubi capti, & ad Sultanum adducti, in eum carcerem vincti detruſi ſunt, ubi Simon Feyo cum aliis Luſitanis captivi cuſtodiebantur.

Rotericus Freyre Dium appellit.

157 Rotericus Freyre, qui unà cum Alvaro navigabat, ſuæ navi impoſitus, quam conductis ſuo ære militibus inſtruxerat, ſuperata tandem fluctuum vi, biduo poſt itinere uſus commodiſſimo Dienſem oram proſpexit, ad quam proſpero curſu paulatim accedens, portum ingreſſus, anchoras jecit, ubi cúm plauſu exceptus, Alvari jam jam venientis nùncium optatiſſimum Præfecto attulit; nondum enim nunciatum fuerat Claſſem infortunato curſu retroactam renavigaſſe.

Iter ſuum proſequitur Alvarus.

158 Alvarus de Caſtro, & Franciſcus de Menezes procelloſo mari undecumque jactati Agazainum retroceſſere, ubi inſtauratis brevi navigiis, iterum in altum vela fecerunt cum pleriſque navium, quas ducebant, procellæque contumacia tandem perdomita, adverſam oram prope Madrefabatum proſpexere. Ex hoc loco roſtrata navis procul apparuit, quæ è noſtræ claſſis conſpectu ſubducere ſe, quanta vi poterat, conabatur. Juſſit Alvarus naviculario, ut ad eam curſum dirigeret, quod idem duæ præterea naves fecerunt, quæ Prætoriam propiùs ſequebantur. Navis, quæ ad Cambajæ Regem pertinebat, & ex Armuziæ portu ſolverat, demiſſis illico velis, mercatores duos naviculæ impoſitos miſit, qui conſignatam fide publica commeandi poteſtatem à Luſitanis ante bellum factam, Alvaro oſtenderent: capta tamen navis, & Goam amandata, ut de ea Prætor legitimè judicaret. Merces, quæ in ea vehebantur,

Cambajæ navem expugnat.

Co-

Corallia, panni Siriaci ex hircinis villis undulatim contexti, quos vulgò Camellotos dicimus, Tapetes Perſici operis, ac præterea magna vis argenteæ pecuniæ ſignatæ (Larinos Perſæ vocant) omnia ex judicum ſententia Regio fiſco addicta ſunt. Poſt hæc Alvarus de Caſtro intermiſſum curſum reſumens Dium appulit cum navibus omnino quadraginta egregiè ad pugnam inſtructis, quæ explicatis undique minoribus vexillis, in modum tremulæ flammæ volitantibus, bellicoſum juxtà, & elegantem ſui proſpectum hoſtibus exhibebant. Arcem, præjactis anchoris, læta tormentorum omnium exploſione Luſitana Claſſis ſalutavit, à qua viciſſim pari ſtrepitu reſalutata eſt, muſicis inſtrumentis undecumque martiali concentu perſonantibus. Præfectus arcis portas Alvaro pandi juſſit, ad quem magnificè excipiendum proceres ad unum omnes, militeſque deſcenderunt, fauſto claſſis adventui acclamaturi. Præter Alvarum Equites honeſtiſſimi, & Luſitanæ nobilitatis flos veniebat. Commeatus præterea largiſſimus, & bellicus apparatus importabatur ad multos menſes; noluit enim Prætor, pro ſua prudentia, neceſſaria belli ſubſidia ex incerta deinceps, ac dubia maris fortuna pendere. Alvarus in eodem propugnaculo, ubi nuper Ferdinandus Frater glorioſè diem obierat, conſedit. Plerique procerum Luſitanorum, & qui ſub ejus vexillo militabant, ad eum venere, alii domeſtici doloris ſocii, alii victoriarum. Teſſeram ab eo dumtaxat, ut à ſupremo maris Præfecto petebant omnes, more militari; nolebant enim ab ejus obedientia disjungi: quæ ſanè res tempori non minùs, quàm bellicæ diſciplinæ pluſquàm mediocriter adverſabatur. Alvarus tamen Præfecto palàm ſignificavit, ſe ab illius imperio, nu-

Dium appellit cum 40. navibus.

A Dienſi Præfecto magnificè excipitur.

In Ferdinandi fratris propugnaculo conſidet.

nutuque pendere unicè. Id cum urbanitatis gratia dictum Dienſis Præfectus interpretaretur, reſpondit eodem officii genere, ſe ab illius placitis non diſceſſurum: Alvarus verò deſcripta Patris mandata, quæ ſic juberent, oſtendit. Et ſanè inter eximias Dienſis Præfecti laudes non exiguam exiſtimaverim, quod Joannes de Caſtro in documentis Alvaro traditis ſcripſerit, eum, etſi muneris ſui juriſdictione, Regiiſque diplomatis nulli ſubjectum eſſe oporteret, præterquàm Indiæ Prætori; velle ſe tamen, ac jubere pro poteſtate, Alvarum filium à ſe miſſum Joannis Maſcarenhas præceptis omnino obtemperare, eò quòd ita peteret ſingulare decus, & fama, quam in Dienſi propugnatione vir ſtrenuiſſimus comparaverat. Hinc æſtimare licet, quanta eſſet Prætor temperantia, qui in eo loco, ubi filium natu minorem amiſerat, majoremque periculo objiciebat, in ſocietatem ejus gloriæ, quam alteri pepererat, venire omnino non voluit: vir ſanè major generoſo meritæ famæ contemptu, quàm adepta deinde victoria fuerit.

Ad Prætorem Dienſes nuncii mittuntur.

159 Nunciato Alvari adventu, dixit Rumecanes veniſſe jam in arcem captivos, triumphum ſuum non ita multò pòſt nobilitaturos. Itaque foſſores, ac fabros cuniculo jam inſtituto diligentius inſtare juſſit. Alvarus verò Prætoriam, in qua venerat, cum literis præſentem Dienſium rerum ſtatum ſignificantibus, Goam remiſit ad Patrem. Ad eumdem Præfectus etiam de præteritis obſidionis ſucceſſibus, ut ſui muneris erat, fusè perſcripſit. Ad ſexcentos numerabantur in arce bellatores, ſtrenui ad unum omnes, & bellica laude ſpectabiles, quibus uti poſſe commodiſſimè Præfectus ſibi videbatur, non modò ad juſtam arcis defenſionem, ſed etiam ad eruptiones

in

in hoſtem, ſi opportunum eſſet, faciendas. Nulla itaque interpoſita mora, tria majoris molis in hoſtium ſtationes dirigi tormenta juſſit, quorum librationibus tantus in eas impetus extitit, ut Rumecanes aggeres jam conſtitutos novis cohortibus, ſepimentiſque muniverit, non tam, ut Luſitanos offenderet, quàm, ut ab eorum impetu ſuos tueretur.

160 In præteritis aggreſſionibus tormentum miræ magnitudinis à Baſiliſco nuncupatum, ruinæ Thomæi propugnaculi ſepultum reliquerant. Hoc Dienſis Præfectus, magno uſui ſibi futurum in arcem rurſus attollere mirandum in modum cupiebat. Tractorias ſæpè ſæpiùs, & verſatiles ad id machinas ex vario machinatorum ingenio diſpoſuerat ſed fruſtra; ars enim, tum loci anguſtiis, tum ponderis immanitate vincebatur. Quapropter, ne barbaris uſui foret, tractoriis funibus, iiſque craſſioribus vinciri arctiſſimè juſſit. Mauri tamen excavatis propugnaculi parietibus, infimos lapides tandiu ſuffodere, dum diruto fundamento, quo fulciebantur, parietes corruerent mole ſua, quorum lapſu vinctus, ſuſpenſuſque in aere Baſiliſcus pependit. Ad invadendum impigrè propugnaculum illico Mauri advolarunt, ſed reſtitit venientibus Franciſcus de Menezes cum ſuis, qui aderant. Contumaciter utrinque pugnatum eſt. Verùm, quia primum ea Luſitanorum cohors inibat cum hoſte certamen, tanto impetu in barbaros irruit, ut regredi, vel invitos coegerit, non paucis ſuorum in acie cæſis: ſed in ipſo ardore pugnæ Baſiliſcum ductario fune bene vinctum abſtraxere furtim, & inobſervati; noſtri ſiquidem certamini intenti animum, oculoſque ad eam hoſtium fraudem non advertere.

[f] Rurſus barbari arcem invadunt, & ſe recipiunt.

161 Imminebat tamen incredibili vigilantia in

Luſitani erumpere ex arce in hoſtem ſtatuūt.

omnes hoſtium molitiones Dienſis Præfectus, illud vehementer timens, ne cuniculis potiùs, quàm aperta vi premeretur, quod ubi primùm intellexerunt, qui ſub Alvari ſignis militabant, perterriti recentiſſimo exemplo Ferdinandi de Caſtro, nobilium, militumque cæterorum, qui incendio abſumpti miſerabiliter fuerant, facta inter ſe conſpiratione, erumpere in hoſtem decrevere, præpoſterum in incerto periculo timorem oſtendentes, in exploratiſsimo præcipitem, & inconſideratam temeritatem.

Diſſuadentur à Præfecto.

162 Inutili obedientia nolle ſe ajebant flammis abſumi, cum mori in acie honeſtiùs poſſent, vel parta de hoſte victoria, vel ſumpta de iis gloriosè ultione. Et quandoquidem fortium virorum more tractare utiliter arma poſſent, negabant ſe ferarum ritu, periculo ſuo obligatos mori velle: malle ſe dictitabant incertam victoriam, qua potiri certè, tametſi difficulter, poſſent, quàm inglorium periculum, & humanis viribus inevitabile. Temerarium ſuorum conſilium Joannes Maſcarenhas vehementer diſſuaſit, primum validis rationibus, deinde muneris, ac ſui ipſius autoritate: verùm irrita omnia cecidere: videlicet culpa ipſa, quæ non vulgarem virtutis ſpeciem præſeferebat, ſeditioſos tanta vanitate, ac ſuperbia inflaverat, ut ex ipſa inobedientia laudes, & præmia ſibi certò obventura pollicerentur. Nec aliter Alvarus ſentiebat, præcipiti deliberationi moras omnes innectens, fœdumque, ac temerarium conſilium vehementiſsimè improbans; ajebat enim Luſitano Regi moleſtiùs accidere militis unius inobedientiam, quàm ipſius arcis jacturam. Præfecti dumtaxat munus eſſe leges præſcribere, milites mandata exequi oportere, & naviter arma tractare. Tumultuantes etiam non leviter compeſcuit

Et ab Alvaro, & Franciſco de Menezes.

ſcuit Franciſcus de Menezes, & graviſsimo ſupercilio. „ *Ite*, inquit, *ite ad infamiam Luſitani nominis pugnaturi. Militarem famam perdidiſtis: vita in ancipiti eſt: tametſi incolumes Maurorum acinaces evadatis, Regis certè veſtri, quem in Præfecti ſui dignitate audacter contemnitis, juſtiſsimam iram non effugietis.* Illi verò fatali quadam contumacia obfirmati, ordines ad prælium paulò pòſt ineundum diſpoſuere, dictitantes, victoriam, quocumque tandem crimine comparetur, rejici non oportere, & ſiquid ſecus accideret, ſe extra aleam præmii, ac pœnæ poſt mortem procul dubio futuros: ſe pro gloria Luſitanæ ditionis arma capere, quæ ſolerent, antiquiſſimo more, munitiſsimas faciliùs arces Mauris eripere, quàm ſuas amittere.

163 Itaque nihil aliud à ſeditioſis cohortibus impetrari potuit, quàm, ut in craſtinum rem differrent, ea ſpe, ut breviſsimi ejus temporis conſilio uti vellent, ad perpendendum ſeriò, quid ad communem omnium famam, ſalutemque conducibilius videretur. Illi verò fatali pertinacia à ſe ipſis non diſcrepantes, in eodem propoſito perſtitere. Igitur ſub auroram ad prælium armati Præfecto ſignificarunt, ſe ſibimet Ducem impoſituros, ſi Ducis ipſe partes agere recuſaret. Itaque Joannes Maſcarenhas eò rem adductam intelligens, ut tumultuantibus obſequi ipſe omnino deberet in ea expeditione, ut qui probè ſciret, hominum judicia temerariis magis, quàm prudentibus in re bellica ſuffragari, ipſe cum Alvaro, cæteriſque nobilibus ſeditioſas cohortes in ea eruptione ſequi decreverunt, ubi nova, & ad eam diem inaudita diſciplina, obediebant Duces, milites imperabant.

Perſtant milites in ſententia.

Contumaces, ad evitandum majus periculũ Præfectus, & Proceres comitantur.

164 Sexcenti, ut innuimus, erant in Dienſi arce

Erumpunt noſtri, & quo ordine.

ce bellatores : ex iis centum ad ſtationes cuſtodiendas relicti : reliquos in tria cornua Præfectus diviſit . Alterum Alvaro de Caſtro, alterum Franciſco de Menezes regendum tradidit, tertium ſibi reſervavit. Poſt hæc, facta ex arce eruptione, ſtationes, quas in ipſa foſſa Mauri muniverant, primo impetu, ſtationariis non admodùm reſiſtentibus, captæ. Umbratilis hæc victoriæ ſpecies, prima noſtris acceptæ cladis cauſa fuit; ſiquidem proſpero ſucceſſu elati, turbatis ordinibus in hoſtilem murum invadunt. Primus omnium aſcendit Alvarus ope Aloyſii de Mello, & Georgii de Mendoza fratrum, qui eum deinde ſequuti ſunt. Murum ex alia parte Franciſcus de Menezes feliciter ſuperavit, nobilibus viris Antonio Moniz Barreto, Garzia Rodriguez de Tavora, Georgio, & Eduardo de Menezes, Franciſco, ac Petro de Almeyda certatim eamdem aleam ſubeuntibus.

Reſiſtunt Barbari.

165 Rumecanes verò, Juzarcanes, ac Mojetacanes noſtris obviam proceſſere cum cohortibus bene multis. Initum ferocibus animis utrinque prælium, quod à Luſitanis majore virtute, quàm diſciplina ſuſtentatum ferunt. Franciſcus de Menezes Mauros hujus prælii molem non ſuſtinentes loco cedere ita feliciter coegit, ut occupati antea ſpatii multum deperderent: pluribus verò ſubſidio venientibus, retardatus eſt noſtrorum impetus. Joannes Maſcarenhas eodem penè tempore, ac alii ordinum Ductores, ſuperato muro, cum in imo hærere adhuc multos videret ex ſeditioſis, qui aſcendere non audebant, ſonora voce, ita, ut ab omnibus exaudiri poſſet, contumelioſis, ac gravioribus verbis eos inobedientiæ, & ignaviæ palàm arguit. Illi verò miro ſilentio quaſi factis tantùm reſponſuri, Præfectum

Tumultuantes milites ſugillat Præfectus.

ſe-

ſequuti ſunt: hoſtem deinde, qui cum Alvaro, confuſis utrinque ordinibus, dimicabat, ferociter invadunt, loco cedere ſtrenuè cogunt. Sed, cùm tanta eſſet prælìantium inæqualitas, Mauri tandem, receptis animis, denſiùs inter ſe conglobati in noſtros tam acriter irruere, ut ordines omnino turbarent.

166 Alvarus verò in conferendo prælio eam ſanè virtutem oſtendit, quam ſanguinis nobilitas, ac præconcepta de eo opinio poſtulabant: ille quidem militari diſciplinæ non defuit, quæ difficillimè in improviſa calamitate ſervari ſolet: diſperſos manipulos referre paulatim pedem juſſit, & quoad licuit, ordinavit: recipiens ſe ſe militarem in modum, manus ſemper cum hoſte conſeruit, nonnullis ſuorum cæſis, pleriſque turbatis, quòd impetum undique confluentium Maurorum ſuſtinere ultrà non poſſent. Id ubi vidit Georgius de Mendoza, tametſi vulneratus, Alvarum brachiis comprehenſum attollere conatus eſt, ut facilius murum aſcenderet: ſed cum id præſtare vix poſſet, vulneribus mirum in modum debilitatus, auxilio Ludovici de Mello fratris ſui rem perfecit. Alvarus verò ſimul ac murum aſcendit, ictu lapidis inopinato percuſſus in aliam partem deturbatus eſt, & mentis impos omnino factus.

Alvari virtus, & diſciplina.

Alvarus, ſuperato muro, lapide ictus cadit.

167 Ludovicus de Mello poſt latam Alvaro opem, fratri quoque ſuo ſaluti fuit; Maurorum ſiquidem impetum unà cum Garzia Rodriguez, Antonio Moniz, aliiſque nobilibus viris tandiu ſuſtinuit, dum frater, ac Luſitani cæteri murum aſcenderent. Verùm plumbea glande trajectus cecidit lethaliter vulneratus: ſociorum opera de terra in murum ſublatus eſt, deinde in arcem translatus, inde Ciaulium, ubi exaſperato vulnere brevi interiit: pro-

Aloyſius de Mello plumbea glande trajicitur.

promeritus profectò virtute ſua ſingulari, ſi minùs, glorioſiorem mortem, vitam certè diuturniorem.

Franciſcus de Menezes moritur.

168 At Franciſcus de Menezes ſtrenuè dimicans, plumbea ſimiliter glande percuſſus glorioſum vivendi finem fecit. Ejus morte perturbati militum animi, qui eum Ducem ſequebantur, paulatim confuſis ordinibus referre pedem cœperunt. Inde clades atrocior facta; hoſtes enim cognita noſtrorum perturbatione, audaciùs in eos, & violentiùs irruerunt.

Dienſis Præfecti militaris prudentia.

169 In hoc tam gravi, ac periculoſo ſuorum infortunio Joannes Maſcarenhas virtutem, & militarem prudentiam egregiè probavit, modò copias ſuas pugnæ ſubducens, modò revocans ad certamen, dum diſſipatis hinc inde militibus, opportunus receptui locus aperiretur: qua ſolertia cavit, ne majorem barbari ederent cædem. Et jam murum feliciter ſuperaverat, cum longè, latèque diſſeminatus eſt rumor, arcem in hoſtium poteſtatem veniſſe: inde abire milites in diverſa cœpere, quaſi prælio fracti, ac profligati. In tanto rerum articulo Joannes Maſcarenhas, caſtigata verbis gravioribus ſuorum fuga, tam ſtrenuè cum hoſte manus conſeruit, ut paucis admodum ſtipatus, barbaros ferociter inſtantes repreſſerit. At verò Luſitani proceres, qui certamini interfuerunt, ex infelici ejus diei ſucceſſu illuſtre ſibi nomen peperere. Lupus de Souſa diu, multumque ſolus contra integram Maurorum cohortem in imo ſe muro defendit, circumſtantes ſæpè ſæpiùs barbaros tanta vi ſubmovens, ut procul miſſilibus telis præliari cogerentur: ſagitta tandem transfixus in pectore, ſanguinem ſuum largiſſimè ultus interiit. Præterea Antonius Moniz, Garzias Rodriguez, Eduardus, & Georgius de Menezes ſeptemdecim

Procerum ſingularis virtus in hoc prælio.

ſau-

ſaucius vulneribus, fecere, ne barbari victoria admodùm lætarentur.

170 Rumecanes, ut magis ex inſania noſtra proficeret, juſſit Mojetacanem cum quinque millibus peditum ad arcem rectà contendere, eo conſilio, ut illuc regredientibus viam intercluderet, ac deinde in Thomæum propugnaculum impetum faceret. Ita factum eſt: ſed Aloyſius de Souza tormentorum, majorumque fiſtularum crebra emiſſione magnam edidit irruentium cædem. Maurus tamen audax recenti victoria pertinaciſſimè perſtitit, ut admotis ſcalis cohortes aſcenderent: verùm tam ſtrenuè repulſus eſt, ut referre gradum coactus ſit pudore, ac damno non mediocri. Porrò Joannes Maſcharenhas tantùm profecit labore, ac induſtria, ut reſtitutis ordinibus, & in aciem conglobatis in arcem tandem contenderet. Mauros verò vagos ſecuritate victoriæ tam ferociter invaſit, ut pleriſque vitam, locum omnibus eripuerit. In hoc certamine quinque ſupra triginta cecidere è Luſitanis, in quibus numerari debent nobiles, de quibus ſupra meminimus. Saucii ſupra centum feruntur. Verùm in tam præpoſtera, & inordinata expeditione longè ſupra jacturam error cenſeri meritò poteſt. Præfectus ubi primùm cum ſuis in arcem ſe recepit, Alvarum inviſit, quem adhuc ſenſibus deſtitutum invenit, & ex chirurgi ſententia ita periculosè ægrotantem, ut vita in ancipiti eſſet. Ejus tamen periculum ad eos tantùm dies extractum eſt, quos medici criticos vocant, & decretorios, quibus exactis, remittente morbo, Alvarus planè convaluit, ſumma omnium gratulatione; eum quippe unicè diligebant, tum propter ſanguinis, tum propter juvenis generoſitatem. Interfuit huic prælio Nonius Pereyra, qui poſt dimi-

Arcem invadit Mojetacanes, & re infecta, receptui canit.

Milites Præfectus ordinat.

Noſtrorum clades in hac eruptione.

cationem opinione omnium fortiter, ac ſtrenuè commiſſam, recepit ſe ſe quatuordecim vulneribus honeſtiſſimè vulneratus, petita à Præfecto facultate Goam ad curanda faciliùs vulnera regreſſus eſt, ubi domum habebat ornatiſſimam, & uxorem nobilem, quam paulò antè duxerat, ampliſſimas præterea fortunas, quas magnam partem inſumpſit pro Rege, quoad vitam abſolvit, ut mox dicemus.

Rumecani ex felici ſucceſſu animus additur.

171 Auctum ſe videns Rumecanes parta præter opinionem victoria, quam inordinata noſtrorum virtus tradiderat illi in manus, expugnandæ arcis ſpes ampliores concepit; ſtatuit enim glorioſæ expeditioni qualemcumque finem tandem imponere. Suos ad id jam ſolito paratiores invenit; iis nempe recentis experientia victoriæ conceptum jam pridem de Luſitanis metum omnem abſtulerat, docueratque vinci poſſe. Sultanum illico de victoria fecit certiorem, cujus nuncium communi omnium plauſu, publicaque lætitia celebratum ferunt. Rumecanes autem, tanquam victor, meritis honoribus ab Rege auctus ex eo die, largiſſimo copiarum, & commeatuum numero, pecuniaque abundare cœpit, nobilibus permultis militaris gloriæ cupidis ſponte ſua ad ejus ſigna confluentibus. Inſtitutum in Thomæo propugnaculo opus feſtinans, terram ex inferiori parte erui juſſit, ut pondus murorum fulcro deſtitutum mole ſua rueret, erepto, cui nitebatur, fundamento. Hanc verò pernicioſiſſimam molitionem Dienſis Præfectus opportunè diſturbavit, novam ex interiori parte munitionem ædificans, quæ defendi tantò faciliùs poterat, quantò minore circuitu claudebatur. Non fugit Rumecanem nova Dienſium molitio; quapropter magnam vim Maurorum in eam partem immittens, juſſit, ut diu, noctuque inſtan-

Cuniculos agi de novo jubet; noſtri diſturbant.

tes

tes operi fabros, quanta fieri poſſet contentione, fatigarent. Lapides igitur, tela, miſsileſque globi ignibus pleni recta collimatione jaciebantur in eas partes, quæ ictui patebant, in alias verò, quæ videri non poterant, directa ad gradum elevationis miſsilia librabantur, quæ Luſitanos operi magis, quàm prælio intentos damnoſiſsimè feriebant; qua de cauſa Præfectus nocturno tantùm tempore perfici opus juſsit, adhibita luce tenuiſsima candelarum: lapides itaque non ad fabrile perpendiculum collocati, ſed prout quiſque imaginabatur, inſtituto jam operi meliùs reſponſuros.

172 Elatus interea Rumecanes, fretuſque benigniore fortunæ vultu, qua in proximo certamine feliciter uſus fuerat, in contemptum, ut ferebatur, Indici Prætoris, cujus adventus expectabatur in dies, novam ædificare urbem cœpit, ſive per eam victoriæ ſpeciem triumphali jam otio frui vellet, ſive ad ingerendam ſuis fiduciam, ſive demum nimis credulus plus æquo fideret proſperitati ſucceſſuum futurorum, quos ſibi feliciſſimos augurabatur. Itaque magnificas ſibi ædes à fundamentis excitari juſſit tanto ſumptu, & elegantia, quanta vix otioſæ pacis in ſinu; facere quiſquam alius potuiſſet. Majoribus etiam Præfectis ampla deſignavit hoſpitia, ut eos ad ſuamet tuenda domicilia fortiùs induceret. In his omnibus ædificiis non artem modò, ſed & ſuperbiam oſtendit. Porrò ad faciliorem fluminis trajectionem, tranſverſas in directum naves conjunxit, quà ex cognitorum portorii curia tranſitus eſt in oppidulum à Rumibus nominatum. Has naves nauticis rudentibus craſſioribus bene colligatas, congeſta humo æqualiter ad ſummum implevit, unde veluti ex ponte quodam mobili quidem, ſed tuto,

Novam urbem Rumecanes ædificat.

facilis eſſet tranſitus plauſtris commeatum in urbem comportantibus. Fx hac fiducia, qua Rumecanes ſuſcepti belli quodammodo oblitus in ſumptuoſa ejuſmodi ædificiorum molitione totus erat, vulgatus eſt rumor non incertus per finitima, remotaque Cambajæ regna, cecidiſſe Luſitanam arcem: quæ fama, quòd auribus Maurorum gratiſſima accideret, per totum latè Orientem ita percrebuit, ut Sultanus Legatos acceperit multorum Principum in ejus victoriæ gratulationem. Goæ quoque triſtiſſimi nuncii echo quædam confuſa perſonuit non ſine metu, & miro ſilentio audientium: id ipſum incertum quidem, nec ſatis idoneo autore ad Prætoris aures delatum eſt: verùm in dies ex ipſo ſecreto creſcere videbatur nuncii fides, quòd ab omnibus non niſi cautiſſimè, & remotis arbitris narraretur.

Prætoris ſolicitudo.

173 Hoc porrò infortunium, quod tantopere timebatur, Dienſibus nunciis nondum perlatis, majorem in dies veri ſpeciem induebat; nihil enim de Alvari claſſe certum nunciabatur, & qui ab ea cura Prætoris animum avertere ſatagebant, contemnere veriùs, quàm negare poterant famam, quæ magis, ac magis vulgabatur. Prætor verò, cujus præcipuè id intererat, præclarè intelligens, quàm neceſſarium eſſet, nutantes populi animos confirmare, hilari, & explicata fronte timorem cordis ſagaciſſimè obvelabat, ut mendacem nuncii famam oſtenderet, quam timebat.

Emmanuel de Lima è Luſitania Goam appellit.

174 His itaque preſſus curis animum quodammodò aliò avocaturus, urbana negotia, & claſſis apparatum tota contentione properabat; cum ex Europa Luſitanam navim veniſſe nunciatur, Præfecto Emmanuele de Lima, qui alias quinque, Præfecto Laurentio Pirez de Tavora, unà navigantes præceſ-

ceſſerat. Reliquarum navium Præfecti Joannes Lupus, Joannes Rodriguez Peſanhà, Ferdinandus Alvarez à Cunha, & Alvarus Barradas. Adventum Emmanuelis de Lima permagni fecit Joannes de Caſtro, quem, utpote virum nobilem, & apprimè ſtrenuum calamitoſo tempori aptiſſimum judicabat. Contulerat illi Luſitanus Rex Armuzianæ arcis Præfecturam, ut ejus cum Martino Alphonſo de Souſa, à quo non mediocriter diffidebat, periculoſum occurſum diſturbaret. Martini ex India reditum Emmanuel opperiebatur, de quibuſdam cum eo injuriis graviter expoſtulaturus, quibus ab eo fieri ſatis omnino oportere dictitabat. Ejuſmodi periculoſa diſſidia Joannes Rex, cui nobilis utriuſque pax ſummoperè cordi erat, patris officio functus, opportunè compeſcuit. Illico Dium proficiſcendi cum tribus centuriis ſuo ære conductis facultatem Emmanuel à Prætore poſtulavit: is tamen ejus profectionem diſtulit, ſocium ſibi ſtrenuum virum reſervans, ejus virtute, & experientia paulò poſt uſurus in Dienſi expeditione, quam moliebatur.

175 Dienſes verò res adhuc animum Prætoris mirum in modum ſolicitabant; infauſtnm enim interpretabatur, nihil illinc Goam afferri: ecce tibi Prætoria, in qua Alvarus Dium navigaverat, appuliſſe nunciatur. Explicatis vexillis, & ad omnem lætitiæ ſignificationem inſtructa veniebat, lætaque tormentorum exploſione feliciſſimos afferri nuncios procul indicabat. Incredibilis vis Goani populi venientibus obviam proceſſit ad litus. Interrogabat unuſquiſque certatim, tametſi ſolicitè, de liberorum, parentum, & amicorum ſalute, & qui minùs ſuorum cura angebantur, de reipublicæ incolumitate. Navis Præfectus, exſcenſione facta, ad palatium Prætoris

Dienſes mentii ad Prætorem perferuntur.

toris rectà contendit, crebris moleſtiſque interpellatoribus in itinere ſatisfaciens. Prætor, qui tunc temporis cum Joanne de Albuquerque Goano Epiſcopo, & Antonio Caſalio Fratrum Franciſcanorum Cuſtode colloquebatur, venientem primò interrogavit, ſtaretne adhuc pro Rege Luſitaniæ Dienſis arx? In ejus eſſe, ac futuram poteſtate, Præfectus reſpondit. Quo audito nuncio Joannes de Caſtro, ſublatis in Cœlum oculis, ac de genu, Deo victoriarum, ac regnorum arbitro gratias egit non ſine lachrymis, ſuam in Deum pietatem; ſtudiumque in Regem egregiè ſignificantibus. Poſt hæc reſignatis epiſtolis, de morte Ferdinandi filii intellexit: quod ille quidem tanta excepit animi conſtantia, ut nemo eorum, qui aderant ex ejus vultu, verbiſque quidquam illi moleſtiæ accidiſſe animadverteret: perinde, quaſi imbecillitas eſſet, Patrem in acerbiſſimo filii caſu ſe oſtendere, & indignum eſſet Luſitano Prætore inſitos à natura homini affectus indicare. Præfectum verò perampla donatum mercede ad civium animos lætiſſimis, quos attulerat, nunciis recreandos dimiſit. Deinde ſatis dilatum dolori tempus intelligens ad cavendam loci, & animi conſtantis injuriam, in abditum conclave ſe recipiens, laxatis naturæ habenis, filium lachrymatus eſt, remotis arbitris. Ea ipſa die Goam appulit navis in qua Nonius Pereira veniebat. Is exulcerato vulnerum dolore confectus, in mari deceſſit. Juſta corpori perſoluta ſolemni ritu, ut par erat, Prætore, nobilibus, populoque frequentiſſimo funebrem pompam ſequentibus, ac defuncti nobilis incredibili deſiderio mæſtiſsimis.

Qua pietate eos Prætor accipit.

Et qua conſtantia filii mortem.

176 Proxima die ſolemnis per urbem ſupplicatio inſtituta eſt in gratiarum actionem. Huic Prætor ipſe

ipſe interfuit purpura veſtitus, novo, & inaudito conſtantiæ exemplo, Goanum populum in morte chariſsimi filii conſolaturus. Idem ex literis proxime allatis in ea, quæ modò appulerat, navi, intellexit de inordinata, neceſſariaque noſtrorum eruptione, unde tot, ac tam illuſtrium virorum funera extitere: cognovit etiam de Alvari filii periculo, cujus dolorem vel tegere, vel minuere egregiè novit, utpote qui filiorum vitam minoris faceret, quàm famam. Publica ſupplicatio in gratiarum actionem.

177 Eadem die miſſus eſt Vaſcus à Cunha ad portus, ſinuſque Borealis oræ luſtrandos, ut diſperſas ex Alvari claſſe huc illuc naves in unum colligeret, ac Dium duceret. Eidem tradidit ampliſsimas epiſtolas, quibus gratulabatur Joanni Maſcarenhas ſingulare decus, quod rebus apud Dium præclarè geſtis, ſibi, ac Luſitano nomini comparaverat: fidem præterea ſuam obligabat Prætor, fore, ut paulò pòſt Dium ipſe navigaret cum claſſe omnium apparatiſsima, in qua adornanda nulli ſumptui, nulli diligentiæ parcebatur: ſubſidia tamen ſe interea miſſurum ajebat, dum claſsis pararetur, quæ tum ad arcem tutandam, tum ad refrenandum hoſtium impetum ſatis eſſent. Ita ſanè factum; nulla enim interpoſita mora poſt Vaſci diſceſſum, Ludovicum de Almeyda cum lembis omnino ſex auriti veli Dium contendere juſsit. His impoſitæ quatuor militum lectiſsimorum centuriæ, commeatus, & militaria inſtrumenta, quæ obſidii tempore uſui eſſe plerumque ſolent. Hæc omnia tam indefeſſa diligentia parata ſunt, ut breviſsimo tempore claſsis univerſa ſteterit in procinctu. Una tantùm expectabantur auxilia Cocinenſia, & Cananoris, quæ diſceſſum unicè morabantur; Prætorem enim ad unum omnes tam ſingu- Nova Dio ſubſidia mittuntur.

lari

lari amore, & obedientia proſequebantur, ut Goani Equites, honeſtioreſque matronæ filios illi ſuos in ejus belli aleam, ac præterea fortunas omnes offerrent. Tantis demum populi acclamationibus ejuſmodi claſsis inſtruebatur, quantis cæteræ publicis lachrymis & querelis adornari plerumque ſolent.

Bazainum appellit Vaſcus à Cunha.

178 Vaſcus à Cunha, ut in mandatis habuerat, diſperſas in Borealibus portubus Luſitanas naves, quas rigor præteritæ tempeſtatis armamentis omnino ſpoliaverat, in unum collectas, Bazainum intulit, ubi Hieronymum de Menezes, ejus arcis Præfectum paratum invenit, ad ſubſidia Dio importanda cum quindecim navibus, quas adornaverat incredibili diligentia: incenſum præterea novo, eoque domeſtico dolore ob nunciatam Franciſci fratris mortem, de qua ſuprà meminimus, Quòd nondum ſolviſſet, in cauſa fuerat certus nuncius, qui ferebatur, Bramalucum, Principem præpotentem ad ejus arcis obſidionem properè venturum cum exercitu ſimul, ac de Præfecti abſentia reſciret. Hæc omnia Sultanus callidè diſpoſuerat in gratiam ſuorum Dium obſidentium, ut pluribus in locis Luſitanas vires multiplici bello diſtraheret. Ea de cauſa Hieronymus, cum ſuarum partium primò, ac præcipuè eſſe intelligeret, Bazainenſem arcem defendere, deinde ſubſidia neceſſaria Dio importare, paratam claſſem Vaſco tradidit. Hic vela faciens unà cum Almeydæ claſſe Dienſem portum conjunctis navigiis invectus eſt, ut ſubſidium numero ipſo navium majus, quàm re ipſa erat, videretur. Inde depulſum ab arce cum fame periculum, militeſque accepta à Præfecto pecunia, & omnibus ad pugnandum neceſſaris largè inſtructi, bellum veriùs optabant, quàm timebant.

Dium ingreditur cum Aloyſio de Almeyda.

179 Et jam mitior anni tempeſtas, hyeme ſeneſcen-

ſcente, noſtris favebat. Luſitanæ naves in mari latè dominabantur. Alvarus, ut erat ſupremus maris Præfectus, cum tribus lembis auriti veli miſit Ludovicum de Almeyda, quem ejus expeditionis Ducem renunciaverat, unà cum Payo Rodriguez de Araugio, & Petro Alphonſo, qui reliquas duas naves regerent, ad luſtrandam Surratæ maritimam oram, ut, ſiquam de Meca navem eò venientem offenderent, adorirentur, captamque abducerent. Surratam profectis non ita multo poſt duæ naves procul apparuere, altera major, altera aliquantò minor: quæ ubi primùm conſpectæ ſunt, Aloyſius ad eas aggrediendas, ſupparis tantum vento explicatis, profectus eſt. Utebantur hoſtium naves vento ſecundiſſimo, ubi tamen Luſitanos lembos videre, mutato curſu, in diverſa abiere; lembi verò, ut erant magis expediti, & ſponte ſua ad curſum aptiores, explicatis omnibus velis facilè fugientes ſunt conſequuti. Lembum ſuum Aloyſius de Almeyda ad majorem navim applicuit. Illam Janizarus quidam Cogeſofaris propinquus regebat, qui fretus navis magnitudine, tormentis, & militia lectiſſima egregiè iuſtructa ſtrenuè ſe defendebat. Cruenta utrinque pugna extitit, Mauris ex neceſſitate, noſtris ex officio certantibus: quia tamen hi militari virtute, ac diſciplina longè præſtabant, facta tandem undecumque vi in navem irrupere. Ibi Mauri, veluti in extrema deſperatione, audaciſſimè præliabantur, donec, primoribus obtruncatis, reliqui victorum arbitrio ſe permiſere. Janizarus multis, gravibuſque confoſſus vulneribus, veluti ſemivivus jacebat. Hunc Aloyſius de Almeyda in ſuum deinde lembum transferri juſsit, ut faciliùs à Chirurgis curaretur. Minorem navim vix reſiſtentem Payus Rodriguez

Ad oppugnandas Mecæ naves Almeyda proficiſcitur.

Duas expugnat.

facili negotio expugnavit. Poſt hæc Aloyſius de Almeyda in eodem loco tandiu ſubſtitit, dum accepta à Præfecto maris mandata perficeret. Interea onerarias quaſdam commeatibus plenas intercepit, alias præterea, vi facta, impulit, ut in maritimam oram allideréntur: qua de cauſa minor quotidie in caſtris barbarorum copia, & tandem inopia extitit. In Dienſem deinde portum invectus cum præda, ſuſpenſos de nauticis antennis Mauros exhibuit, dolore Turcici exercitus incredibili. Ad redimendum Janizarum, quem arcta ſanguinis neceſsitudine, ut diximus, Rumecanes attingebat, oblata ſunt triginta millia nummum argenteorum (Pardaos vernacula lingua Indi vocant) Alvarus tamen ſuſpendi probrosè hominem maluit dictitans, ſe non ad vendendum, ſed ad fundendum Maurorum ſanguinem adveniſſe: nulla ſe de illis ſpolia, præter deciſa capita, relaturum. Rumecanem atrox iræ Luſitanæ denunciatio perterruit, reliquos verò Mauros auri contemptus inſignis obſtupefecit. Alvarus interea, ne conditum in vagina ſuorum enſem hærere fruſtra permitteret, dum deſtinata prælio dies adveniret, Bazainenſia, ac Ciaulenſia navigia ſolvere è portu juſsit, & finitima maria luſtrare ad deprædandas minores triremes, quas Gelvas vocant, quæ quotidianos ad hoſtem commeatus importabant. Feliciter ea expeditio cecidit. Gelvæ quatuordecim captæ, ſuſpenſi ex antennis de more Mauri, quorum mors terrorem veriùs, quàm dolorem barbaris incutiebat; quippe qui intelligerent Luſitanam iram ita ferociter ad vindictam ferri, ut pietate nulla molliri, nullumque finem habitura videretur.

Eas Dium abducit.

Janizarum Præfectū redimi non patitur Alvarus, ſed ad ignominiam ſuſpendi jubet.

Hoſtium onerarias 14. noſtri expugnant.

180 Inter hæc Joannes de Caſtro ſtatuens apud ſe, ea in Cambajæ Regem animadverſione uti, quæ uni-

univerſis Aſię Principibus memorabili documento eſſe poſſet, quanti eos intereſſet, ſervata religioſè pace Luſitanos revereri, hominum explorare judicia voluit, ut eos, quibus conſilium ſuum probaretur, dociles haberet in exequenda expeditione, quam animo deſtinaverat. Ea de cauſa vocatis ad ſe omnibus ordinibus civitatis unà cum proceribus, ac militibus bellica laude præſtantibus, ſignificavit palàm, deliberatum ſibi eſſe, Goa cum claſſe Dium proficiſci, ad liberandam obſidione arcem, Rumecanemque in ſuiſmet Caſtris aggrediendum: idipſum, tametſi latere neminem ſciret, voluiſſe ſe publicè omnibus indicare, ut approbante republica, magnum momentum adderet ad victoriam, ipſam nimirùm cauſæ juſtitiam exploratiſsimam. Peracta concione, grates Prætori publico nomine, perſolutæ, quòd, cum ipſe nullius eſſet ſub poteſtate, modeſtè ſe tamen ſuorum judicio ſubmitteret: laudatum etiam ſingulare illius in patriam ſtudium, pro qua vitam ſuam periculo objicere non dubitabat poſt recentiſſimam filiorum ſuorum calamitatem. Initis tandem ſuffragiis, alii in alias ſententias abiere. Didacus de Almeyda, qui urbanam armorum Præfecturam adminiſtrabat, quem affecta jam ætas, & multiplices belli caſus militarium rerum experientiſsimum fecerant, in hunc ferè modum exorſus eſt.

Prætor declarat in Senatu deliberatum ſibi eſſe Dium proficiſci.

181 *Exiguæ vires, quibus hodie Luſitana res in India viget, ideo ab hoſtibus noſtris timentur, quia ignorantur. Aſia nimirum univerſa, quantùm armis poſſimus, non ex numero militum æſtimat, ſed ex victoriis temporum præteritorum, quorum fama cuſtos eſt unica præſentis, & jam declinantis fortunæ. In hac, quam nuper adornaſti claſſe, Prætor invicte, in cujus apparatu Indicæ vires omnes inſumptæ, & publicum*

Ejus deliberationem diſſaudet Didacus de Almeyda.

ærarium exhauſtum, vix duo Luſitanorum millia ſub ſignis habes. Quid eſt igitur, amabo te, cur tam exiguis copiis univerſum terrarum orbem terrere poſſe arbitreris? Indica Luſitanorum Ditio, prægrandis inſtar arboris mihi videtur, de cujus ramis tam multa, & glorioſa pendent Orientis ſpolia: verùm cum à trunco radices habeat infinito propemodum ſpatio disjunctas, ſi eam non intactam modò, ſed etiam florentem ſervare cupimus, ſervata cum validioribus pace, exacta ab inferioribus reverentia diligentiſſimè nutriatur, neceſſe eſt. Majora ſanè expectantur à conjunctione noſtrarum virium, quàm re ipſa præſtare poſſimus: mediocris certè famæ parvam acceſsionem una, credo, victoria nobis afferet: contrà verò ex una copiarum noſtrarum clade ultima Luſitanæ rei, & inſanabilis calamitas importabitur. Dienſi arci neceſſaria, ut par erat, annonæ, bellique ſubſidia largiſsimè miſimus: quid igitur in uno vulnere, cui ſatis, ſuperque facta eſt medicina, remedia reliqua, pluribus deinde vulneribus profutura, fruſtra diſperdimus? Quo novo edocti prudentiæ genere, rogo vos, ampliſsimum tot victoriarum fructum, unius dimicationis aleæ incertiſsimæ objicimus? Quoad integri, & incolumes perſeverabimus, juſtas vires ad noſtri conſervationem habemus: ubi verò ſemel fuſi, ac profligati fuerimus, ad reparandam cladem infirmi omnino ſumus & enervati. Nullus, quod ſciam, magni nominis imperator omnibus omnino copiis prælium commiſit, niſi neceſsitate compulſus; ubi enim, ut fermè fit, æquatur clades, pugnæ tantummodò locus, & fama inutilis cedunt in utilitatem victoris. In Dienſi Inſula, nec volumus, nec, ſi velimus, poſſumus quidquam aliud, præter nudam arcem poſsidere: cur igitur cæco quodam impetu ducti, emptum iterum volumus pretio Luſitani ſanguinis,

quod

quod poſsidemus? Unde novam Coloniam deducemus ad Dienſem Inſulam novis habitatoribus frequentandam? Ex quacumque orbis parte novos incolas advocemus, vel Ethnici, vel Mauri ſint, neceſſe eſt, omnes dubiæ erga nos fidei, æquè, atque illi, qui modò Dium incolunt. Prælio nobis dimicandum eſt cum Mauris, ac Turcis, numero pluribus, bellica diſciplina nobis æqualibus: ſi res improſperè cedat, nullus, ut videtis, reliquus eſt ſaluti locus: ſi verò feliciter accidat, & ex voto, nullum ex victoria fructum capiemus. Indiam navalibus armis ſubegimus, iiſdem conſervanda eſt; nautis enim, ac navibus barbaros ſuperamus. Si vero victoriam nolumus, niſi acie vincamus, arces noſtras evertamus, neceſſe eſt, & muros urbium æquemus. At eſt Luſitano nomini glorioſum ad ulciſcendam injuriam florentiſsimum regnum evertere. Si ita eſt, verſa jam eſſet in ſolitudinem Aſia univerſa, ſi delere eos ad internecionem voluiſſemus, qui nobis bellum intulere. An verò accuſabimus Alphonſum de Albuquerque, qui poſt cognitam fraudem, & hoſtilem animum Regum, ac Præfectorum, qui Armuzianam arcem obtinebant, eam ferro, & igne vaſtari non permiſerit? An idem partam ſibi latiſsimè gloriæ poſſeſsionem amittet, quòd Zamorini injuriis, ac fallaciis irritatus Malabariam non deſtruxerit? Nunquid Nonii à Cunha minùs glorioſum nomen exiſtimabimus, quòd poſt nefariam Badurii molitionem, bellum Cambajæ non intulerit? An verò ad Turcicum Imperium funditus evertendum ſtrictis gladiis proficiſcemur, quòd ejus Præfectus arcem noſtram circumſederit? Maritimas claſſes contra Accnum inſtruemus, quòd eripere nobis Malacam voluerit? Hidalcanem cruento, & implacabili bello perſequemur, quòd noſtros quotidie commeatus intercipit, & Bardeſios, Salſetanoſque agros infeſtis ſignis depopula-

pulatur? Quænam deſperatio nos cogit, ut hoſtium telis Ditionis noſtræ jugulum præbeamus? Claſſis hæc in ſpeciem validiſſima, & apprimè terribilis, re ipſa debilis, Rumecanem terret: nos, veluti murus, defendit. Verùm, ubi hanc militum paucitatem expoſuerimus, arcanum virium noſtrarum, quod hucuſque latuit, Aſia apertis oculis introſpiciet, laberabuntque Orientales Principes omnes, ut vinculorum, quibus capiuntur, fragilitatem aliquando diſſolvant, atque reſcindant. Q. Fabius Maximus commiſſis feliciter præliis, quòd ſæpe vicerit, gloriam attulit Romano nomini non mediocrem, eidem verò ſaluti fuit, quòd noluerit aliquando vincere. Qui primi omnium Indiam armis ſubegere, domum nobis ædificarunt: noſtrum eſt, modò ædificatam tueri. Cæterùm, ſi in Dienſis arcis oppugnatione florentiſsimum exercitum hoſtis amiſit, quid ultrà ad victoriam deſideramus? Quam graviorem de eo ultionem ſumemus? Siquis æquas habeat cum hoſte vires, ſatis eſt ad lædendum inſtructus: ſiquis verò ulciſci ſe velit, hoſtem longè viribus ſuperet, neceſſe eſt. Imprudenter enim acceptam injuriam ulciſcimur, quando nova, ac major injuria ex ipſa vindicta timeri poteſt: præſertim, cum in nulla re fortuna impotentiùs, quàm in bello dominetur; ſæpè enim victoria leves ob cauſas paratur, ob leves etiam amittitur. Quæ cum ita ſint, quis æquum exiſtimabit, Orientis Imperium terrore, & invidia nationum ſuper tot victorias ædificatum, temerè caſui permittere? Si claſſis hæc ornatiſsima, in cujus apparatu Luſitanum robur conſumpſimus, fundatur (quod Deus avertat) ac diſſipetur, quos ſibi theſauros Luſitanus Rex reſervavit, ut aliam pari ſumptu ædificatam ad nos tranſmittat? Rogare iterum Indicos Principes incipiemus, eoſque rurſus conabimur nobis ſubmittere, ſeneſcente mque

hujus

hujus Imperii Dominationem ad priſtinam infantiam redigemus. Regum, quos læſimus, beneficio vivere miſerè cogemur in poſterum: uno verbo iis ipſis, quibus imperabamus, miſerè, ac turpiter ſerviemus.

182 Adductæ à Didaco rationes iis, qui cum eo ſentiebant, vehementer probatæ ſunt, eos etiam, qui in oppoſita erant ſententia, aliquantulum commovere: contrà verò Joannes de Caſtro ſuſcepti conſilii tenaciſſimus, in oppoſitum argumentatus, dixit, nationem nullam ex iis, quæ latè dominarentur, contentam unquam fuiſſe ex eo dumtaxat, quòd illatum ab inferioribus bellum juſta defenſione repelleret. Luſitanos in Oriente arbitros jam diu pacis, ac belli factos: eorum tutelam à pleriſque Aſiæ Principibus vehementer expeti ad firmandam Dominationem: Arces omnes, quas in India obtineremus, iiſdem armis, artibuſque defendi oportere, quibus primò paratæ fuiſſent: Maurorum erga nos reverentiam tandiu duraturam, quandiu viderent illatas injurias impatienter à nobis ferri, & ſeveriſſimè vindicari: omnes latè Principes intentis in Luſitanos oculis, expectare, quam ipſi ultionem de Cambajæ Rege tandem ſumerent, nec auſos ad eam diem Sultano auxiliari, eo quòd vehementer timerent, ne una cum illo, eademque ruina opprimerentur: hi porrò, ſi viderent Luſitanos unicè intentos ad arcem reſtaurandam, curandaque vulnera, quæ accepiſſent, de nulla re præterea laborare, nec debitas ab hoſte pœnas repetere, noſtras procul dubio cicatrices novo aperire vulnere non dubitarent, nefarium ictum jugulo Imperii noſtri graviùs intentantes: Imperia fama, & opinione unicè niti: patientiam, quæ in privatis eſt virtus, eſſe certiſſimum Regnorum exitium: tam multos nobiles in hac obſidione intere-

Prætoris reſponſum.

rem-

remptos, tam multos honeſtiſſimos Equites, ac milites ſtrenuiſſimos in acie cecidiſſe, ut, niſi eorum mortem ulciſcerentur, qui vivi ſupereſſent, deberent accepta honeſtè pro patria vulnera, tanquam inſignes infamiæ notas occultare diligentiſſimè, nullo modo oſtendere: nil aliud ad exteras nationes ex hac obſidione memorabile promanaturum, præter Luſitanam patientiam, niſi acceptam injuriam atrociſſimo bello perſequeremur: Indicam Ditionem fama longè meliùs, quàm Orientalibus mercibus ſuſtentandam: merces verò pretioſas dumtaxat eſſe, non cum pro mercatura facienda, ſed cum pro tributo penduntur. Negavit demum pati ſe velle, primum Luſitanæ militiæ dedecus Joanne de Caſtro Indiæ Prætore contingere: ſe ad committendum prælium omnino paratum: culpam ſibi uni, victoriam omnibus tribuendam. Ita loquutus eſt in concilio Prætor, perinde quaſi triumphum, vel fiducia proſperi eventus, vel animi magnitudine præſagiret.

Novum cuniculum parat Rumecanes.

183 Interea Maurorum arma apud Dium minimè quieſcebant. Rumecanes enim æquè ſtrenuus, ac propoſiti tenax, nec acceptis cladibus frangebatur, nec venturis propediem Luſitanorum ſubſidiis commovebatur. Præclarè ille quidem intelligebat, quanto copiarum apparatu Goanus Prætor venturus eſſet, quem fama majorem profectò vulgaverat, quàm re ipſa eſſet: non ideo tamen à ſuſcepto urgendæ obſidionis conſilio reſiliebat, ultimam in bello periclitaturus fortunam. Cuniculos igitur agi juſſit ad ſpeculam, portæ imminentem, quam Antonius Freyre tuebatur, & quamvis mirifico ſilentio inſtitutum opus urgeret, diverſis fraudibus Dienſes diligentiſſimè avertens, ne eam molitionem odoraren-

rarentur. Præfectus tamen, quem nulla fraus, nullus belli caſus imparatum, incautumque inveniebat, occultam hoſtium machinationem deprehendit, cui eadem, quæ antea, remedia providè adhibita. Incenſus cuniculus ſexto Idus Octob. ab extima parte innoxius diſſiluit; repulſa enim eſt incendii vis novi muri declivitate, quem noſtri fuerant obmoliti. Hunc Mauri non ſine dolore aſpexere, perterriti vehementer, quòd ſua nobis conſilia omnia paterent, nihil proficiente vi, neque induſtria contra tam ſtrenuos, & cautos inimicos. Rumecanes autem tametſi ex cuniculorum ſuffoſſione minorem labore fructum exiſtere ſæpè ſæpius experiretur; ſive ad noſtros fatigandos, ſive ad conſervandam ſuorum diſciplinam, alios, atque alios aperiri cuniculos juſſit, quos ſimul ac deprehendimus, opportunè, ut antea, cavimus, & eluſimus. Verùm, quòd nihil ex illis memoria dignum extiterit, conſultò prætermittendos cenſuimus, ne, repetita ſimilium narratione, lectorum patientiam fatigaremus.

Eumdem ſine damno Luſitanorum incendit.

Finis Libri Secundi.

VITÆ
JOANNIS DE CASTRO
INDIARUM PRO-REGIS
QUARTI
LIBER TERTIUS.

I Dium Prætor proficiſcitur.

DECIMO ſexto Kalend. Novembres anni MDXLVI. Joannes de Caſtro, tradita Goanæ urbis adminiſtratione Joanni de Albuquerque Goano Epiſcopo, ac Didaco de Almeyda Freire, præciſis anchoris, vela fecit, & rectà Bazainum contendit. Ibi expectare conſtituit nonnullas auxiliarium centurias, & commeatus, qui nondum erant in promptu: induxerat quippe in animum, Indiæ Prætorem magnoperè dedecere, ſi, vel una tantùm die incluſus à barbaris in Dienſi arce teneretur; decreverat enim,

enim,

enim, renovata antiqui Cæſaris felicitate, venire, videre, ac vincere.

2 Numerabat claſſis Gaulos majores duodecim, quibus imperabat Prætoria à Sancto Dyoniſio nuncupata, quæ Prætorem ipſum vehebat. Reliquis Gaulis Præfecti dati Garzias de Sà, Georgius Cabral, Emmanuel de Sylveira, Emmanuel de Souza de Sepulveda, Georgius de Souſa, Joannes Falcaò, Joannes Emmanuel Alabaſtro, & Ludovicus Alvarez de Souſa. Naves, quæ remis agebantur, omnino ſexaginta, quibus præfecti ſunt, Emmanuel de Lima, Antonius de Noronha, Michael à Cunha, Didacus de Sottomayor, Antonius Carniero à Secretis, Alvarus Peres de Andrade, Emmanuel Deza, Georgius de Sylva, Hieronymus de Souſa, Aloyſius Figueira, Nonius Fernandes Pegado, Laurentius Ribeiro, Antonius Leme, Alvarus Serranus, Coſmus Fernandez, Emmanuel Lobo, Franciſcus de Azevedo, Petrus de Attaide Inferno, Franciſcus à Cunha, Antonius de Sà Rume, Coſmus de Payva, Vaſcus Fernandez, ſupremus Regiorum Quæſtorum Goæ Præfectus, qui à Prætore quindecim minoribus liburnicis fuerat præpoſitus: in his navigabant Goenſes, Canarini, & auxiliares copiæ Cananorenſium, & Cocinenſium. Qua claſſe, & quibus Præfectis.

3. Claſſis ſexto poſtquàm ſolverat die Bazainum appulit. Acceſſit illico ad Prætoriam Hieronymus de Menezes ejus arcis Præfectus, ut Prætorem in ea venientem, uxoris ſuæ fratrem deduceret, inter quos adhibita mutuò conſolationis officia, hoc de fratris, illo de Ferdinandi Filii morte, condolentibus. Prætor verò, quòd otiari infructuosè milites nollet, miſit cum ſex celocibus Emmanuelem de Lima ad deprædanda in Cambajano ſinu hoſtium navigia, Bazainum appellit, & Cambajæ bellum infert.

 vigia,

vigia, quæ annonam in caſtra barbarorum ſubvectabant. Paucorum dierum ſpatio, ſexaginta Maurorum minora navigia (Cotias vulgò vocant) capta cum largiſſimo commeatu. Dilaniata nautarum corpora, & remulco poſt celoces tracta, tandem præciſis funibus, quibus trahebantur, relicta ſunt in faucibus fluminum, quæ Dienſem Inſulam circumfluunt, ut impetu fluctuum à mari refluentium, Dium adſportarentur, barbarorum oculis objicienda, ut horribili pariter, ac luctuoſo documento eſſe poſſent, irritatam Luſitanorum iram novo ſemper, ac novo crudelitatis genere ſævituram. Curſus à Prætore præſcripti exacto jam tempore, recepit ſe Emmanuel de Lima, ſexaginta Mauros de nauticis antennis ſuſpenſos miſerabiliter oculis intuentium exhibens, jucundo vindictæ magis, quàm humanitati ſpectaculo. His ſuſcepti belli fauſtis præludiis lætiſſimus Prætor, Emmanuelem iterum cum triginta navibus miſit, ad incendendam, populandamque Cambajæ maritimam oram, ut ruinarum relicta veſtigia, ſumptas de barbaris pœnas diu, multùmque poſteros edocerent.

Luſitanæ naves Cocinum appellunt.

4 Interea Laurentius Pirez de Tavora, ſupremus navium è Luſitania venientium Præfectus, Cocinum cum claſſe tenuit: ibi Dienſi obſidione nunciata, quanta potuit feſtinatione Goam profectus eſt; putabat enim Prætorem nondum ſolviſſe. Audita tamen claſſis profectione, Dium ſumma celeritate navigavit, neglecta ſui ipſius utilitate, ut Regis commodis inſerviret. Ejus exemplo permoti complures Procerum, qui è Luſitania in Indiam veniebant, eòdem profecti ſunt, Dienſes priùs ruinas, quàm aliud quodcumque in India ſolum calcaturi. In his præcipuus fuit Antonius de Noronha, Garziæ

Laurentius Pirez de Tavora claſſis Præfectus, & alii proceres Dium navigant.

Pro-

Proregis filius, qui ſexaginta milites ſuo ære conductos conſcripſerat. Has enim dumtaxat divitias petituri, illius ævi nobiles in Orientem navigabant; pretioſiores quippe merces tunc temporis habebantur accepta pro Rege vulnera, quàm ætate noſtra uniones, & adamantes. Aloyſii Principis literas ampliſſimas Indico Prætori Luſitanæ naves attulere. Eas referre placet, ut inde intelligatur, quantoperè Rex, ac Princeps Luſitani miniſtrorum ſuorum vel minimas actiones inſpicerent, ut judicare de iis ſapienter poſſent, ad pœnas pro cujuſque meritis, ac præmia dividenda: præterea, ut ex hoc epiſtolarum exemplo meliùs eluceat, ſimplicitatem illorum temporum ab omni arrogantiæ, & ſuperbiæ ſpecie quàm remotiſſime abfuiſſe; puto enim aureæ illius ætatis cupidis amatoribus, memoriam eorum temporum non injucundam futuram.

HONESTE PRÆTOR.

Luſitani Principis epiſtola ad Joannem deCaſtro.

5 *COgnovi ex literis tuis ad Regem, & ad me datis, quænam fuerit itineris tui ſeries, poſt tuum à Mozambiquio diſceſſum, uſque dum in Indiam appuleris: præterea, quæ iſthic geſſeris, uſque ad navium in Luſitaniam regreſſum, quo loco res Goanas inveneris, quæ hominum iſthic conditio, quanta morum diſſolutio, quanta Regiæ claſſis tenuitas. Intellexi etiam, quid egeris cum Hidalcane, de rebus ad Mealem pertinentibus, quid de Armuzianis negotiis conſtitueris, quid cum Proceribus tranſegeris, quibus Martinus Alphonſus facultatem fecerat Armuzium cum mercibus commeandi, cætera demum omnia, quæ latè literis tuis ſignificabas. Ego verò, quando Rex de his omnibus fuſè reſcribit, tibi per ſumma tantùm capita reſpondebo. Nullo tamen modo prætermittam, quanto*

me terrore affecerit nuncius periculi tui, quod è regione Inſulæ Comari evaſiſti: qui profectò caſus, tametſi non mediocriter formidandus, felicis tibi ominis, ut ego quidem interpretor, indicium fuit; videtur enim Deus Optimus Maximus, qui te ex præſentiſſimo maris periculo divinitus eripuerit, ſignificare voluiſſe, ex terreſtribus Indiæ dimicationibus incolumem te ſimiliter Divina ope evaſurum. Quapropter Divinæ bonitati gratias egi, & ago quàm maximas, quòd tam ſingularem ſuæ in te voluntatis ſignificationem oſtenderit. Quod autem ſcribis, Hieronymum de Noronha eodem tecum periculo defunctum eſſe feliciter, magnoperè gaudeo; decuit enim hominem honeſtiſſimum in adeundis laboribus, ac periculis à Ducis ſui latere nunquam diſcedere. Quod attinet ad cætera, de quibus me per epiſtolam facis certiorem, cum ad omnia ſingillatim Rex, ac Dominus meus reſpondeat, ut ipſemet vidi, qui aderam reſcribenti, non eſt profectò, cur actum agam; ex Regiis quippe epiſtolis præclarè intelliges, quàm jucunda Regi acciderint tuæ adminiſtrationis initia, quàm præclara ſint hominum de te judicia, quid demum fieri à te in poſterum jubeat in ſingulis rebus, de quibus ad eum retuleras. Mihi verò præter hæc, tua in Indiis agendi ratio, facta, dicta, conſilia omnia ſummoperè probantur; oſtendis enim, mutato cœlo, nullo modo te eſſe mutatum, immò eadem eſſe integritate, probitate, ac fide, quas ſummas in te ſemper ſuſpexi: quod non modò verbis, ſed factis, tuæ in Regem voluntatis teſtibus ſanè locupletiſſimis, egregiè comprobas. Id ipſum in dies magis te præſtiturum confido, quantum humana diligentia præſtari poteſt. Magnam etiam mihi attulit voluptatem tua ad Regem ſcribendi ratio; ſunt enim in epiſtolis tuis omnia pulcherrimè ordinata, ita, ut nihil in illis deſit, nihil abundet;

eæ nimirum declarant te non primam rerum cutem, ſed penitiores medullas introſpicere, ſummoque ſtudio teneri, ut Regia *negotia, tuis neglectis commodis, quàm feliciſſimè tranſigas. Id quantoperè me delectet, explicare nullis verbis poſſum: id ipſum verò, quod tam diſertè, tam ſæpè, tantoque cum gaudio ſignificas te facturum, nullàs profectò dubito, quin ex tuæ abundantia virtutis, ac voluntatis proficiſcatur. Quamobrem in ſpem venio, Deum votis tuis obſecundaturum cumulatiſſimè, teque honoris, ac gaudii pleniſſimum in patriam, incolumem reducturum; id enim planè accidat, neceſſe eſt, ubi quis, inſigni rerum omnium contemptu, Dei, ac* Regis *gloriam curat, præterea nihil. In hoc tametſi tibi ſit magnoperè laborandum, illud diligentiſſimè reputes, velim, labores ad æterna præmia promerenda non ſolùm idoneos eſſe, ſed neceſſarios: oportuit enim Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Quæ ſi forte ardua judicaveris, veniat tibi in mentem, in ſummis rerum difficultatibus* Deum *adeſſe, iis præſertim, qui Divinæ gloriæ, ut facis, unicè ſtudent. Cæterùm non ignoras in maximè arduis tranſigendis, nihil aliud de ſuo conferre homines poſſe, præter diligentiam, ac voluntatem. Ea de cauſa Apoſtolus beatiſſimus* Paulus *unam rerum plantationem ſibi tribuebat.* Dei *quippe eſt incrementum dare, quod procul dubio tuis etiam rebus benignè dabit, ſi omnia eo, quo par eſt, & ut ſoles, ſtudio incœperis, ac voluntate. Quapropter, ſi me audis, nec magna te terreant, nec parva parvipendas: conſideratè, ac prudenter utraque ſuſcipias, velim, omnium tamen, quæ ſuſceperis, exitum* Deo *permittes: tametſi aliqua ex voto non ſucceſſerint, ne diffidas, ſi ad id moliendum ſtudio Divinæ legis adductum te eſſe intellexeris; ſæpè enim* Deus *pro ſua ſapientia permittit ſervos ſuos magis navos, & induſtrios*

duſtrios in aliquibus aberrare, ut patientia ſua, & majore in Deum fiducia, ampliora Divinæ gratiæ præmia mereantur, ac præterea, ut in rebus ad Deum ſpectantibus diligentiam magis, ac magis acuant, & Chrſtianas virtutes, addito novo ſplendore, perpoliant. Cæterùm jus ſuum unicuique tribues, prout judicaveris, incorrupta fide, adhibitis in conſilium viris prudentibus, & ſpectatæ omnino probitatis, ac fidei. Præterea animi tui candorem ſerva, ut facis, diligentiſſimè, refrenatis terrenarum rerum, ac præcipuè lucri cupiditatibus, quas ſi frangere ſtudioſè pergas, non eſt profectò, cur timeas; adverſa quippe omnia tibi tandem in bonum recident. In his, quæ ad Dei cultum, & infidelium converſionem attinent, diligentiam tuam omnem impende; his enim telis Luſitana res in India defendi debet. Illud etiam ſtudioſſimè cura, ut ſuperfluos ſumptus, luxum, mollicrem veſtiendi cultum, & domeſtici ornatus pompam omnem iſthinc abigas, fortiter, & ſuaviter, tuo, & filiorùm exemplo molliores animos ad priſcam mediocritatem alliciens, & in eos Regia beneficia faciliùs, ac largiùs erogans, quos à vana, noxiaque pompa magis videris abhorrere. Hæc verò vitia, ſi minùs emendare, ac radicitus evellere poteris, ne magnopere labores; quæ enim ſenſim temporis vitio corrupta ſunt, ejuſdem temporis beneficio in integrum reſtitui ſenſim oportet; neque enim diuturnis, & inveteratis vulneribus ſubitaneam facilè invenias medicinam. Perges igitur in ſuſcepto propoſito tenaciſſimè: ita tamen, ut in agendo, tempus, ac perſonas, de quibus agitur, prudenter circumſpicias, & quantum fieri poteſt, utriſque ſervias. Quod ſi præſtiteris, ſpera Deum tua conſilia omnia fortunaturum, tum ad majorem gloriæ ſuæ propagationem, tum ad amplificandam Regis dignitatem, tum demum ad te ipſum me-

meritis honoribus, ut cupis, non mediocriter augendum. Quod autem à me poſtulas, ut ſedulò curem apud Regem de minuendo Præturæ tuæ tempore, quod breviſſimum eſſe velles, non dubito, quin jure, ac merito id poſtules: de hoc tamen, ut mihi quidem videtur, agi apud Regem omnino non poteſt, niſi poſt tuarum adventum literarum, quæ avidiſſimè expectantur, atque utinam feliciſſimo curſu ad nos navigent. Quod autem ſcribis de Alvaro filio, Regem adii, qui optimè erga illum animatus eſt, eumque pro meritis ornare vehementer cupit: verùm, ut ipſe Rex ad te ſcribit, rem totam in proximum annum differre oportuit, eò, quòd hoc anno nulla prorſus expedita cujuſquam negotia mittantur in Indiam. Interea non exiguum in eum beneficium conferri Rex jubet, ut tibi ex Regiis codicillis conſtabit. Cæterùm de filiis tuis curam in me omnem rejicias, velim: faciam ego quidem, eorum ne Rex obliviſcatur, ubi commoda occaſio ſe primùm aperuerit, & in ſpem venio, me, Deo juvante, operam pro Alvaro meam non fruſtra collocaturum; ſcio enim optimam in te, ac filios tuos Regis voluntatem, & tibi omnia velle, quæ cupis. Novit ille quidem egregiè, quàm ſedulò, ac diligenter te, tuaque omnia in publicum Regni ſui bonum, & ornamentum impendas, & initam à te Indiæ adminiſtrandæ rationem ita vehementer probat, ut factum ſibi à te ſatis huc uſqae cumulatiſſimè, palam prædicet. Alphonſum de Rojas, ut à me poſtulaveras, Regi commendavi. Is homini, quòd à te commendaretur, illico beneficium contuliſſet, niſi res differri in alium annum cum cæteris oporteret. Meum erit Regium illi diploma deinceps curare, & ad te tranſmittere. Cæterùm, quæ de eo præclara in epiſtolis tuis nuncias, gratiſſimum mihi facis, nec dubito, quin is, cum ſit Olmedi, Magiſtri ſapientiſſimi germanus fra-

ter, tuoque contubernio familiariſsimè utatur, rectiſſimè vitam inſtituerit. Quæ miſiſti, munera, Indicæ ad me naves attulere: gratiſsima mihi ſunt, quòd à te veniant, tibique pro iis gratias ago, & habeo plurimas. Almeirini VII. Kalend. April. anni MDXLV.

ALOYSIUS PRINCEPS.

Damnâ ab Emmanuele de Lima Surratæ portui illata.

6 Interea Lima Bazaino profectus, ingreſſus noctu fluvium, qui Surratam præterfluit, & marini æſtus acceſſu feliciter provectus, oppidum frequentiſſimum proſpexit, cui fecerant Abaſſini nomen, licèt ibi nemo unus habitaret ex ea gente. Oppidum ad Orientem ſolem in latiſſimam planitiem porrigebatur, & tametſi muris minimè clauderetur, bis mille familias numerabat, quæ tumultuariis quibuſdam aggeribus, nulla verò juſta munitione ſe tuebantur: fretæ fortaſſe, vel quòd ſuorum Dium obſidentium copiis, quaſi clypeo, tegerentur, vel quòd crederent noſtros defenſivo bello occupatos, eum locum non invaſuros. Itaque Lima copias expoſuit, quæ eodem, quo exſcendebant, ordine hoſtem aggrediebantur, majore ſanè virtute, quàm diſciplina. Mauri verò, qui ad expectandos invaſores ſatis animoſi videbantur, ad eoſdem repellendos ignavi terga verterunt, non tam metu Luſitanæ virtutis, quàm ſanguine ſuornm perterriti, qui primo impetu cæſi cecidere. Fugiendo, quàm repugnando plures trucidati: magna quippe cædes à noſtris, & promiſcuè edita: nimirum Luſitanus furor, nullo diſcrimine, vel ætatis, vel ſexus, ferociſſima debacchabatur. Exuſta Limæ juſſu ædificia omnia cum ſupellectile non contemnenda miſerabili incendio conflagravere; cupiditas quippe eo die furori ceſsit. Mauri unius, qui, cæteris trucidatis, vivus ſupe-

ſupererat, amputatæ manus, ut Luſitanæ victoriæ ſignum potiùs, quàm nuncium ſuis aſſerret.

7 Poſt hæc claſsis fluvio egreſſa, cum maritimam oram biduo raderet, venit in conſpectum Antotæ urbis. Florebat ea quidem in primis, tum ædificiorum magnificentia, tum ampliſsimis incolarum fortunis, qui maritimo commercio mirificè in dies augebantur. Incolæ verò, audita finitimorum clade, inito inter ſe conſilio, ſtatuerant, vel domos ſuas tueri fortiter, vel in illis non ignavè mori: adeo æqualiter à miſeris hominibus æſtimantur vita, & fortunæ. Applicitis litori navibus, Lima cum ſuis exſcendit in terram, quam illico Luſitano ſanguine reſperſam vidit; Mauri quippe bellicoſa audacia opperiebantur venientes, ſed martialis diſciplinæ rudes, in exiguos manipulos hac illac diviſi, noſtros, vagis, & incertis ictibus, quaſi tumultuario bello, aggrediebantur, & parem, temerè dimicantes, metum indicabant, quem deinde fugientes declaravere. Lima fugientium in tergo tandiu hæſit cum ſuis, donec in urbis anguſtiis clauſos, & quaſi captos videret. Hic verò parentum pietas, conjugumque, ac liberorum, repreſſa fuga, Mauros ad prælium tanto impetu revocavit, ut tunc primùm cum hoſte confligere ſibi Luſitani viderentur; dimicabant enim paterno amore acriter inſtigati ſegnes in ſua: in conjugum, ac liberorum defendenda vita, ac libertate perſtrenui. Verùm, quòd ea militaris virtus eſſet præter naturam, & ab affectibus potiùs, vel pietatis, vel ignaviæ proflueret, ceſsit pietati timor, nobiſque urbem, liberos, fortunas, & victoriam Mauri reliquere. Sparſo latiſsimè incendio miſerabiliter urbs olim florentiſsima deflagravit; venerat enim in ea loca Luſitanus ad deſtruendum verius,

Antotæ urbis everſio.

riùs, quàm ad vincendum. Major crudelitate cædes fuit; neque enim virginibus è Brachmanum gente lectiſsimis, quas liberali forma, & colore Europæas diceres, pepercit ira victoris: tametſi ſexus, culpæ omnino immunes, formæ pulchritudo cædis immerentes palàm oſtenderet.

Vaſtatis locis compluribus Emanuel de Lima cum Prætoris claſſe conjungitur.

8 In hunc modum everſis oræ maritimæ oppidis celebrioribus, Cambajanum ſinum Lima percurrebat, ſolitudinem ubique faciens, & impreſſa tam altè relinquens cædis veſtigia, ut nec hoſtium ſanguine ſaturari, nec victoria videretur. Majore itaque gloria, quàm ſpoliis ditatus, claſſem recepit, & conjunctis paulò pòſt cum Prætore vexillis apud Inſulam, quam vocant Mortuorum, proxima die, quæ erat VIII. Idus Novembris, Dium navigavit. Expedita omnino navigia incredibili celeritate ferebantur, & bellicis inſignibus ad ſpecioſum terrorem elegantiſſimè inſtructa jucundum intuentibus ſui ſpectaculum exhibebant.

Prætor cum claſſe Dium appellit.

9 Dienſes verò, ubi primùm venientem claſſem proſpexere, dici vix poteſt, quàm liquidæ voluptatis ſenſu permulcerentur; quippe qui poſt tantam Luſitani ſanguinis effuſionem, plenis ad ſe velis navigare pacem viderent, quam non incerta victoriæ ſpes oſtendebat conſecuturam. Explicatis undique Regiis vexillis arx ruinis ſuis oppreſſa, ſumpto iterum lætitiæ vultu, reſpirare quodammodò videbatur. Exploſa Præfecti juſſu tormenta omnia, fauſtum Prætoris adventum gratulatura. Pari ſalutatione à claſſe univerſa reſponſum datum: muſica deinde inſtrumenta tubis, lituiſque permixta harmonico clangore perſonuerunt, perinde, quaſi formidoloſæ diei anticipata ſolemnia celebrarent. Nec ſilebant ipſa Maurorum caſtra, quin immò repetito bom-

bombardarum ſtrepitu Goani Prætoris adventum, vel gratulabantur, vel irridebant.

10 Noctem totam Joannes de Caſtro in mari fuit. Inde Præfectum Dienſem, Garziam de Sà, Emmanuelem de Souſa de Sepulveda, Georgium Cabral, cæteroſque Nobiles conſiliarios ad Prætoriam accerſivit. Iis ſignificavit deliberatum ſibi, fixumque eſſe cum barbaris prælium omnino committere, nec diſſentientium conſiliis, ſiqua eſſent, aures ſe unquam præbiturum: Indiæ Prætorem non ad ſui defenſionem, ſed ad ſumendas de hoſtibus pœnas gladium impugnare: in medium proinde conſulerent, qua ratione hoſtem invaderet. Garzias de Sà Prætoris conſilium non probavit modò, verùm etiam laudavit perquàm copiosè: rationes etiam appoſitiſſimas attulit, quæ gratiſſimæ Prætori acciderunt, tum propter dicentis autoritatem, tum quia ſolido fundamento nitebantur. De ratione deinde conferendi prælii largiſſimè diſputatum eſt, ſtatutuſque communi omnium calculo modus, qui tandiu latuit, dum executioni mandaretur. Poſt hæc Prætor concubiæ noctis ſilentio, exponi in arcem milites juſſit, & muſica inſtrumenta bellicis permixta, addito tormentorum ſtrepitu, perſonare, dum cohortes in terram exſcenderent, ne Rumecanes ſuſceptum conſilium perſentiſceret. Tribus itaque continentibus noctibus Luſitani cum auxiliaribus per funes ſcalari forma connexos tam cautè, & ſine ſtrepitu in arcem aſcenderunt, ut hoſtem omnino fallerent.

In mari bellicum conſilium cogit.

Milites in arcem exponit.

11 Rumecanes verò vicino periculo factus audacior, ſuis undique circumfuſis dixit ſonora voce, fore, ut ſi Prætor acie dimicare vellet, Mauri non, ut antea, per muros, ſed per patentes urbis portas

Rumecanis gloriatio.

in

in arcem ingrederentur: ſperare ſe brevi ad ſacram Prophetæ ædem everrendam, Luſitanis vexillis, tanquam ſcopis uſurum: pugnandum itaque eſſe totis viribus, ac tota animi contentione, pro libertate tot Regum, ac Principum, qui intolerabili jugo Luſitanorum oppreſſi, iniqua vectigalia pendebant, & injuſta, indecoraque ſervitute premebantur: curandas nunc diligentiſſimè corporis vires, ad ulciſcendas, unius diei facili dimicatione, multorum annorum injurias: noſtram in India ditionem, victoriarum ſuarum immenſo pondere ſtare diutiùs non poſſe, ſed brevi ſua ipſa mole ruituram: forrunæ beneficio factum, ut omnes in unum locum Luſitani congregarentur, ut uno, eodemque ictu opprimi faciliùs poſſent. Peracta concione, ut ſuperbæ orationi vim, ac pondus adderet, ſtipendia ſingulis militibus duplicata. Quadraginta bellatorum millia Turcicus exercitus, eoque ampliùs numerabat: ordinum Ductores veterani omnes, ac de gente Turcarum, majoribus ſolito ſtipendiis ad bellum evocati, bellicæque virtutis fama jamdiu ſpectabiles. Venerant paulò antè in caſtra Prætoriani, vulgò Janizari, fermè ad ſeptingentos. Hi, pro inſita genti ſuperbia, dimicare ſeorſim voluerunt, ut Mauris oſtenderent, quorum tandem virtuti victoriam referre acceptam deberent. Militares ſtationes, Rumecanis juſſu, valido præſidio munitæ, nervuſque copiarum ibi diſpoſitus, ubi Luſitanam claſſem milites expoſituram conjiciebat. Hoc modo Turcicus Imperator, tametſi plurimùm ſibi fideret, ac ſuorum virtuti multùm tribueret, militari diſciplinæ deeſſe noluit. Itaque paratus ad reſiſtendum totis viribus, etſi nondum prælii locum, modumque conjiceret, noſtrorum irruptionem intentiſſima cura præſtolatus eſt.

Quantus eſſet Turcarum exercitus.

Et quis ejus ordo.

12 Ex

12 Expoſitis jam in arcem militibus, nondum planè convenerat inter Luſitanos Præfectos, qua tandem ratione hoſtem aggrederentur; alii enim alia ſentiebant, &, quia propoſitæ in utramque partem rationes à fortuito rerum eventu pendebant unicè, nec admitti tutò poterant, nec repudiari ſine notitia futurorum, quorum ignorantia ad unum omnes laborabant. Porrò Garzias de Sà fretus, tum provectæ ætatis, tum maſculæ virtutis, tum clariſſimi ſanguinis autoritate, de prælii neceſſitate, ac commodis graviſſimè diſputavit. At Joannes de Caſtro, indicto ſilentio: *Jacta eſt alea, commilitones*, inquit, *ſuſceptum à me pro communi bono dimicandi conſilium viri fortes æquiſſimo ſanè judicio comprobabunt: inertium, & ignavorum ſuffragia nec curo, nec cenſuram reformido. Qui certamen ſunt otioſè ſpectaturi, ultimum belli eventum expectent, neceſſe eſt, ut de re tota prudenter judicent.* Hæc loquutus, pomeridianas horas in diſponendis ad futurum certamen militibus prudenter inſumpſit, ne mora longior, vel nutantium animos dejiceret, vel ſuſceptam deliberationem diſturbaret. Scaphas ex claſſe univerſa in unum collectas, conſiſtere in anchoris tandiu juſſit, dum edito ex arce ſigno, farti nitrato pulvere tubuli ter in aera mitterentur. Id ubi ſignum ederetur, præcepit naviculariis, ut, quo tempore eruptionem noſtri pararent, eodem &. ipſi, tota contentione, cymbas agerent ad eum locum, ubi noſtros in terram exſcenſuros barbari exiſtimabant: tubis, tympaniſque perſtrepentibus exſcenſionem callidiſſimè ſimularent: lanceas præterea complures in ſummo cymbarum tabulato defigerent, quarum conſpectus fraudi accommodatus, fallere faciliùs hoſtes poſſent: Prætoriam verò, tum loci dignitate, tum

Prælium committere Prætor ſtatuit.

Quomodo aciem inſtruit.

tum ornatus magnificentia, tum Regio vexillo conſpicuam eminere cæteris voluit. Hoc ſanè ſtratagemate, vel parta deinde victoria eſt, vel iter ad eam obtinendam commodiſſimè ſtratum.

Ante prælium alia diſponit.

13 Vix bene illuxerat dies D. Martino Turonenſi Epiſcopo ſacra, cujus ſancti juxtà, ac militis præſentiſſimo patrocinio facilè uti poteramus, cùm in arcis atrium Prætor deſcendit, imperatorio baculo inſtructus, & undique armatus, tanta oris, habituſque majeſtate, ut in eo militari habitu Prætoria dignitas eluceret. Excitata decenter ara, Deo victoriarum arbitro publicè litatum eſt, ad impetrandam contra impuriſſimos hoſtes victoriam. Prætor cum pleriſque militnm epulo Cœleſti, quod cibus eſt fortium, ſumma pietatis ſignificatione refectus eſt. Cuſtos vero ſacræ Franciſcanorum Familiæ, militibus, ſiqui forte in eo prælio decederent, plenariam culparum omnium indulgentiam promerendam Pontificio nomine edixit. Ad hæc Joannes de Caſtro valvas arcis convelli juſſit, & ad parandum pugnaturis jentaculum, tanquam inutilia ligna comburi, ut Imperatoris fiducia, & perfugii in ſummo periculo deſperatio, faciliorem ſternerent ad victoriam viam, & ad pugnam pertinaciſſimè committendam, vel reluctantes pluſquàm gloria, neceſsitas ipſa compelleret: oculis deinde ad circumſtantes cohortes gravitèr circumductis. „ *Eam, adeſte*, dixit, *dimicationem ſuſcipimus, Luſitani, ex qua, ſi fuſi, ac profligati fuerimus, non mediocris in Deum gloria redundabit; quippe qui generoſum ſanguinem pro tutela Religionis, perquàm glorioſè fundemus. Si victores, debellato hoſte, abierimus, incredibilem nobis, ac Regi noſtro utilitatem, & ornamentum parabimus. Præcipuus hoſtium nervus in Turcarum, ac Prætorianorum cohortibus*

Ejus ad milites Oratio.

ſitus

ſitus eſt, qui ſanè omnes, utpote mercede conducti, ad tolerandam utcumque vitam, bellum quærunt, ad eamdem verò conſervandam ab omni dimicationis periculo vehementiſſimè abhorrent. Reliqua exercitus pars variis, diſcordibuſque inter ſe nationibus conſtat, quas, tametſi ſtipendium conjungi in unum cogat, non prohibet tamen, quin diverſa ſentiant, ac velint. Hi profectò nec ſtrenujores ſunt, nec feliciores patribus ſuis, & avis, quos toties bello afflictos, vel fudimus, vel cepimus, vel uſque ad internecionem delevimus. Luſitanum in Aſia Imperium victoriarum noſtrarum glorioſus, ut ita dicam, filius eſt: hoc cum adoleſceret, labore noſtro non minùs audacter, quàm feliciter educavimus: id ipſum robuſtum jam, & perfectum viriliter ſuſtentemus, neceſſe eſt, ut nos deinde per conſequentes ætates, veluti glorioſos periculi ſui propugnatores, poſſit ſeris nepotibus digito oſtendere, & immortalis famæ ſonora buccina commendare. Singulos verò ſi ad prælium fortiter capeſſendum meditata oratione incitare vellem, oblivıſci me profectò oporteret, vos ad unum omnes apprimè ſtrenuos eſſe, ac genere Luſitanos.

14 Et jam copias in aciem educturus ſic diſtribuerat. In prima fronte Luſitani quingenti, totidem ex Malabaria Naires, Canarini ſexcenti collocati, quibus meritiſſimò quidem Joannes Maſcarenhas præfectus eſt; qui enim tot egregiè pericula ſuſtinuerat, illi profectò periculoſior belli alea, quaſi præmium, debebatur. Alvaro de Caſtro quinque Luſitanorum centuriæ traditæ, in quibus Nobiles omnes, ac Claſſiarii Præfecti, qui cum eo venerant, numerabantur. Totidem centurias Emmanuel de Lima ducebat: reliquas ſibi copias Prætor reſervavit, quæ octingentis omnino Luſitanis conſtabant,

Cohortes in majores Præfectos partitur.

additis nonnullis Canarinis, ac Malabaribus.

Claſſis terram invadere ſimulat.

15 Maurorum verò copiæ quotidie magis invaleſcebant; venerant quippe in caſtra recentiſſimè Alucanes, & Mojetecanes cum quinque millibus peditum. Interea Prætor conſtitutum claſſiariis ſignum edi juſſit, quo viſo nautæ, certatim incitato remorum impulſu agiles claſſem egere. Hæc verò litori applicita, tormenta omnia incredibili ſtrepitu in hoſtium ſtationes exploſit, quorum fumo diu navigia latuere: ea de cauſa barbari nihil timentes, quod timeri maximè oportuit, ſed quod timendum ipſi ſibi propoſuerant, neglecto terreſtri periculo, ad maritimum propulſandum citato agmine convolavere; imaginario quippe periculo vehementer ſoliciti, quod ſibi certò imminebat, nec videbant omnino, nec curabant. Eodem tempore, quo hæc ad litus agebantur, Prætor cum ſuis arce egreſſus, paratis ad aſcenſum ſcalis, ad murum properavit. Joannes Maſcarenhas, circumductis per foſſam copiis, aſcendere ſtatuit propè propugnaculum Didaci Lopes de Sequeira. Eòdem unà properavit Antonius Moniz cum ſuis. Is ſcalas, quibus erat in murum aſcenſurus, tribus militibus ſanè ſtrenuis commendavit, qui omnium primi cruentam fecere victoriam, quin ea tandem frui contingeret. Venerant illi quidem in Indiam paulò antè cum Laurentio Pirez de Tavora: nati ſunt in celebri oppido Tranſtagano, vulgò Torraom, & commendatitias ab Antonii matre, fœmina honeſtiſſima ſecum afferebant literas, quæ nonniſi, ſub initium pugnæ redditæ ſunt, quibus perlectis, reſpondit hilari vultu Moniz, ſe nihil officii prætermiſſurum apud Prætorem, ut voti compotes fierent, ſi incolumis ex ea dimicatione exceſſiſset. Ii verò iiſdem penè verbis, ejus favore ea præcipuè

Accurrit eò cum ſociis Rumecanes.

Prætor arce egreditur.

Trium militum Luſitanorum infelix virtus.

die

die indigere ſe reſponderunt, deinde virtute ſua, ac morum probitate, Prætoris ſibi gratiam, & voluntatem conciliaturos: nihil aliud in præſentia rogare, quàm, ut ſuas ſibi ſcalas credere ne gravaretur, quas pro certo haberet, ſe ad ultimum uſque ſpiritum, neglecto quovis periculo defenſuros. Suſpexit Moniz in gregariis militibus, humili loco natis martiales ineſſe ſpiritus, & traditis illico ſcalis ſuis, vobis, inquit, & ſcalas, & famam meam committo. Illas vero ſimul ac admovere muro ſtrenuè connituntur, inopinato bombardæ ictu percuſſi miſerabiliter, diminuto capite, periere.

16 Referre placet hoc loci inuſitatam ſanè, & à ratione perquàm alienam duorum provocationem ad ſingulare certamen, quam profectò omitterem, veluti commiſeratione digniſſimam, niſi illuſtriſſima per ſe eſſet, & ad exemplum poſteritatis idonea. Joannes Manoel, & Joannes Falcao, pari ſanguinis nobilitate, & bellicæ virtutis exiſtimatione, leves quidem ob cauſas, quę prudentum judicio tanti ſunt, quanti æſtimantur, non leviter inter ſe diſſidebant. Itaque, exulceratis jam diu animis, ut ingraveſcenti diſſidio finem imponerent, rem ad arma deducere tandem placuit, ut controverſiam propemodùm inexplicabilem, vel militaris virtus, vel cáſus ipſe dirimeret. Quæſiti de more pugnaturis patroni, qui, minore animi perturbatione rem æſtimantes, periculoſam, ac legibus proſcriptam provncationem ad honeſtiùs certamen traduxere. Prætorem ajebant propediem vela facturum: provocationem ejuſmodi, quæ ſemper crimini verti ſoleat, futuram eo tempore perniciosiſſimi exempli: qui ſic pugnarent, eos militaris edicti ſevèriſſima promulgatione, capite omnino plectendos: Joannem de Caſtro tametſi mo-

Novum provocationis genus ad ſingulare certamen.

ribus ſuaviſſimis Pater omnium videretur, re vera patrem non eſſe, nec crimen paterna benignitate diſsimulaturum: levibus eum culpis ignoſcere facilè: inſigniter tamen reos, & plus æquo audaces ſeveriſsimè puniturum: ſatius profectò eſſe, & honeſtius, ſi læſi honoris dedecus in eo loco ſarciretur, ubi pro communi re vitam periculo objicerent: rem facili negotio tranſigi poſſe, ſi uterque ſtatuerent, eum in ſingulari, ac communi certamine prævalere, qui prior, ac majore virtute in hoſtilem murum aſcenderet: novum hunc certandi modum non modò vacare culpa, ſed & honeſtiſsimum eſſe, & laudem cum præmio promereri. Placuit utrique conſilium. Uterque ad ſcalas ſuſtentandas, conſanguineorum, amicorumque imploravit opem; videbant enim ſe non pro publica tantùm, ſed pro ſua præcipuè fama decertaturos. Uterque, admotis ſcalis, eodem tempore, ac niſu in murum aſcendere conatus eſt. Prior tamen Joannes Manoel admovit muro manum: admotam hoſtes præcidere: profert illico alteram: reſcinditur: truncis tandem lacertis, qui unicè ſupererant, uſus pro manibus, dum murum complecti pugnaciſsimè nititur, capite diminutus occubuit. At Joannes Falcao, cum eodem tempore murum invaſiſſet, & ſtrenuè ſuperaſſet, illatis cæſim plagis, quas nulla arte, aut vi declinare potuit, vitam concluſit. Uter ex his majore fiducia, ac virtute depugnaſſet, diverſa extitere militum ſtrenuorum judicia: mihi quidem uterque laude dignus videtur; neuter enim cumulatiùs honori ſuo poterat providere; ambo ſiquidem ad honeſtiſsimam ejus tutelam omnia impenderunt.

Quid agat in prælio Dienſis Præfectus.

17 Interea, applicitis muro ſcalis aſcendere Maſcarenhas cum ſuis cœpit adeo fortiter, ac feliciter,

ter, ut plerique, tametſi barbarorum lanceis ſumma vi repellerentur, perrupto reſiſtentium agmine, murum ſuperarent. Glorioſum iis quidem extitit feſtinato aſcenſu reliquos prævertiſſe: id ipſum tamen magno periculo fuit; quippe qui compulſi fuerint totum Maurorum impetum tandiu ſuſtinere, dum commilitones in auxilium venirent. Quàm verò præclara extiterint in ſuperando muro belli facinora, colligi poteſt ex ipſo corporis habitu, quo pugnabamus. Mauri quidem ſuper murum fixo, Luſitani verò fallente in ſcalis veſtigio, & penduli dimicabant. Alvarus de Caſtro, & Emmanuel de Lima, alii aliò ſubeuntes cum ſuis in murum evaſerunt damno ſanè majore, quàm cæteri; quippe qui in validiorem Maurorum manum inciderint. Cæſi nonnulli, dum ſparſim, & neglectis ordinibus depugnarent: ubi verò in juſtum agmen coivere, commodiorem, tutioremque ſubeundi locum ſuis fecerunt.

Quid agat Alvarus de Caſtro.

18 Prætor verò longè majus in aperta, ac lata planitie periculum, quàm, in ipſo aſcenſu expertus eſt; rectà nimirum ad pontem contendit, qui magna barbarorum manu, & libratis in ſubeuntes tormentis defendebatur. Porrò pontis expugnatio, magnum erat ad victoriam momentum, tametſi id ipſum periculoſæ plenum aleæ videretur. In illum tamen aperta vi Prætor cum ſuis impetum fecit. Hìc enim verò ſingularis noſtrorum virtus enituit: ſed caſus miraculo propior effecit, ne nocere nobis bombardæ poſſent; eæ quippe ignem non concepere, tametſi Mauri ſemel, iterum, ac tertiò accenſos funiculos nitrato pulveri admoverint. Noluit tamen Cœlum, quod à nobis pugnabat, totam ſibi adſcribi victoriæ laudem. Turcicæ quippe cohortes ad pontis propugnationem undique confluentes, perpetuis

Prætoris periculum in ponte.

Miraculo liberatur.

tuis ferrearum fiſtularum diſploſionibus, effuſaque miſsilium telorum procella, ac præcipuè incendiariis ollis noſtrorum impetum mirificè retardarunt. Et jam complures plumbearum glandium vim incredibilem non ferentes terga vertere: quò intelligeremus, ut ego interpretor, quàm ignavi ſumus, & imbecilles, quando noſtris dumtaxat viribus pugnare nos Deus aliquando permittit. Itaque, ſtrenuiſſimis depugnantibus, fugam inertes arripiebant. At Joannes de Caſtro bellica virtute nulli ſecundus, militari verò prudentia primus, in confertiſsimam hoſtium aciem, cum paucis ſuorum, qui ſequebantur, ferociſsimè invadens ſonora voce, *Victoriam, Luſitani, victoriam*, clamat, *Turcæ jam fugiunt*. Quæ ſanè vox feliciter, puncto temporis, latè diſſeminata, fugientes hàc, illàc Luſitanos in prælium revocavit: hoſtes verò, vel timore perculſi, vel nimis creduli ſenſim referentes gradum, quaſi victi forent, ſtationem ſuam reliquere. In hunc modum imperatoria vox non modò pugnam reſtituit, ſed primus fuit ad victoriam gradus. Hìc noſtri magnam, perinde ac ſi viciſſent, cædem edidere, verique ſpeciem induit, quod per fraudem dumtaxat jactabatur. Prætor autem nullam permittens fortunæ moram, pugnæ locum omnem imperterritus permeabat, et, quia nullam victoria temeritatem, nullumque timor conſilium patiuntur, tametſi hoſtilibus copiis undecumque cingeretur, victorem ſe ubique proclamavit. Et jam quàcunque ferox Luſitanus excurreret, effuſiſſimo curſu Mauri fugiebant, indemnes quidem, ſed omnino perturbatis ordinibus. Demum ex parte Prætoris victoria potiti ſumus, antequàm juſto prælio dimicaremus. Prætorem omnium primum in hoſtilem murum aſcendiſſe, omnes,

Victoriam clamat.

Et ſtrenue promovet.

omnes, qui ſub eo militabant, nemine diſcrepante, conſtantiſſimè aſſeveravere: unus ipſe contra ſe teſtimonium dicens ſincerè affirmavit, eam laudem Laurentio Pirez de Tavora, qui prior aſcendiſſet, omnino deberi. Noluit itaque pulcherrimi facinoris gratulationem admittere, quæ alteri deberetur; facilius quippe erat viro forti gloriam acquirere, quàm invidere.

Quid dicat de Laurentio Pirez.

19 Nunciata ſuorum fuga Rumecanes, Turcica legione ſtipatus ad ſuſtinendum, vel frangendum victorum impetum, quanta maxima potuit celeritate advolavit, et, quia numero copiarum tantoperè prævalebat, retardata noſtrorum ferocia, prælium exæquavit. Diu, multumque incredibili utrinque pertinacia pugnatum eſt. Dejectum ſemel, atque iterum Regium vexillum: quod ubi Prætor animadvertit, iræ vehementer impatiens, *Heus*, inquit, *Luſitani, quid agitis? Victoriam vobis eripi è manibus, Regium vexillum auferri impunè patiemini?* vix ea: cùm cetra protectus, cui ſagittæ duæ adhuc hærebant infixæ, imperioſiſſima voce, & exemplo tantos timidis militibus animos addidit, ut ii, facto in Mauros ferociſſimè impetu, referre ignominiosè gradum cogerent, & terrore præeuntium poſtremos etiam ordines in fugam agerent.

Reſiſtit victoribus Rumecanes.

Prætor per ſe dimicat.

20 Inter hæc Alvarus de Caſtro, & Emmanuel de Lima, conjunctis in unum cohortibus, tam ſtrenuè dimicabant, ut non tam militum ſuorum, quàm hoſtium invidiam mererentur. Horum præcipuus impetus extitit in Alucanem & Mojetecanem, præcipuos Turcarum Præfectos, qui ſtrenuè repugnantes ancipitem diu victoriam noſtris effecere. Gladii, ſolumque, fuſo largiſſimè ſanguine, tingebantur: inconditus barbarorum clamor periculum quodam-

Hoſtium ſtationes expugnaſſe, & à quo.

dammodò geminabat, confuſuſque pugnæ atrociſsimæ horror ita miſeros à ſenſibus abducebat, ut complures mortis priuſquàm vulnerum ſenſum caperent. Ceſſit tandem bellicæ Luſitanorum virtuti numerus, barbarique poſt incredibilem ſuorum cædem ſtationem deſeruere. Pari virtute, ac fortuna Joannes Maſcarenhas Juzarcanem fudit, & diſcedere loco tandem coegit. Rumecanes verò primo infortunio major, eodem animo, ac prudentia ſupremum interritus expectavit. Igitur in aperto loco copias iterum ad pugnam explicuit, neceſsitatene, an fiducia ductus id conſilii caperet, incertum eſt; quippe in tanto militum numero, licèt hoſtium timor ſe proderet, acceptum tamen in prælio damnum non agnoſcebatur. Quia verò, ſiqua gravior calamitas ingruat, fortunam potiùs, quàm nos ipſos incuſamus, ideo Rumecanes, noxiorum ſiderum indignationem à ſe deprecaturus, ſuperſtitioſis clamoribus, quos noſtri exaudierunt, ſæpè ſæpius vociferans, ſe expiavit.

Rumecanes in aperto loco aciem reſtituit.

21 Porrò Joannes de Caſtro, ne illuſtriſsimæ diei felicitatem infructuoſa mora corrumperet, diſperſam ſuorum paucitatem collegit, & ad pugnam inſtruxit: tradita deinde Alvaro filio primi agminis præfectura in hoſtem irruit. Barbari falcata acie Luſitanos præſtolati, utrumque cornu paulatim explicuere eo conſilio, ut eos undecumque circumdarent. Alvarus verò, perinde quaſi ejus dimicationis famam omnem adſciſcere ſibi uni vellet, tam alacriter in hoſtem invaſit, ut primus omnium vulnera infligeret barbaris, & per confertiſsimam aciem, viam ſibi ſtricto gladio parmatus aperiret. Primum aggredientium impetum barbari admodùm impigrè ſuſtinuere, ſed totam atrociſsimi certaminis molem non feren-

Eum Prætor cum filio invadit.

Eum Alvarus fundit, ac fugat.

ferentes, turbatis tandem ordinibus gradum retulere. Noſtri verò confuſam barbarorum aciem penitus perrumpentes, fuſas cohortes cædebant veriùs, quàm ſequebantur. Sed Rumecanes coacta ex Mauris, ac Prætorianis nova legione, victoribus impigrè obſtitit: hi porrò dum tergo fugientium inconſultiùs imminent, diſperſi hac illac militarem diſciplinam, vel obliti penitus ſunt, vel neglexere.

Iterum Rumecanes in prælium redit.

22 Hìc profectò nihil propiùs factum eſt, quàm ut Alvarus cum ſuis omnino funderetur; abeuntibus enim in diverſa militibus refrenandæ hoſtium ferociæ propemodùm facultas deerat: ea de re ſtationem amiſeramus, inclinante ad hoſtem victoria, quin poſſent imperioſæ Alvari voces fugientes ſiſtere, & ad ordines revocare: tam anceps, & varia eſt belli fortuna, ut à minimis quandoque pendeat. Hìc enim verò Antonius Caſalenſis ex ſacra S. Franciſci familia, quem noſtri ſcriptores religioſa conſtantia præditum in primis fuiſſe tradunt, propoſita militibus Chriſti cruci affixi imagine, pia, ac nervoſa oratione caſtigare eos cœpit, & efficaciſſimè ſuadere, ut, receptis animis, prælium redintegrarent, & effigiem ſanctiſſimam infidelium contumeliis eriperent. Hæc dum loqueretur, lapis hoſtili funda temerè emiſſus Crucifixi Domini brachium percuſsit, et, emoto clavo, fecit, ut indecore penderet. Inclinata noſtris ad ferendum opportunè auxilium effigies ſanctiſsima, barbaris ad contumeliam collapſa videbatur. Itaque Luſitani Divina graviùs, quàm ſua ipſorum injuria, damnoque permoti, tametſi Præfecti ſui neglexiſſent imperium, illatam Creatori ſuo contumeliam non ferebant. Illico priſtinos ſpiritus reſumunt: reſtitutis ordinibus in unum coeunt: vires inſtaurant, hoſtemque ita ferociter premunt,

Alvari conſtantia, & periculum.

Frater Antonius Caſalenſis Crucifixi imaginē Luſitanis oſtendit.

Animos Luſitani recipiunt.

munt, ut inſtrumenta potiùs, quàm autores victoriæ viderentur. Rumecanes tandem cum ſuis fuſus receptui cecinit, Alvaruſque fugientibus mixtus in urbem patentibus portis invectus eſt, obſtantibus magis occiſorum corporibus, quàm reſiſtentibus vivis, qui jam nullo modo ſe tuebantur.

Receptui canit Rumecanes, & Alvarus cum Mauris urbem ingreditur.

23 Eòdem venit Emmanuel de Lima in maritimis, ac terreſtribus præliis æquè ſtrenuus. Is cum ſuis impigrè hoſtilem aciem perrumpens, conjunctis tandem cum Alvaro ſignis, cruentam in miſera urbe cædem edidit. Mauri verò fuſi, diſperſique fugiendo veriùs, quàm reſiſtendo ſalutem quærere cogebantur. Prælium in depopulationem verſum: barbari timore correpti nihil hoſtile præſeferebant, nec quidquam audebant. Complures in ſuas abditi domos pretioſiora victoriæ eripiebant, quia occultabant: projiciebant alii arma indecorè, ne fugientibus oneri forent. Ingreſſus etiam ex alia parte cum ſuis in urbem Maſcarenhas glorioſum illuſtriſsimæ obſidioni finem impoſuit.

Item Emmanuel de Lima.

Item Dienſis Præfectus.

24 At Prætor adhuc in acie cum barbaris dimicabat, de ſuorum victoria ſolicitus, certus ſuæ: cùm nunciatum eſt, urbem in noſtram veniſſe poteſtatem. Rumecanes autem cum octo millibus armatorum non mediocrem attulit victoriæ moram, inſtar militaris cuniculi, qui hàc, illàc, pari ſemper cum ſtrepitu, ac periculo inopinatus erumpit. Ordines porrò ita inſtruxit, ut novum præſtolari, vel offerre prælium videretur: tam multis nimirum copiis abundabat, ut collectæ ex multiplici clade reliquiæ ad juſtum rurſus bellum ſufficerent. Egrediebantur urbe tunc temporis Alvarus, Maſcarenhas, ac Lima, partam de hoſte victoriam Prætori gratulaturi: ecce tibi, novam Rumecanis aciem vident,

Prælium reſtaurat Rumecanes.

nec

nec tam hoſtium multitudinem mirantur, quàm celeritatem. Prætor verò, ne dilatio dimicationis timori tribueretur, eodem penè ſpiritu, quo primò pugnaverat, rurſus in prælium deſcendit. Partito tres in acies exercitu, duas hinc, inde in hoſtium latera invehi juſſit, tertiam ſibi reſervavit in prima fronte pugnaturo. Hoc itaque ordine initum prælium. Primum ſanè impetum Rumecanes deſperanter magis, quàm fortiter ſuſtentavit, ſed, quia timor, ac diffidentia jam pridem animo inſederant, militeſque minùs dicto audientes Imperatorem ſuum inviti ſequebantur, Mauri paulò poſtquàm leviter reſtitiſſent, victi, fuſique prælio exceſſere. Non negaverim ego quidem Rumecanem, tum in promovenda obſidione, tum in hoc capeſſendo prælio, tum in reſtauranda ſuorum acie, perſtrenuum juxta, ac militaris diſciplinæ apprimè gnarum ſe oſtendiſſe: ſed in maximis infortuniis, tametſi quis ſapientia ſua mereri facilè famam poſſit, conſequi tamen pro libito non poteſt. Funditur à Prætore.

25 Igitur explicare vix aciem Mauri in fronte cœperant, Prætor torrenti ſimilis, qui eò violentior fertur, quò validiùs reprimere tentaveris decurrentem, barbaros juſtæ defenſioni jam impares omnino fudit, ac profligavit. Magna jam ſine prælio cædes edebatur. Mauros, quòd fugerent, non quòd reſiſterent, hoſtes crederes. Porrò ſiquam adhuc integram hoſtium manum noſtri viderent, eam illico aggrediebantur: Mauri verò, ut aggredientium declinarent impetum, relictis è veſtigio ordinibus à ſe ipſis dividebantur, & æquo, vel etiam majore periculo à ſuis, quàm à noſtris fugiebant. Projiciebant alii arma, ne hoſtium ſpeciem præberent, timentes, ne, ſi armati apparerent, refricata nobis Victoria potiuntur Luſitani.

 inju-

injuriarum memoria ad vindictam provocaremur. Uno verbo in ejuſmodi luctuoſiſſima tragædia omnes perturbati animi affectus, quibus veſtiri timor ſolet, exhibebantur. Rumecanes autem ſimul ac perditis, ac profligatis rebus nihil ſpei reliquum vidit, ſplendidiore veſte depoſita, humilem induit, ac fortunæ parem: deinde, ut ſe victoris iræ ſubduceret, inter cadavera occiſorum jacens delituit. Lapis tamen haud quaquam in hanc ſpem miſſus mortem jacenti attulit, & à triumphi ludibrio demum eripuit. Hujus ſanè homicidii laudem permulti ſibi tribuebant, quemadmodum Galbæ tempore factum accepimus, cujus interfectores ſupra numerum ipſum vulnerum, ut Romana prodit Hiſtoria, memorati ſunt. Noſtra etiam ætate in hoc Luſitaniæ Regno exemplum contigit narrato perquàm ſimillimum.

Moritur Rumecanes.

26 Mirabitur fortaſſe quiſpiam, quòd præcipua hujus prælii facinora præterierim. Factum id à me de induſtria noverint, velim; difficile enim exiſtimavi, aliquos cum laude commemorare, quin aliis compluribus injuriam irrogarem. Militarium itaque Præfectorum laudes obiter dumtaxat attigi; id enim, & ſanguinis reverentia, & muneris claritas poſtulabant. Præterea in tanta atrociſſimi certaminis perturbatione quis poſſit omnia ita ſingulatim, ac diſtinctè perſequi, quin à vero prorſus diſcedat? Porrò qui in eo prælio deſcribendo minutiſſima quæque ſunt conſectati, vel incognita nobis monumenta eruiſſe in lucem oportuit, vel rem totam perſpicacioribus oculis introſpexiſſe. Quod citra omnem mendacii ſuſpicionem affirmare certò poſſumus, illud eſt, ejuſmodi facinus ſanè illuſtriſſimum extitiſſe, & ejus temporis Luſitanos mirum in modum apud omnes nationes illuſtraſſe, quorum memoria nobis etiam

etiam glorioſa eſt. Et, niſi mea me opinio fallat, dicere mihi videor jure poſſe, Dienſem expeditionem omnium, quas in Aſia geſſimus, fuiſſe glorioſiſſimam; neque enim unquam obſidionem periculoſiorem ſuſtinuimus, nec atrociorem pugnam pugnavimus.

27 Hoſtilium copiarum numerus iniri certò non potuit: alii alia tradunt: non defuere quidem certè, qui affirmarent, ſexaginta peditum millia Rumecanem ſub ſignis habuiſſe: verùm ne ipſi quidem Mauri, qui capti ſunt, æſtimare jacturam ſuam potuerunt. Ut ut fuerint, tam inſignis extitit utriuſque exercitus inæqualitas, ut victorum fama longè, latèque diſſeminata orbem univerſum impleverit. Exteri certè ſcriptores majore plauſu, quàm nos ipſi, Dienſem victoriam celebravere. Quòd ſi Luſitania eam grati animi erga ſuos ſignificationem imitaretur, qua Romanum Imperium illuſtria ſuorum promerita celebravit, Joannis de Caſtro glorioſa facinora, vel inſculpta coloſſeis ſignis nobis hodie legenda proponeret, vel aureis characteribus inſcriberet, ad æternam ſæculorum omnium memoriam duraturis. Verùm tanti viri promeritis non reſpondiſſe præmia comperimus, ea fortaſſe de cauſa, ut ſumma Joannis virtus, conſueta virorum illuſtrium calamitate, idoneo præmio defraudata creſceret deinde magis, ac magis apud poſteros. Immortalem tamen nominis ſui famam Joannes conſecutus eſt, quæ quibuſcumque præmiis nobilior eſt, & nullo temporis morſu corrumpetur. Victoriam illi Aſiæ Principes ſumptuoſiſsimis legationibus ſunt gratulati. Eum Senatus, populuſque Goanus in gratulatoriis epiſtolis præclaro Ducis cognomento cohoneſtavit, ſive dignum tali honeſtamento Joannem exiſtimaret,

Quis fuerit hoſtium numerus.

Orientales Principes Joanni de Caſtro Victoriam gratulantur.

maret, ſive eum ſibi Ducem imponi perpetuò cuperet. Eundem Sereniſſimus Luſitaniæ Rex Joannes ejus nominis tertius Indiæ Proregem nominavit. Reliqua ſanè victoriæ præmia cum Joannis cineribus conſepulta omnino crediderim; ad poſteros enim nihil aliud translatum eſt, quod hæreditarium dici poſſet, præter ampliſſimum gloriæ patrimonium, quod adhuc durat ad inſignem commendationem generoſæ poſteritatis.

Victoriæ ſpolia.

28 Porrò collecta à Prætore Dienſis victoriæ ſpolia, quæ Regio fiſco ceſſerunt, fuere vexilla permulta, bellica tormenta majoris molis ad quadraginta, in quibus illud eſt, quod in arce S. Joannis Olyſipponenſi adhuc ſervatur, & à loco, ubi captum primò eſt, Dienſis bombarda nominatur. Urbem militibus diripiendam Prætor permiſit, nec ſibi quidquam prorſus reſervavit, Orientalium divitiarum conſtantiſſimus repudiator. Hac Luſitani Imperatoris temperantia, aliiſque, ut reor, virtutibus permoti Mauri affirmarunt, eum divinitus ad conſerendam pugnam, fuiſſe adjutum. Virginem quippe ſpecie pulcherrimam in ſummo templi tecto ferunt apparuiſſe, cujus ipſi ferre ſplendorem minimè potuiſſent, & à qua martiales ſibi in pectore ſpiritus extincti penitus viderentur; qua de cauſa partim reverentia, partim timore compulſi arma projeciſſent. Id ego quidem prodigium fide non indignum exiſtimaverim, ſi Imperatoris noſtri pietatem, & cauſæ juſtitiam perpendam. Quinque Maurorum millia trucidata, in quibus Rumecanes, Alucanes, Acedecanes, aliique permulti, ex Turcica gente, notæ ſtrenuitatis. Ex Luſitanis triginta deſiderati, trecenti propemodùm ſaucii.

Urbis depopulatio.

Deus Luſitanis benigne favit in hoc prælio.

Quot ex Mauris perierint.

Quot ex Luſitanis.

29 Prætori verò ad paucos dies otio victoriæ frui

frui licuit; graviſſima quippe cura premebatur inſtaurandæ arcis, immò verò à fundamentis ædificandæ. Id ſanè ædificium tota contentione maturari neceſſitas poſtulabat: ſed ſumma erat operis perficiendi difficultas; ſumptus enim tam diuturni belli Regium non modò ærarium exhauſerant, ſcd fructus omnes à vectigalibus redituros pignori ita obligaverant, ut nomina vix poſt diuturnam pacem expediri commodè poſſent. Prætor verò, neglectis incommodis, quæ inde oriri facilè poterant, novæ arcis ædificium ſine mora inchoari & longè diverſa deſcriptione, ab ea, qua primùm fuerat ædificata, muniri voluit; ſiquidem ex militarium architectorum ſententia ampliari circuitum, muros craſſiores ædificari, propugnacula ipſa minore inter ſe ſpatio disiuncta extrui juſſit. Quæſitus etiam novis apothecis de integro excitandis idoneus locus, ad commeatus, ac bellicum apparatum diu, ac ſine damno conſervandos; veteres enim, quòd eſſent in humido loco ædificatæ, quæcumque reponebantur, facillimo negotio corrumpebant. Numerata ſanè pecunia opus erat ad neceſſaria cæmenta coemenda, quæ præterea tranſvehi ſine pretio omnino non poterant: architecti, fabri murarii, cæteræque operæ conſueta ſibi dari ſtipendia poſtulabant. Porrò eſcaria vaſa, neque aurea, neque argentea, neque adamantes poſſidebat Prætor, quibus ad ædificandam arcem uti poſſet: itaque ad petendam pecuniam mutuam, alia quæſivit longè diverſi generis pignora, quibus valorem mira hominis fides ſummum faciebat, natura nullum. Oſſa Ferdinandi filii tumulo erui juſſit, ut ea Goanis civibus inuſitatiſſimo more oppignoraret, ſed, quia nondum ſatis exeſum erat cadaver, præciſos barbæ pilos non paucos Goam miſit, quibus

Dienſem arcem Prætor reficit.

Barbæ pilos pignori tradit, ut à Goanis pecuniam mutuam ſumat.

bus pignori traditis, viginti millia nummûm, vulgo Pardaos, à Goanis mutua petivit. Novam ſanè, & admirabilem juvandæ patriæ rationem Joanni de Caſtro ſingularis in rem publicam charitas dictavit, quam illuſtriſſima illa antiquæ fidelitatis exempla, Decii, Curtii, Fabiique penitus ignorarunt, quorum tamen intactam adhuc memoriam inter ruinas Imperii ſui ſuperba, vel dum jacet, Roma non miratur modò, ſed colit. Epiſtolas ad Senatum, Populumque Goanum unà cùm pignore dedit in hunc modum.

SENATUI POPULOQUE PRÆNOBILIS AC SEMPER FIDISSIMÆ URBIS GOANÆ JOANNES DE CASTRO S. D.

Ejus ad Senatum Goanum epiſtola.

SUperioribus diebus literas ad vos perferendas tradidi Simoni Alvarez, civi veſtro, quibus victoriam nunciabam, quam, Deo dante, retuleram de exercitu Regis Cambajæ: labores tamen meos, & non mediocrem inopiam, qua mirum in modum premebar, conſultò prætermiſi, ut ſincerum omnino victoriæ guſtum perciperetis. Non eſt tamen, ut mihi quidem videtur, ulteriùs diſſimulandum; oportet enim laborioſam ſolicitudinem meam vobis indicare, & auxilium implorare veſtrum ad cœpta difficillima perficienda. E Dienſi arce, præter fundamenta, quæ & ipſa multis in locis labefactata ſunt, nihil ſuperfuit omnino reliquum: veteris muri ne unus quidem palmus idoneus eſt, quo deinceps uti poſſimus. Itaque non modò reædificari arcem de integro oportet, ſed ita muniri fortiter ad normamm ilitaris architecturæ, ut ejus in poſterum expugnandæ ſpe Mæmudius omnino excidat. Præter hæc, maximam moleſtiam, & mihi vix ferendam creant perpetuæ, & importunæ Laſcarinorum querelæ,

læ, ſtipendia ſibi quotidie depoſcentium, daturum me omnino ſpopondi; ſi enim negarem, ad unum omnes, relictis ſignis, aliò dilapſuros certò ſcio: quod ſi contingeret, id ipſum cum mihi, tum Indiæ univerſæ perincommodum ſanè eſſet, ac maximè periculoſum; ſiquidem Cambajæ Regis Præfecti, collectis copiarum ſuarum reliquiis, Sunæ, quæ octo paſſuum millia à Dienſi arce vix diſtat, caſtra locavere: præterea ad ſupplendas, augendaſque copias, novæ quotidie peditum, equitumque centuriæ mittuntur à Rege, qui novo prælio fortunam belli periclitaturus rurſus videtur. His præcipuè de cauſis, cum non mediocri pecunia indigeamus, hanc ſummi beneficii loco mutuam petere à vobis cogor. Itaque, & quòd Regia res in hoc agatur, & quòd vobis perhonorificum ſit, ut boni, ac fideles clientes ſolent, Regi veſtro in extrema neceſſitate ſubvenire, veſtro, ac patrum veſtrorum laudatiſſimo more, pro mea demum in vos incredibili benevolentia, etiam atque etiam poſtulo, ut mutua mihi viginti millia Pardaum mittatis. Hæc vobis ante exitum hujus anni, obligata Equitis fide, promitto, et, tacto Sacrorum Evangeliorum codice, ſanctè juro, me omnino reſtituturum: tametſi permulta ſint, & quotidie creſcant incommoda, quibus providere Regium ærarium neceſſariò debet. Cadaver ego quidem filii mei non ita multò antè pro Rege in hac arce miſerabiliter interfecti, eo conſilio refodi juſſeram, ut illius oſſa vobis oppignorarem: ſed, quòd exſiccata tabes nondum ſit, erui tumulo omnino non licuit. Quapropter, cum mihi nihil ſuperſit reliquum, quod poſſim pignori tradere, præter barbam meam, hanc ipſam tradidi Diduco Rodriguez de Azevedo ad vos perferendam; neque enim, ut arbitror, ignoratis, nihil à me auri, nihil argenti facti, ſignatique, nihil aliud quidquam pretioſæ ſupellectilis, ni-

hil agri à me poſſideri, quod pro fortunis veſtris ſpondere poſſim. Nuda mihi dumtaxat, ac ſimplex veritas eſt, quod mihi Deus Optimus Maximus magni patrimonii loco largitus eſt. Verùm, ut credendæ mihi pecuniæ ſolutio certior ſit, et, nequis dubitet, ſe fortunis ſuis, quas Regi mutuas dederit, ſpoliandum, ut ſæpè factum accepimus, mandamus ærarii Præfecto, ut in incluſa literis noſtris ſchedula videre eſt, ut quidquid pecuniæ de equeſtribus vectigalibus redibit in poſterum, totum vobis erogandum tandiu curet, quoad tota debiti ſumma extinguatur. Qua verò ratione hæc ſolutio fieri debeat, vos ipſi cum illo tranſigetis. Ornata ſanè oratione utendum mihi non arbitror, ut vobis exaggerem laborem meum; nimirum ob cauſas ſupra memoratas pro certo habeo, omnia vos libentiſſimè præſtituros, non modò quantum vires veſtræ patientur, ſed etiam, quæ mea eſt de vobis fiducia, ſupra vires. Id mihi ſpondet non modò ſingularis veſtrum omnium virtus, ſed etiam cum veſtra in me, tum mea viciſſim in vos omnes benevolentia. Valete.

Dii IX. Kalend. Decemb. MDXLVI.

Barbæ pilos Goani remittunt.

30 Simul ac nuncius Goam venit, literaſque à Prætore Senatui tradidit, ſumma omnium ordinum voluntate, erogata eſt pecuniæ ſumma largiùs etiam, quàm petebatur; lætabantur quippe omnes, eum ſibi à Deo Prætorem contigiſſe, qui, cum imperare poſſet, rogare eos mallet, quos tam ſtrenuè defendiſſet. Miſſa verò ad ſe ab Joanne honeſtiſſima pignora remiſerunt, quæ etiam nunc ſervantur apud Illuſtriſſimum Franciſcum de Caſtro Joannis nepotem, Epiſcopum ſanctiſſimum, & Generalem in Luſitania contra hæreticam pravitatem, Inquiſitorem. Is venerandas generoſi avi reliquias chryſtallina pyramide eleganter incluſas impoſuit argenteæ baſi, in qua diſti-

Apud quem hodiè ſervantur.

diſticha nonnulla incidi juſſit, quæ memoriam facinoris illuſtriſſimi ingenioſè poſteris refricarent, ut ii ex conſpectu depoſiti præclariſſimi, hæreditario veluti jure Joannis in ſe virtutes tranſcriberent. Unà cum pecunia miſſæ ſunt literæ ad Prætorem in hunc modum.

IMPERATORI FORTISSIMO ET PRÆTORI INDIÆ ILLUSTRISSIMO SENATUS POPULUSQUE GOANUS SALUTEM AC FELICITATEM.

SenatusGoani ad Prætorem epiſtola.

DIe Lunæ oct. Idus Decemb. Didacus Rodriguez de Azevedo Goam venit: proxima die tuas, Prætor Illuſtriſſime, ad nos epiſtolas reddidit, cum in Senatu eſſemus, quæ ſumma omnium voluptate recitatæ ſunt, quòd de tua ſalute nunciarent, de qua frequentiores à te nuncios cupidiſſimè expectamus; cupimus enim ad unum omnes, & noſtra, & reipublicæ cauſa te bene valere. Quapropter Deo bonorum omnium autori gratias ampliſſimas agimus, noſtro, tuoque nomine, & in ſpem certiſſimam venimus, Beatiſſima Dei Matre Patrona noſtra adjuvante, nos, & quotquot præterea in India vivimus, quique te Ducem noſtrum, & Gubernatorem agnoſcimus, nunquam Divino auxilio carituros propter egregia merita, ac ſingulares virtutes tuas, quæ caſtiſſimos mores tuos, Catholico homine planè dignos probant, ac prædicant. Hac ſanè ſpe, te Prætore, ſecuri vivimus, quam nobis fiduciam mirificè auxit nuperæ victoriæ glorioſiſſimus nuncius, qui ad nos perlatus eſt. Hanc bellicæ prudentiæ tuæ, conſilio, virtutique acceptam referimus. Tibi uni debet Dienſis arx, quòd à tam diuturna, ac maximè periculoſa obſidione ſit liberata. Tuo labore, & induſtria numeroſiſſimus Cambajæ Regis exercitus, qui non tam Dienſium, quàm noſtris cervicibus ferociter imminebat,

bat, fuſus eſt, ac profligatus. Auxiliares præterea Cambajæ copiæ, quas locupletiſſimis autoribus, qui prælio interfuere ſupra viginti militum millia fuiſſe novimus, in quibus Mauri, Turcæ, Rumes, Coraſones, & quod pejus eſt, impuriſſimi Chriſtianæ fidei deſertores Germani, Veneti, Ligures, Galli complures, aliique diverſarum gentium numerabantur, magnam partem ferro, & igne dicuntur abſumptæ, omnes turpiſſimè in fugam actæ. Hæc tua ſingularia in nos, remque publicam promerita non obſcuro nobis indicio ſunt fore, ut deinceps, Deo juvante, nihil præterea periculi timeamus: tametſi Cambajæ Rex novos delectus habeat, & belli ſocietatem ineat cum finitimis Regibus, ac Indiæ Dinaſtis, qui re vera hoſtes Luſitani nominis capitaliſſimi ſunt, quibuſque alio præterea nomine fidendum omnino non eſt; quippe qui Ethnici cum ſint, ac Religioni noſtræ valde adverſentur, firmam nobiſcum pacem habere nequeunt, & non ſimulatam modò, ſed & infidam nobiſcum habent amicitiam. De pecunia, quam à nobis Regio nomine mutuam petis, reſpondet Civitas facturam ſe in præſentia ac deinceps, ut Regi non deſit, cui non modò fortunas, ſed liberos, famam, atque adeo vitam ipſam conſtantiſſimè devovemus. Noveris præterea, Prætor Illuſtriſſime, eam eſſe omnium mentem, ac voluntatem, ut tibi libentiſſimè obſequamur, cum Regis, cujus in poteſtate omnes ſumus, interſit plurimum, petitam credi pecuniam. Itaque, ex qua die Didacus Rodriguez literas tuas reddidit ad hanc uſque diem, quæ eſt VI. Kalend. Januar., in id tota contentione incubuimus. Tota, quæ colligi potuit, pecuniæ ſumma facit viginti nummûm millia, quos Pardaos vocamus, ac præterea centum quadraginta ſex. Hos Goani cives, Brachmanes mercatores, aurificeſque Regi mutuos tradidere. Cæterùm pro certo habeas honeſtiſſimos Goæ

cives

cives ad unum omnes libentiùs tui cauſa fortunas omnes, ac vitam impenſuros, quàm ſi de re noſtra, ac fama ageretur. De pignoribus verò, quæ ad nos miſiſti, non mediocrem fideliſſimis civibus injuriam irrogas, quorum fidei videris profectò minùs fiſus, quàm oporteret. Cum de Regis, Regiæque Ditionis commodis ageretur, ſupervacaneum omnino fuit, tam honeſto pignore fidem nobis tuam obligare; noſtra quippe in Regem egregia fides, ac voluntas, ac præterea neceſſitas ipſa calamitoſiſſimi temporis, tua demum in nos promerita, ac benevolentia ſingularis, qua civitatem noſtram complecteris, facere per ſe debuiſſet, ut Regiis commodis omni ſtudio, & contentione ſerviremus. Quamobrem propter hanc tuam in nos voluntatem, aliaque permulta, quæ tibi planè debemus, manus tuas demiſsè exoſculamur publicæ felicitatis conſervatrices. Deum præterea rogamus enixè, ut valetudinem tuam præſtet incolumem, teque meritis honoribus ornatum velit, ac demum illuſtribus contra hoſtes Fidei Chriſtianæ victoriis augeat. Didacus Rodriguez, cui tradidiſti, tua tibi pignora reſtituet, pecuniamque mutuam unà cum Bartholomæo Biſpo, Urbis noſtræ procuratore, nomine Goanorum civium tradet, ac numerabit. Iidem ad te perferent mandatum, quod ad Ærarii Præfectum dederas, ut nomina de Regiis vectigalibus expediret; petimus enim à te etiam atque etiam maximi beneficii loco, ut pecuniam accipias, tanquam à fideliſſimis clientibus miſſam, exiguum ſanè pignus futuram noſtræ in te, ac Regem Sereniſſimum voluntatis. Vale.

Datum in Goana Curia VI. Kal. Januar. MDXLVI.
Ego Aloyſius Tremeſſanus Senatus Goani ſcriba deſcribendam curavi, ac meo nomine Epiſtolam ſubſcripſi ex tradita mihi facultate.

Petrus Godinho: Joannes Rodriguez Paez,

Ro-

Rotericus Goncalvez : Rotericus Dias .
Georgius Ribeiro : Bartholomæus Biſpo .

Arcis ædificium Prætor maturat.

31 Inter hæc novum arcis ædificium ſtrenuè promovebatur, tanta cum artificum, tum mercenariorum contentione, ac voluptate, ut mirum in modum creſceret. Præſcripto tempore, famulorum, militumque ſtipendia tam fideliter numerabantur, ut omnes jure mirarentur, Regium ærarium uni Prætori exhauſtum, ſibi verò pleniſſimum inveniri. Præter pecuniam à Goanis mutuò traditam Matronæ etiam, ac virgines ultro ad Joannem gemmas miſerunt, quibus ad oſtentationem vanitatis, ac divitiarum nobiles fœminæ uti ſolent, quo ex munere nihil ſibi rependi oportere exiſtimabant: ut intelligamus, quantò validiùs incitentur populi ad liberalitatem erga Principes ex virtutibus, quàm ex tyrannide gubernantium.

Cambajæ bellum continuat.

32 Dum hæc agerentur, Emmanuel de Lima, juſſu Prætoris ad perluſtrandam, incendendamque Cambajæ maritimam oram cum triginta navibus profectus eſt, ut intelligeret Sultanus, Luſitanos, vel poſt victoriam, vindictæ cupidiſſimos eſſe. Edixerat tamen proficiſcenti Prætor, ne Gogam urbem invaderet; nunciatum quippe fuerat Cambajani reliquias exercitus eò ſe, tanquam in locum tutiſſimum recepiſſe. Porrò cum Lima in eo ſinu navigaret, ubi eum priſtinæ fortunæ benignitas expectabat, diebus non ita multis poſtquàm ſolverat, exorta fœdiſſima tempeſtate, ut claſſem præſentiſſimo periculo ſubduceret, in ipſum Gogæ portum ſecedere coactus eſt, qui ex Prætoris mandatis adiri omnino non poterat. Igitur Gogani, quibus adhuc recentiſſimi periculi ſpecies obverſabatur, ſimul ac Luſitanos, à quibus nuper profligati fuerant, proſpexere, reli-

Emmanuel de Lima maritimum bellum adminiſtrat.

Gogam urbem contendit.

relicta urbe, fugam capiunt: nec modò inermis populus, ſed ipſi milites per ſummam incuriam ad interiora Mediterraneæ regionis ſe ſe recipiunt. Stabat in anchoris Maurica navis, quæ ad Zamalucum, Luſitanorum ſocium pertinebat. Hæc, edito procul ſigno, noſtros admonuit, ut in urbem irrumperent. Id verò, tanquam belli ſignum Lima interpretatus, iræ impatiens, naves ad pugnam inſtrui jubet: verùm, dum arma expediuntur, animadvertit civibus ſpoliari urbem, populumque univerſum ad montem, qui erat ex adverſo, occupandum, turmatim ruere; ſperabant enim Gogani, cum loci diſtantia, tum aſperitate, venientium impetum ſe facilè evaſuros. Tunc enimverò intellexit Lima, quò editum à Maurica nave ſignum ſpectaret: ſed incertus, quid conſilii caperet (pulchra enim expugnandæ urbis ſe aperiebat occaſio: ea verò ne invaderetur, vetabat Prætoris edictum) rem ad bellicum conſilium referre ſtatuit. Hìc (quia apud ſtrenuos milites gloriæ fortiter promerendæ ſtudium mandatorum omnium interpres plerumque eſſe ſolet) communi ſuffragio ſtatutum eſt, ut in urbem impetus fieret: ajebant enim Prætoris mandatis novos, & fortuitos caſus minimè comprehendi; neque enim poterant ad unum omnes provideri: Prætorem ipſum, ſi adeſſet, primum omnium in terram exſcenſurum. Conſilium ſine mora executioni mandatum. In urbem, nemine propemodùm reſiſtente, Lima cum ſuis invectus eſt. Milites ad votum præda ditati. Quæcumque verò populantium cupiditas contempſerat, ignis abſumpſit, qui ſpatio breviſſimo publica, ac privata ædificia cum lauta ſupellectile in cinerem miſerabiliter vertit. Illatum hoſtibus damnum victoria ipſa majus fuit. Capti Limæ juſſu tres ex impuriſſima eorum ſe-

Eam depopulatur, & incendit.

ſecta, quos Banjanes vocant. Hi noſtris ſignificavere, eos omnes, qui ex urbe Goga trepidi profugiſſent, in proximo monte deliteſcere. Decreta eſt fugitivorum aggreſſio, ut communem calamitatem experirentur. Iter noctu ſuſceptum ductu captivorum, qui coacti miſere ſunt, cives, amicos, conſanguineos, & filios ipſos victori tradere. Itaque die vix dum illuceſcente, qui ſe tutiſſimos in mediterraneis exiſtimabant, Luſitanos enſes priùs experti ſunt, quàm venientes viderent. Cædes indiſcriminatim editur. Non ſexui, non ætati, non indigenis, non extraneis parcitur: ſontes, inſonteſque trucidati, vel ſui, vel alieni criminis pœnas pendunt acerbiſſimas. Ab hominum cæde ad falſæ Religionis injurias factus eſt tranſitus. Permulti in nefariis templis, & in conſpectu impiorum ſimulacrorum ſuſpendio adacti; quod ſanè crimen apud Ethnicæ ſuperſtitionis doctores inexpiabile habetur. Boves ex finitimis pagis abductæ, ac mactatæ, quarum ſanguine Idolorum ſacella, ac fana, lucique, ac fontes aſpergebantur. Porrò Boves, Ethnici, quòd juxta Pithagoræ placita, animorum poſt mortem ſedem eſſe arbitrentur, abominabili, ac ſuperſtitioſo cultu venerantur.

Navem conſcendit, & periclitatur in mari.

33 Hac patrata cæde, impoſitis in naves militibus, Lima Cambajæ ſinum perluſtrare iterum cœpit, ubi, pacatiſſimo mari parum abfuit, quin victricem claſſem amitteret; tanto enim impetu in eo loco fluunt, ac refluunt undæ, ut hoc unum ſatis, ſuperque ſit ad validiſſimas naves lacerandas. Ægrè quidem, ſed tamen ultrà provectus, Gandaram urbem proſpexit, Ethnicis mercatoribus frequentiſſimam, commercio locupletem, ſed incolarum ignavia maximè debilem. Vix in eam factus eſt à noſtris impetus,

Gandaram urbem evertit.

tus, capta eſt, & incenſa. Indigenæ cæſi miſerabiliter omnes; tametſi fortunas ſuas offerrent ultrò victoribus, ut vitam redimerent, quam tamen neque repugnando, neque cedendo, tueri potuerunt. Ira quippe, ſeu potius inhumanitas ferocientium militum, ſanguini avidiùs, quàm ſpoliis inhiabat. Multa præterea loca in eodem ſinu latè vaſtata, cujus miſerabilia veſtigia, ruinis ad multos annos extantibus, impreſſa perduravere. Incolæ ſuorum cædi ſuperſtites in intima Regni abdidere ſe ſe, ubi pauperem quidem, ſed tutam vitam exigerent.

Dium revertitur.

34 At Lima, ſumpta, quam diximus de Mauris pœna, cum claſſe Dium ſe recepit, ubi Prætorem invenit arcis ædificium tota contentione maturantem, cujus præſentia mirandum in modum creſcebat opus; eum enim cum varia reipublicæ cura Goam revocaret, arcem apprimè munitam relinquere vehementiſſimè cupiebat. At Joannes Maſcarenhas præteritis laboribus, vel fatigatus, vel ſatur, Dienſis Præfecturæ tempore nondum expleto, ſuo ſe munere ſponte abdicavit; eo quippe anno renavigare in Luſitaniam ſtatuerat, merita fama apud ſuos, & in patriæ ſinu fruiturus. Hominem ab eo conſilio deterrere Prætor ſatagebat, prudenter timidus, ne à cæteris quoque ejus arcis adminiſtratio rejiceretur; recentiſſima quippe victoria, & commercii perturbatio; honoris, lucrique ſtimulos omnes abſtulerant, quæ maxima ſunt ad flectendas hominum voluntates incitamenta. Perſtitit tamen in ſententia Maſcarenhas, certus navigandi cum Laurentio Pirez de Tavora: qua de cauſa compulſus eſt Prætor novum Dienſi arci Præfectum quærere. Id ſanè munus complures nobiles recuſaverant, ab eo tot inſignibus victoriis conſpicuo loco abhorrentes,

Dienſi Præfectura abdicat ſe Joannes Maſcarenhas.

non alia fortaſſe de cauſa, niſi, quòd famæ ſuæ periculum vehementer timerent, ſi clariſſimo viro ſuccederent. Lima verò, ſive, ut Prætori blandiretur, ſive, quòd pluſculùm ſibi ipſi fideret, rejectam ab omnibus Præfecturam non invitus admiſit.

Eam acceptat Emmanuel de Lima.

35 Interea Joannes de Caſtro Goam profecturus, itineri neceſſaria expediebat, cumque ſecretis nunciis reſciviſſet, Cambajanas naves per maritimas Poris, ac Mongaloris oras vela facturas, ad eas in reditu oppugnandas, miſit Antonium Moniz cum juſta claſſe. Is redeuntibus obviam factus, feliciter expugnatas Dium deduxit. Opulenta ſanè præda Regios non mediocriter ſumptus imminuit, & ærarium ditavit. Porrò Cambajæ Rex, multiplicis, graviſque jacturæ dolore commotus, barbara, ac pertenui vindicta maximas, quas à nobis acceperat, injurias remenſus, Luſitanos duos, quos apud ſe jure belli captivos habebat, tametſi nullius omnino culpæ reos, interficiendos curavit.

Antonius Moniz complures Cambajæ naves expugnat.

Accepta damna barbarè ulciſcitur Cambajæ Rex.

36 Dienſibus rebus feliciter conſtitutis, Luſitanam in India Ditionem novis cœpit fortuna caſibus commovere. Ex Armuzianis literis nunciatum his Prætori fuerat, Mahometem As-Enam noſtri amiciſſimum à valido Turcarum exercitu Baſſorenſi urbe ſpoliatum. Implorabat is valida Luſitanorum auxilia, ut noſtris auctus copiis, communi hoſti opportunè reſiſteret. Proſpiciebat ſanè Prætor, pro ſua prudentia, quantum nobis immineret periculi ex peſſimæ gentis vicinia, cum qua ſi in ampliſſimo terrarum orbe ſimul, ac pacificè vivere vix poteramus, quantæ profectò belli contentiones, ac ſimultates exiſterent, ſi finitimam nobis ſedem figere pateremur? Permultùm intererat Baſſoram recuperare, quæ non leve fundamentum erat ad majora, quæ

Armuziani nuntii.

jam-

jamdiu animo agitabamus. Hujus ego quidem urbis fidelem, ac brevem notitiam attexam. Baſſora, quæ à veteribus Teredon nominabatur, urbs eſt Arabiæ felicis, quatuor ſupra viginti gradibus diſtans ab Æquatore ex parte Boreali, incolis frequentiſſima; quippe quæ familias numeret ad quater mille: parvo intervallo disjungitur ab Euphrate, diſtat Armuzia leucis ferme ducentis, quadraginta Babilone. Baſſoram ſiquis Armuzia proficiſcatur, commodiſſimum iter eſt ſecundùm maritimam oram Perſidis, quæ opportuniora jaciendis anchoris habet loca, & aquationi commodiſſima. Inſulam Mauri incolunt, & Turcis mirum in modum adverſantur non alia de cauſa, niſi, quòd (tametſi utrique Mahometem colunt) Secta diſcrepant; ritus enim, ac cæremonias Perſarum ſequuntur, quibus Cacodæmon impuram Mahometis hæreſim in diverſo à Turcis vaſe propinavit. Hic Turcæ caſtra munivere, & vicinam Arabiam partim armis, partim beneficiis occuparunt, novo Baſſoræ Principe conſtituto, quem, cum ex antiquis Arabum Regibus originem traheret, putabant genti ſuæ gratum, Turcis fidiſſimum extiturum. Hac liberalitate, amicitiæ ſpeciem præſeferentes, inſitam dominandi cupiditatem callidiſſimè occultabant. Ei porrò, quem Turcæ Regem ſalutaverant, quid juris eſſet ad Regnum, ſcriptores alii fusè admodùm narrant. Id ego prudens prætermitto; arbitror enim ejuſmodi narrationem legentibus inſuavem futuram, & ab inſtituta hiſtoriæ ſerie perquàm alienam.

Baſſoræ urbis deſcriptio

In ea Turcæ ſe muniunt.

37 His de cauſis ad Armuzianam arcem adminiſtrandam mittere Prætor decrevit Emmanuelem de Lima, ad quem ex Regia deſtinatione, Emmanuele de Sylveira proximè defuncto, ejus ſucceſſio

Emmanuel de Lima Armuziam contendit.

muneris pertinebat, modò recipere in ſe vellet Turcici belli adminiſtrationem, quod erat conſuetum onus honeſtiſſimæ Præfecturæ. Limæ diſceſſu, rurſus ſine Præfecto Dienſis arx eſſe cœpit, tanquam lapis a ſuiſmet ædificatoribus reprobatus. Ex proceribus certè nemo unus inveniebatur, qui muniendæ arcis neceſſarium laborem vellet ſuſcipere, poſtquam Joannes Maſcarenhas gloriam ſibi omnem ex Dienſi periculo meſſuiſſet. Utinam ætate noſtra militaria, civiliaque munera eaſdem ob cauſas appetantur in India, vel rejiciantur! Ægre ſanè Prætor ferebat rejici ab omnibus munus honeſtiſſimum, ac recentibus victoriis omnino conſpicuum. Quod ubi Maſcarenhas animadvertit, Prætori ſe obtulit ea conditione, ut hyemale dumtaxat tempus in ea Præfectura tranſigeret. Placuit id Joanni de Caſtro mirum in modum, dixitque, Maſcarenham pro muro futurum Dienſi arci, dum munitio ad deſtinatum exitum perduceretur. Verùm, ut intelligamus, quàm pronus eſſet Joannes de Caſtro ad aliorum famam pro viribus nobilitandam, referre hic placet datam ab eo ad Alvarum filium epiſtolam, cum Joannes Maſcarenhas Goam profecturus dicebatur, ut in Luſitaniam inde navigaret. *Goam proficiſcitur Joannes Maſcarenhas, vir ſanè, ut Mauri, Ethnicique prædicant, honeſtiſſimus, & apprimè ſtrenuus: nec ego quidem diſſentio, qui, cum Chriſtianam legem profitear, genuinæ veritatis ſum amantiſſimus: fateor itaque ſummam in eo virtutem bellicam extitiſſe; nimirum in tam multis dimicationibus, quas paulò antè obivimus, nunquam à meo latere diſceſſit. Is cum Goam veniat in Luſitaniam rediturus, peto à te etiam, atque etiam, immò pro patria poteſtate jubeo, ut eum eadem excipias honoris, ac benevolentiæ ſignificatione, qua*

Dienſem Præfecturam iterum ſumit Joannes Maſcarenhas.

Quid de eo ſcribat ad Alvarum filium Joannes de Caſtro.

me

me Prætorem, ac Patrem exciperes. Apud alios divertere nullo modo patiaris, velim: itaque apud te non invitabis modò, ſed coges. Id enim, ac multo plura meretur vir ampliſſimus, quem paulò pòſt in Indiam renavigaturum confido, ad emendandum virtute, ac ſapientia ſua, quidquid à me in mei muneris adminiſtratione peccatum eſt. Scriptis præterea ad Luſitaniæ Regem ampliſſimis literis, de uniuſcujuſque promeritis fusè diſſeruit: ſua, ac ſe ipſum dumtaxat miro ſilentio præterivit, gratiſſimum ſe aliorum honeſtè factis oſtendens, ſuis ingratum.

Quid ſcribat ad Regem de Luſitanis, qui Dium propugnavere.

38 Rebus apud Dium ita conſtitutis, Georgium de Menezes cum ſex navigiis Cambajanum ſinum percurrere per reliquam æſtatem juſſit. Poſt hæc Mauris, Ethnicisque omnibus per finitima loca diſperſis, edicendum curavit præconis voce, licere per ſe, ut in Dienſem urbem redirent prò libito, ſiqui vellent: juſtitiam ſe omnibus æquo jure adminiſtraturum, facturum non modò, ut homines, & commercia tuta eſſent, ſed præterea, ut pace priſtina, ac libertate frui poſſent. Ethnici (ut ſolet veritas à bellica virtute pretium accipere) perfugium à Luſitanis armis, ac ſanctionibus facilè quæſiverunt. Magna mercatorum vis ex finitimis locis Dium confluxit ad negotiationem non modo ſtabiliendam, ſed etiam augendam; tutior quippe, & opportunior ad mercaturam ea pax putabatur, quæ tunc primùm ex proximo, & atrociſſimo bello oriebatur.

Prætor in ora maritima Cambajæ Georgium de Menezes eſſe jubet cum ſex navigiis.

39 Goam itaque rediturus Prætor navem conſcendit, meritiſſimis celeberrimi illius emporii acclamationibus à nupera victoria profectis, excipiendus. Proſpero Paucorum dierum curſu portum tenuit, quò illi obviam proceſſere unà cum Goano Epi-

Goam redit, & inviſitur à Gubernatoribus Goanis in mari.

Epiſcopo, urbanæ militiæ Præfectus, & publicæ rei adminiſtratores. Rogatus ab his eſt, ut tantiſper in Pangino vico ſubſiſteret, dum civitas triumphi pompam appararet, quo Prætorem ſuum excipere conſtituerat, ne Goanum populum, vel barbarum omnino eſſe, vel ingratum terrarum orbis ſuſpicaretur: id verò honoris ajebant non ambitioni victoris, ſed gloriæ Luſitani nominis unicè impendi: victoriarum fructum in Reges, famam in Clientes redundare, quam ſi aut repudiare vellet, aut negligere, tunc enimverò oblatum virtuti præmium pro libito non admitteret.

Decernitur illi à Goanis triumphus.

40 Hac popularis gratiæ tam officioſa ſignificatione expugnari ſe facilè paſſus eſt Prætor; quippe qui probè intelligeret, integrum ſibi non eſſe, triumphi pompam rejicere, quin injuriam iis omnibus irrogaret, quorum opera triumphum meruiſſet: nimis præterea ſeverum videbatur populari gaudio in communi omnium felicitate limites importunè figere, cum & præſentis fortunæ proſperitas excuſare poſſet, ſi paulo largiùs feſtivis jocis indulgeretur, veterumque Cæſarum probatiſſimo exemplo victorem deceret triumphali tantiſper otio vacare. Triumphus itaque ad decimum ſeptimum Kalend. Majas indictus, qui primus, ac poſtremus fuit, quo Luſitana virtus celebraretur, famam ita lucrari ſolita, ut debitis famæ honeſtamentis, ac præmiis plerumque careat. In nundinario foro, cui à vicino D. Catharinæ Sacello factum eſt nomen, extruendum curaverat Goana Civitas, ad Mandovæ fluminis ripas, ligneum aggerem peramplum ſanè, ac magnificum, Perſicis undecumque ſtratum tapetibus, unde molliùs exſcendere in terram Prætor poſſet. Ampliata urbis porta, & ad muri altitudinem

Triumphi apparatus.

exæ-

exæquata. Mœnia ipſa bombicini panni ſpiſſiores, aureis floſculis ſplendida eminentia interſtincti adeo ſcitè, ſuperbèque veſtiebant, ut nihil ad magnificentiam, nihil ad elegantiam addi poſſet. Huc illuc villoſa holoſerica varii generis, ac coloris interponebantur, ut aurum ſplendori, colorum luſus voluptati ſerviret oculorum. In ſummæ portæ lateribus leones duo auro illuminati duo ſcuta ſuſtentabant, ubi gentilitium Caſtriæ familiæ ſtemma ſemper illuſtre, nunc verò triumphans videbatur, ſcitiſſimis coloribus adumbratum. Prope ligneum aggerem, quem ad fluvii marginem diximus conſtitutum, diſpoſitæ in quincuncem arbores gratiſſima umbra calorem Solis ita mitigabant, ut diem non impedirent. Roſtratis navibus, gaulis, celocibus, myoparonibus, triremibus, phaſeliſque è vicinis Inſulis undique confluentibus, & ad omnem lætitiæ ſignificationem affabrè inſtructis contegi quodammodò mare videbatur. In ampliſſima Prætoriani palatii platea arx munitiſſima, quæ Dienſem referret, excitata eſt: complura illic bellica tormenta collocata, nitrato dumtaxat pulvere gravida, aliaque permulta ludicrorum ignium artificioſa machinamenta, quæ horrorem Dienſis obſidionis non ſine ſpectantium voluptate exhiberent. In eadem arce canentium ſuaviſſimè, ſaltantiumque ad numeros chori claudebantur, triumphantis laudes concordi vocum diſcordia, & multiplici chorearum luſu celebraturi: neſcias tamen, utrum magis auribus ſuaviſſimus muſicorum concentus, an Epiniciorum laudatiſſimus ſtylus blandiretur. Viarum ornatus ad orientalis opulentiæ magnificentiam pari luxu, ac varietate ſplendebat. Bombicinæ telæ, tametſi ſplendidæ, & ſumptuoſæ, quòd nihil auri, argentique inter-
tex-

textum oſtenderent, contemnebantur. Civium verò Goanorum ornatiſſimæ, ditiſſimæque veſtes, perinde quaſi non unus dumtaxat, ſed univerſus populus triumpharet: nec minor ſane futurus erat plauſus animorum, ſi patere civium corda potuiſſent; quippe hæc publicæ lætitiæ ſigna non à ſuperbia, vel imperio triumphantis extorta fuerant, ſed à ſpontanea grati animi benevolentia proficiſcebantur.

Urbem Prætor ingreditur.

41 Movit à Pangino vico Prætor, impoſitus lembo ad omnem elegantiam ita magnificè inſtructo, ut à cæteris navigiis ornatu ipſo diſcriminatus in oculos intuentium ſtatim incurreret. Ibant cum Prætore ſeniores Proceres, qui unà ad Dienſem expeditionem profecti fuerant: antea laborum ejus, ac periculorum ſocii, nunc verò gloriæ, ac triumphi participes. Præcedebant majores gauli, triremes deinde, biremeſque obligatis ſcitiſſimè velis, & viridantibus ramis tam affabrè conveſtitæ, ut ſpectantibus de litore civibus tremulæ ſylvæ, urbiſque erraticæ ſpeciem referrent. Ubi in conſpectum Goanæ arcis ventum eſt, tanto ſtrepitu tormentorum Regium vexillum, militari more, ſalutatum eſt, ut genuinum bellum, non ludos agi ad excitamentum lætitiæ crederes. Venientem diſploſæ ex arce bombardæ tam ſonorè, ac ſplendidè reſalutarunt, ut nihil à vero prælio diſtare triumphus videretur. Hìc claſſis univerſa in duas quaſi alas diviſa expeditam Prætoris lembo viam reliquit. Ille verò magnificis, & opulentis veſtibus induebatur: tempori nimirum ſerviens, ut egregiè lorica, & galea ad terrorem antea utebatur, ita nunc ad pompæ celebritatem veſtitum induerat elegantiſſimum. Incedebat itaque Imperatorio paludamento protectus.

Erat

Erat id ex ſerico panno denſiore coloris purpurei, tam eleganter phrigionis acu diſtinctum, ut oblongas, & ordinatas, antiquo more, veſtis inciſuras phrigium opus undecumque æquabili luſu interſecaret, & ne militaris vitæ, vel in ipſo triumphi otio videretur oblitus, ſericum thoracem ſuperinduerat laminis in modum ſquammæ contextis ornatum, & argenteis bullis concinnè diſtinctum. Rotundo, & in latum ſenſim creſcente capitis tegumento cum prominentibus pennis varii coloris, more veterum Luſitanorum, utebatur, quod vulgi ſermone *Gorra* dicitur. Gladii ſcutulæ, capulus, crux, aliaque ornamenta ex auro puriſſimo. Diſpoſiti in ligneo aggere venientem opperiebantur militiæ Præfecti cum flore Goanæ Nobilitatis, urbanæque militiæ, quibus ſtipatus cum primam urbis portam ingrederetur, latina oratione à Senatorum diſertiſſimo exceptus eſt. Commemorabat orator militari Joannis virtute, prudentiaque factum eſſe, ut ſuperbiſſimi Regis arrogantiam non ferendam frangeremus, cujus exitium victoris in poſterum famam eſſet egregiè commendaturum. Luſitanam in India Ditionem in tuto collocatam: reſtauratum ejus opera Imperium, ad Chriſtianæ fidei tutelam ſalutariter inſtitutum, & latiſſimè unà cum Evangelii luce propagatum: nunc enim verò Mauros, & Ethnicos tandem intellecturos, Deum noſtrum tot, tantiſque victoriis illuſtrem, non fictam, ut cæteri, ſed genuinam habere Divinitatem. Addebat, Orientales populos poſt multas ætates oſtenſuros navigantibus prælii locum: Cambajanæ cædis memoriam ex uno in aliud regnum ad exteras nationes tranſituram: eamdem parentes filiis narraturos, trepidos adhuc, atque ſolicitos præteriti periculi magnitudine: Luſitana

Senator in urbis porta venientem excipit Latina oratione.

vexilla requieſcere glorioſè poſſe in ſinu pacis poſt victoriam adeo memorabilem. Commemoratis demum, quæ in ejus Prætura contigerant, eruditè, ac copioſè Prætorem laudavit, ita tamen, ut non ad aſſentationem amplificari, ſed diminui potiùs Joannis virtutes univerſo populo viderentur. Latinam orationem muſicorum inſtrumentorum ſuaviſſimus concentus excepit. Bellica deinde tormenta complura lætiſſimo ſtrepitu, glandium plumbearum loco, bellaria varii generis durato ſaccharo condita, procellæ inſtar effudere, quibus, veluti congiario, circumfuſus latè populus donatus eſt. Ad hæc Goani Senatores umbellam magnificentiſſimè ornatam, argenteis hinc inde fulcris ſuſtentantes, medium Prætorem accepere, cui paulò pòſt civis honeſtiſſimus, ac ſummæ apud ſuos autoritatis, venerabunda corporis inclinatione ſubmiſſus, ablato capitis tegumento, triumphalem coronam impoſuit, ac palmæ ramum præviridem obtulit manu geſtandum. Prætorem modico ſpatio præcedebat Cuſtos Religioſæ Franciſcanorum familiæ, oſtendens populo ſacram Chriſti cruci affixi imaginem pendente brachio, quod in Dienſi prælio Mauricus lapis loco dimoverat. Sequebatur Regium vexillum, Chriſti vulneribus inſignitum, quod modò Mauri, Ethnicique novo ſtupore defixi mirabantur. Deinde erepta Mauris vexilla per terram ignominioſè trahebantur ante Juzarcanem, cæteroſque barbarorum Præfectos, qui, revinctis poſt tergum manibus, mæſtiſſimo habitu, fortunæ ſuæ tragædiam exhibebant, triſtiſſimam quidem Mauris, Luſitanis verò lætiſſimam: ſequebatur miſerabile captivorum agmen, ingenti cum ſtrepitu catenas trahentium, qui ad ſexcentos numerabantur. Trahebantur demum

Magnificè excipitur.

Triumphi pompa.

mum curulia tormenta variæ formæ, ac magnitudinis, & barbarica arma, quæ ceſſerant in ſpolia victoribus. Cum in hunc modum triumphalis pompa procederet, Matronæ nobiles, quæ dè feneſtris ſpectabant, odoratas paſſim aquas, ex floribus, & aromatibus diſtillatas in triumphantem largè ſpargebant. Eidem non contemnenda offerebant tributa opifices, qui aurum, argentumque tractare ſolent: quæ ſanè benevolentia non extorta metu, ſed omnino ſpontanea majus quiddam ipſo triumpho videbatur. Templa verò ad omnem elegantiam ornata, feſto æris campani ſonitu prætereunti quodammodo gratulabantur. Ventum eſt tandem ad ſacram D. Catharinæ ædem, quæ Epiſcopi Sedes eſt, & Orientis totius caput, ac quaſi mater, ubi Prætor ab Goano Antiſtite, cleroque univerſo perhonorificè exceptus eſt. Ibi in maxima populi frequentia hymnus in gratiarum actionem cani ſolitus ad modulos eſt decantatus. Oblatis deinde Deo victoriarum arbitro pretioſis muneribus, cæteriſque ritibus omiſſis, quòd in veſperum dies inclinaret, Prætor in ædes ſuas ſe recepit; neque enim unius diei ſpatium triumphi pompam, ac majeſtatem capiebat.

Ad primariū urbis templum Prætor contendit, ubi Deum victoriarum ſuarum autorem fatetur.

Finis Libri Tertii.

VITÆ JOANNIS DE CASTRO INDIARUM PRO-REGIS QUARTI

LIBER QUARTUS.

JOANNE de Caſtro Indiam adminiſtrante, pauci ſanè extitere in Oriente Reges, qui variis, & inopinatis belli tumultibus Luſitanam Ditionem non perturbarent: alii quippe aperta vi hoſtiliter nos laceſſebant, inteſtinis alii diſcordiis invicem agitati, icto nobiſcum fœdere, auxilium implorabant, vel ut pacem autoritate noſtra faciliùs conciliarent, vel ut victoriam, ſociatis armis, conſequerentur. Præter has bellorum cauſas, alias oppidò non paucas ipſa nobis Religio attulit, in cujus tutelam pia frequenter arma ſuſcepimus.

1 In Ceilanum Inſulam, quam eruditi complures Taprobanam veterum eſſe autumant, miſerat Joannes Luſitaniæ Rex nonnullos è ſacra D. Franciſci familia viros, cùm vitæ ſanctitate conſpicuos, tum literis, ac doctrina ſpectabiles, ut verbo, & exemplo Chriſtianam ibi legem diſſeminarent; in hanc enim præcipuè curam Luſitani Reges, pro ſua in Deum pietate, ſemper incubuere, ut, non ſine Aſiæ admiratione, frequentiùs in obſequium veræ Religionis, quàm ad propagandos Imperii fines arma tractarent. Ubi primùm in Inſulam pedem intulere Evangelii præcones, benigniſſimo hoſpitio à Cotæ Rege invitati, ac lautè excepti ſunt, ſtrenuaque eorum opera Divinus iterum Sol in Oriente naſci cœpit. Æthnici porrò cæleſti doctrinæ faciles aures præbebant, cultorumque diligentiæ, & induſtriæ incultum antea, & ſylveſtre ſolum fructu non pœnitendo reſpondebat: infinitis propemodùm ovibus ad Chriſti ſepta confluentibus, quæ paulò antè per impiæ ſuperſtitionis ſaltus miſerabiliter vagabantur.

In Ceilanum mittuntur Franiſcani.

2 Poſt hæc Evangelii miniſtri ad mediterranea Inſulæ penetrantes, Candeæ Regem adiere. Is accepta, quæ offerebatur, cœleſti luce, novis ſe doctoribus non minùs gratum, quàm docilem præbuit. Ab his in præcipuis Chriſtianæ Fidei myſteriis diligenter eruditus eſt, ut robuſtiore deinde fide, ſalutari Baptiſmi lavacro tingeretur. Ille viciſsim, attributa largè pecunia, ſolum deſignavit, cæmenta obtulit ad templi ædificationem neceſſaria: quæ prima fuit in Ceilano arx, quam ad evertendam Idolorum ſuperſtitionem Evangelici conquiſitores ædificarunt; quippe vel nulla omnino Divini verbi ſemina à D. Thoma Apoſtolo jacta ſunt in iis locis, vel, ſi jacta

Chiſtianam Fidē annuntiant Candeę Regi, qui ad eam propenſus videtur.

ꝏa aliquando fructum fecerint, exaruerant penitus: erant Inſulani ſcilicèt Chriſtianæ legis omnino rudes, nec ea ibi aliquando floruiſſe memorabatur.

Inconſtanter ſe gerit in Fidei negotio.

3 Pronus, ac docilis ad ſuſcipienda novæ Religionis præcepta Rex videbatur, ſed nutabat adhuc animi dubius, & in ſancto propoſito minùs conſtans. Cum enim vehementer timeret, ne, mutata religione, ſuorum à ſe voluntates abalienaret, exequi non audebat, quæ audenda planè cognoverat, ne perderet, quod amabat. Arbuſculam diceres infirmis radicibus malè fultam, quæ vento humanæ contradictionis huc illuc agitabatur. Hæc ad ſalutem impedimenta, ſanè non levia ex ejus mente Religioſi viri penitus evellere ſatagebant, affirmabantque futurum, ut, ſi ad aſylum Chriſtianæ Religionis, & in Luſitanorum clientelam ſe conferret, terrenum facilè retineret, & cœleſte regnum lucraretur; Luſitanam quippe rem adminiſtrabat in India Joannes ille de Caſtro, qui ad tutandam Chriſtianam Fidem, ſuum libentiſſimè, ac ſuorum ſanguinem funderet, & amicos omni ope, ac periculo, ſtrenuiſsimè tueretur.

Eum Religioſi in ſuſcepto conſilio confirmant.

Quid deliberet.

4 Placuit id Regi non mediocriter, promiſitque, ſi idoneo à Luſitanis præſidio juvaretur, non modò ſe Chriſtianæ militiæ nomen daturum, verùm etiam facturum, quanto poſſet ſtudio, & contentione, ut ad eadem caſtra clientes ſui, ſe autore, tranſirent. Hac ſpe illecti Evangelii præcones unum è ſuis Goam allegarunt, qui Prætorem de re tota edoceret. Is verò Ethnici Principis ad Fidem converſionem, tanquam rem magni momenti ſtudioſiſsimè urgebat; erat enim paratiſsimus non minùs ad aggregandos Eccleſiæ filios, quàm ad augendam Luſitano nomini materiam victoriarum, Miſit itaque

Prætor ejus converſionē promovet, & ad eum mittit Antonium Moniz.

ſine

ſine mora Antonium Moniz Barreto cum liburnicis omnino ſeptem, præcepitque, ut quaſcumque Luſitanas in itinere naves obvias haberet, eas ad ſe aggregaret.. Dedit etiam ad Candeæ Regem literas honeſtiſsimas, quibus addita varii generis munera non contemnenda. Verùm, ne temporum rationem in narrando perturbemus, interea, dum in Ceilanum navigat Antonius Moniz, Baroci expugnationem referemus.

5 Georgium de Menezes dimiſerat Prætor è Dienſi portu in ſinum Cambajanum, ut ibi hoſtilem in modum, quanta poſſet ferocia, vaſtaret omnia, ut ea clade intelligere Sultanus facilè poſſet, Luſitanos gladios, poſt editas tot memorabiles cædes, adhuc non hebetari. Cepit itaque Georgius onerarias nonnullas, quæ commeatum ad Mauricos portus tranſvectabant, ut quibus gladius pepercerat, eos demum fames abſumeret. Quadam verò die, cum è regione Baroci urbis pomeridianis horis navigaret, ejus magnificentiam ædificiorum miratus eſt, quæ procul intuentibus Europæam elegantiam imitari videbantur. Urbs in eminenti loco ſita lateritiis mœnibus cingebatur, quæ ad ornatum erant, quàm ad munitionem aptiora: apparebant tamen diverſis in locis complura propugnacula, minùs illa quidem ad artem architecturæ militaris exacta, ſed bellicis tormentis egregiè munita, quæ portui ſic imminebant, ut introitus omnes defenderent. In ſumma urbis parte eminebant decumanæ portæ complures ex polito lapide, turreſque haud exiguæ altitudinis, & in domibus feneſtræ latæ & ingentes eleganti ſtructura, quæ omnia incolarum artem, & divitias non obſcurè indicabant. Multæ ibi bombicini operis officinæ, pannique tenuiſſimè texti multa

Baroci urbis ſitus, & munitio.

Madrema-lucus Baroci Dominus.

Noctu Georgius urbem occupat.

ta vis, quæ inde ad alios Orientis portus mercaturæ cauſa aſportabatur. Urbem Madremalucus obtinebat, cui finitimi pagi, frugum feraciſſimi, mediocri ſanè tractu, annuum vectigal pendebant.

6 Indigenas piſcatores cymbæ impoſitos fortuitò noſtri ceperant. Hi porrò interrogati, eam urbis notitiam dederant, quam paulò antè retulimus. Sciſcitanti præterea Georgio, quot eſſent in urbe præſidiarii, reſponderunt, militiam omnem cum Madremaluco Madabam, in aulam Sultani profectam eſſe: paucos dumtaxat opifices, ac mercatores ſupereſſe. Itaque Georgius commodiſſimam nactus invadendæ urbis opportunitatem, tametſi exiguas haberet ſub ſignis copias, & ad ejuſmodi militare facinus ſuſcipiendum minùs idoneas; ſtatuit tamen fortunam periclitari, ut qui bene noſſet bellicos plerumque eventus à caſu pendere. Quapropter, nequam incolis ſuſcepti conſilii ſuſpicionem injiceret, mutato repente curſu, quaſi in altum navigaturus, piſcatores ſecum abduxit, quorum deinde opera uſus eſt, ut portum tutiſſimo loco ingrederetur. Inclinante in veſperum die obverſæ in urbem proræ: milites in litus expoſiti, nullo penitus repugnante; incolarum quippe, ſive fiducia, ſive incuria, nec excubias diſpoſuerat, nec aliud quidquam ad ſui defenſionem paraverat. Itaque noſtri, facto in ignavos, & inermes impetu, obvios quoſque indiſcriminatim cædebant; nocturnæ ſiquidem tenebræ, ſomni torpor, & incredibilis rerum perturbatio faciebant, ut in periculum, quod maximè declinabant, miſeri incurrerent. Errabant igitur temerè, ac miſerabiliter evitantes non minùs hoſtis, quàm ſuorum occurſum, & ab ipſiſmet fugitivis fugientes. Ipſe liberorum gemitus, nec ad commiſeratio-

rationem patres commovebat, nec ad ultionem aliquando ſumendam incitabat; ſubitus quippe timor affectus naturæ validiores omnino extinxerat. Lamentationibus dumtaxat, & ululatu fœminæ agnoſcebantur, quibus nihil ſic erat periculoſum, ac fœmineo more lamentari. Qui domi latebant, tametſi Luſitanorum gladios effugerent, unà cum domibus miſerabili incendio conflagrabant, nec quicquam contra impendentem mortem remedii reliquum inveniebant, præter optionem. Quo tempore facta eſt in urbem irruptio, vaſtata omnia, ac militis direptioni permiſſa. Edita à victoribus pro libito cædes, perinde quaſi ſine hoſte pugnaretur. Spolia verò, ut in tradita jam urbe, diripiebantur; quapropter in hac expeditione adeptus eſt Georgius famam ſine periculo, & ſine hoſte victoriam; nullùs tamen dubito, quin, ſi repugnantes hoſtiliter barbaros nactus eſſet, omnem fortunæ laudem maſcula virtus præripuiſſet. Direptæ urbi injici tandem ignes juſſit, quorum miſerabili incendio plebeii, ac nobiles, privata, ac publica ædificia, & quidquid tandem flammis abſumi potuit, in cineres breviſſimo ſpatio redacta ſunt, quin, aut natura quidquam tot inter ſe diverſarum rerum diſtingueret, aut loci diverſitas ſepararet. Minores bombardæ in naves impoſitæ, majores verò induſtria victorum diſſiluere. Porrò inter Luſitanos bellici hujus facinoris fama tanta cum laude percrebuit, ut, communi calculo, inditum ſit Georgio Menezio cognomentum Baroceníis, quemadmodum olim Carthaginis ruinæ Africani nomen Scipioni fecere.

Et incendit.

Et ab ea cognomentum ſumit.

7 Audito triſti nuncio Malucus, quanta potuit celeritate cum quinque millibus equitum Barocum advolavit: nimis quidem properè ad commiſeratio-

Urbis ſuæ defenſioni ſerò accurrit Malucus.

nem adhuc fumantis excidii, ſerò tamen ad ferendum ſuis, qui jam nulli erant, remedium. Itaque cum videret omnia ferro, & igne ita deleta, ut ne ipſa quidem Baroci ſimilitudo ſupereſſet, iræ impatiens ad Cambajæ Regem reverſus eſt, acerbiorem eidem ſignificaturus recentiſſimi vulneris atrocitatem. Igitur ſuæ urbis excidium apud Sultanum commemoravit, cujus injuria longè major videbatur, quòd ad præteritas cædes hæc, tanquam funeſtiſſimum corollarium, adjiciebatur. Magnum doloris exinde ſenſum accepit Sultanus, novoque jure jurando ſe obſtrinxit, fore, ut majoribus copiis Dienſem iterum arcem aggrederetur, quæ erat quodammodò lapis offenſionis, ad quem maximi, ac florentiſſimi imperii conatus omnes, & impetus frangebantur. Verùm interea, dum Cambajæ odia imaginariæ vindictæ ſpe lactantur, de inſtitutis Candeæ rebus agemus, ubi Evangelicum ſemen ſpinis obſitum, nullo edito fructu, non elanguit modò, ſed periit.

Cottæ Rex à ſuſcipienda Fide Chriſtiana Candeæ Regem deterrit.

8 Audierat Madunes Cottæ Rex quæri à finitimo Candeæ tyranno, ſpecie religionis, quam immutare conſtituerat, Luſitanorum clientelam. Hi verò ethnici cum ad unum omnes avitæ ſuperſtitionis ſint perſtudioſi, ut eum à ſuſcepta deliberatione opportunè revocaret, omni ope, atque opera perſuadere illi ſatagebat, inanium Deorum cultum ad conſervandam Dominationem, non modò utilem eſſe, verùm etiam neceſſarium. Affirmabat enim novæ religionis ſuſceptione, clientes omnes, relicta obedientia, jugum excuſſuros: finitimos Reges arma pro religione ſumpturos: Deos ipſos patrios, qui à tot retro ſæculis Candeæ Regnum florentiſſima Regum ſucceſſione fortunaverant, ab eo tanquam à mortalium ingratiſſimo receſſuros: Indiæ

Præ-

Prætorem mortalium arrogantiſſimum eſſe, quippe qui non pateretur alium à cæteris nationibus Deum coli præter illum, quem cum ſuis ipſe adoraret: negari quidem haud poſſe Luſitanorum ſectam ſua, vel meliorem eſſe, vel feliciorem, ſiquidem victoriarum largitorem Deum colebant: ſibi verò ſatis, ſuperque eſſe, ſi patriis Diis ſerviret, & in qua natus eſſet Religione, in ea vivere pergeret, quin meliores poſteros cuperet, aut florentiorem fortunam, quàm ſui ad eam diem majores uſi fuiſſent: quinam ſciret, utrùm, pietatis ſpecie, Prætor uſurpandæ ſibi dominationis nefarium conſilium moliretur? Qua de cauſa rogare ſe etiam, atque etiam, ac monere, ne in pacatam Inſulam hoſpites admitteret ſtrenuiſſimos, qui nuſquam (ut videbatur) eſſe poterant, quin ubique ſatagerent dominari: tametſi promitterent Luſitani, invecturos ſe in Ceilanum meliorem legem, ac ſanctiores cæremonias, & Candeæ ditionem propugnaturos, omnino ne crederet: quis enim ſanæ mentis inexploratæ advenarum fidei fortunas ſuas, regnum, famam, ſe ipſum tutò permitteret? non eſſe profectò Luſitanos commodi ſui adeo negligentes, etſi pietatem oſtentarent, quin ex remotiſſimis Occidentis regionibus ad occupandam Aſiam navigaverint: exempla porrò ſi quæreret, plura ab iis inveniret vaſtata regna, quàm ſanctis inſtitutis edocta: verum quidem eſſe, Joguios noſtros (ita Chriſtianos Sacerdotes vulgò appellant) ſanguinem pro ea, quam docerent, lege profundere facilè: ſed prorſus ignorari, utrùm id facerent famæ cupidi, an vitæ prodigi? niſi forte in occiduis plagis major, quàm aliis in locis eſſet fatuorum numerus, qui in eo præcipuè inſanirent, ut ſuo ipſorum periculo mundum univerſum docere ambitioſè contenderent:

demum, ſi ſuum Regis, & amici conſilium admitteret, monere ſe, ut venturum Luſitanorum præſidium obtruncaret, quò faciliùs patriis Diis, haud immeritò iratis, quòd advenæ, & ignoto numini poſthaberentur, tandem ſatisfaceret: Luſitanos ultima animadverſione digniſſimos, ſive inſita ſibi ſuperbia Candeæ Regem; docere præſumerent, ſive propagandi imperii cupiditate, ad uſurpandam ſibi florentiſſimam dominationem venirent: offerre ſe illi copias ſuas, ad eam cædem perficiendam, ut communi bono conſuleret, illatamque communibus Diis injuriam ulciſceretur.

Candeæ Rex malo ſuaſori conſentit.

9 Falſis barbari, ac fraudulenti amici rationibus miſerrimus Princeps, qui immane inveterati erroris pondus excutere nondum valebat, non modò faciles aures præbuit, verùm etiam manus dedit: nimirum cæcus adhuc ſuperfuſis Idololatriæ nubibus, illuceſcentis ſibi veritatis ſplendidam lucem non ferebat. Itaque vel incautus, vel coactus, oblatæ ſibi proditionis ſocietatem admittens, indignatus eſt, phrenetici inſtar, contra præcipua ſalutis ſuæ inſtrumenta. Inita igitur ſceleris ſocietate, hoſpitum adventum uterque Regum opperiebantur, certi omnino patrandæ cædis, quam animo deſtinaverant.

Iter Antonii Moniz.

10 Interea Antonius Moniz Goa profectus, diverſis in portubus alias Luſitanas naves reperiens, juxta Prætoris mandata, omnes ad Claſſem adjunxit. Superato Comariæ promontorio, latenteſque Manariæ ſcopulos feliciter prætervectus, Baticalum appulit, ut inde, terreſtri itinere in Candeæ regnum contenderet. Ex duodecim liburnicis, quibus univerſa claſſis conſtabat, centum ſupra viginti lectiſſimos bellatores eduxit, quibuſcum terreſtre iter ingreſſus eſt fiduciæ plenus: quippe qui ad ſocium, & ami-

& amicum Principem properabat, beneficiis jam obſtrictum, ac tametſi nondum planè fidum, gratum certè, ac benevolum Myſteriis novæ legis, qua à noſtris ſacerdotibus imbuebatur. Verùm ſimul ac Candeam pervenit, cum ibi omnia tumultuoſo armorum ſtrepitu perſonarent, non potuit inſtituta proditio tam cautè tegi, quin ſe oſtenderet. Igitur de iis, quæ agitabantur, Antonius Moniz pluribus, nec obſcuris indiciis certior factus, fraudem detexit, & ex eo præcipuè inſidias ſibi parari ſenſit, quòd Rex ſatageret, quæſito fraudi colore, Luſitanos dividere, ut diviſos faciliùs, & pro libito opprimeret. Aucta præterea ex eo ſuſpicio, quòd hoſpites à Regis conſpectu excluderentur; timebat enim Rex vehementer, ne ex repentinis affectibus, quos tegere difficillimum eſt, prava conſcientia, vel culpam ſuam proderet, vel timorem. His Moniz de cauſis egreſſus urbe cum ſuis, impedimenta, quæ ſecum duxerat, comburi juſſit, ut copias haberet expeditiores, ſive ad defenſionem, ſive ad regreſſum.

Candeam veniens, mutata omnia deprehendit.

11 Advocatis deinde in concionem militibus: *Non ignoratis*, inquit, *amici, ac commilitones, paratas vobis inſidias ab infidiſsimo Rege, cujus in tutelam, & obſequium veniſtis: niſi mea me opinio vehementer fallit, non clanculum jam, & per cuniculos, ſed aperta in nos vi perfidus eſt irrupturus; novam enim ad nos palàm aggrediendos cauſam nunc habet, poſtquàm fraudem ſuam nobis in aperto eſſe intellexit. Itaque nemo noſtrum vitam retinebit, niſi eam diligentiſsimè tueatur. Incolumes præſtare nos unicè poteſt bellica virtus, & mutua inter nos animorum conſenſio: præſidium noſtrum in nobis eſt, neque ut videtis, aliunde expectandum. Hi quidem barbari proditionem ſuam, ut arbitror, non perficient, ſi eam magno ſibi pretio emendam*

Abire cum ſuis deliberat.

viderint. Quin igitur bono noſtro ſanguinem fundimus alacres, quem in eorum commodum fuſuri veneramus? Cum itinera, quæ Baticalum ducunt, ab hoſtilibus copiis obſeſſa intelligam, nullus eſt, ut videtur, ad claſſem noſtram regrediendi locus. Quapropter Ceitavaccæ Regem ſocium, & amicum noſtrum adeamus, neceſſe eſt, apud quem fidele hoſpitium, tutumque perfugium tandiu patebit, dum ad claſſem commodiſsimè revertamur.

Eum hoſtes aggrediuntur.

12 Simul ac Antonius Moniz caſtra movit, apparere hoſtes turmatim, ſagittas jacere, lapidibus, ac cæteris ejus generis miſſilibus noſtros inceſſere, ex quibus nonnulli vulnerati; ſtatuerant quippe barbari hoc importuno præliandi genere, ſecluſo ſuorum periculo, ſenſim nos, atque per partes perimere. Habebat hoſtis ſub ſignis, ut videbatur, militum ferè octo millia, qui à Præfectis ducebantur, quos Modeliares vulgò vocant. Hi verò in eo barbari certaminis genere apprimè exercitati, ſumma dexteritate progredientes, vim inferebant, & ſtatim regrediebantur. Cum autem noſtris cum numero, tum corporis agilitate tantoperè prævalerent, ſingulos occidendo, omnem facilè cohortem exhauſiſſent, niſi noſtri ferreis fiſtulis opportunè, & per intervalla diſploſis, incurrentes arcerent, illato non mediocriter damno. Nam promptiſſimi hoſtium repente occiſi tam vehementem cæteris metum incuſſere, ut cautiùs deinde nos, ac timidiùs inſectarentur. Diem tamen totum, modò audaces, modò ignavi, extremam aciem impetivere, præcedentiumque veſtigiis perpetuò, & importune inhærentes, lento quidem, ſed nunquam interrupto prælio nos fatigabant.

13 Nocte demum interveniente, tutioribus eſſe no-

noſtris licuit, quàm quietis. Vagis nimirum, incertiſque ictibus laceſſitis quieſcendi tantiſper, vel ſuper arma, omnis omnino facultas ſublata eſt: nautici panis paucula fruſtula ita deguſtabant, ut oculos ab hoſtibus, manus ab armis non dimoverent. Hac anxii cura noctem totam exigunt, donec, illuceſcente jam die, hoſtes ſolito audaciores inveniunt; ſiquidem hi, amiſſo penitus, vel mitigato eo primo horrore, quem fiſtularum ferrearum ſtrepitus incuſſerat, propiùs ſtrictis gladiis agmen Luſitanum laceſſunt. Qua de cauſa compulſus eſt Moniz profectionem intermittere. Hinc aciem militariter circumducens, cæſis hoſtium compluribus, non paucos capit, in quibus præcipuum Modeliarem, qui habitu, armiſque cæterorum veluti imperator videbatur: porrò, cum eum periculoſo conatu nobis è manibus eripere niterentur, ſummi apud eos nominis, & autoritatis hominem indicabant. Crebras itaque in nos impreſſiones faciebant, impetu penè incredibili, quæ non irritæ modò, ſed damnoſæ invadentibus cecidere, quin tamen de vi, & conſtantia perpetuæ aggreſſionis quidquam remitterent, quam detritis jam diuturno labore viribus ferre vix poterant.

Magnos labores experitur.

14 Vim vi repellendam, & juſto prælio dimicandum nonnulli ſentiebant, ut vel pugnantes eo ſe periculo eximerent, vel demum ne inutili perirent. Moniz verò negavit id ſe facturum, affirmans eo tempore magnam militaris virtutis partem in patientia ſitam eſſe oportere: periculoſiſſimi itineris difficultatem ferè dimidiam jam ſuperatam: ſi junctis ordinibus militariter, animo excubantes, proficiſci pergerent, non ita multum damni ſe ab hoſtibus accepturos: quò majus modò, ac præſentius periculum vide-

Suos prudenter Moniz reſignat.

videretur, eò deinceps liquidiore fruituros voluptate, cum periculi jam ſecuri glorioſum laborem recordarentur. Ita providus, ac ſolers Dux novos ſuis ſpiritus infundebat, ortam ex tam diuturno certamine deſperationem opportunè refrenans, quoad iterum nox interveniret, levamentum aliquod diurnis laboribus allatura. Et ſanè attulit; barbari enim non minùs, quàm noſtri perpetua inſectatione jam feſſi, quieſcendi aliquantulum facultatem præbuere. Sed ubi primùm poſtera dies illuxit, atrociore impetu in nos irruunt; pudebat enim non mediocriter, ut ego quidem interpretor, tam paucos ſibi tamdiu, ac tam ſtrenuè repugnare. Hic enim verò barbarorum in noſtros ferocior impetus, & diſciplinæ cuſtodia ſeverior extitit. Luſitani verò, tametſi iiſdem, quibus antea animis ſtrenuè ſe defenderent, in ſumma tamen virium imbecillitate aliquantò remiſſiùs reſiſtebant.

Quà virtute dimicet.

15 Igitur Moniz Modeliarem, quem captivum habebat, fractis immaniter cruribus, in viam projici juſſit. Hunc barbari, ſive amore, ſive commiſeratione Præfecti, ac ſocii miſerabiliter laborantis vehementer commoti, relicto prælio, circumſederunt, opem miſero qualemcumque pro ſuis quiſque viribus allaturi. Ea de cauſa noſtris diu, multumque quieſcendi factus eſt locus, perinde quaſi nulli omnino hoſtes ſupereſſent. Verùm novo, ſeu commiſerationis, ſeu vindictæ ſpiritu incitati, ſubitanea irruptione noſtros aggrediuntur inter loci cujuſdam anguſtias, quæ deſinebant in anguſtum pontem impervio flumini impoſitum; nuſquam enim vado patebat tranſitus. Suam hìc virtutem Moniz luculentiſſimè oſtendit; quippe qui cum commilitonibus omnino novem barbarorum impetum tamdiu ſuſtinuit, dum reli-

reliqua Luſitanorum acies pontem trajiceret, quos ubi vidit in adverſam ripam feliciter perveniſſe, pontem ſumma vi, ac celeritate interrupit: qua induſtria factum eſt, ut prohibiti tranſitu barbari inſequi præcedentes ultrà non poſſent. Ex tam heroica ſuorum propugnatione popularem quidem famam Moniz adeptus eſt nullam, ſed inter paucos, qui præclara facinora æſtimare rectè norant, opportunus iſte receptus, ſalvis ſignis, & militari dignitate, inſtar glorioſiſſimæ victoriæ haberi potuit. Hoc defuncti periculo pervenere tandem ad Regem Ceitavaccæ, apud quem lauto, ac fideli excepti hoſpitio famem depellere, curare vulnera, laboremque penitus obliviſci in ſinu liberaliſſimi Principis potuere, qui ad cætera beneficia illud etiam adjici voluit, ut, ad ulciſcendam acceptæ injuriæ atrocitatem, copias ſuas, quotieſcumque vellent, paratas offerret.

Militariter ſe recipit.

16 Interea Candeæ Rex ſceleris, non ſuo, ſed vicini Reguli conſilio patrati vehementer pœnitens, quippe qui à tam nefaria proditione eſſet ſua ſponte peralienus, nuncium ad Antonium Moniz properè allegavit cum decem millibus Pardaum ad reficiendos ſumptus, qui facti fuerant in adornanda claſſe. Scripſit præterea ad eumdem honeſtiſsimas literas, quibus ſignificabat, erroris non ſui incredibili affici ſe dolore: quapropter, quando infidelem antea ſe conveniſſet, fidelem modò, & Chriſti nomini addictum ne deſereret: Deum, in cujus recentem clientelam ſe contuliſſet, ideo maximum eſſe, & appellari, quòd ad condonandas injurias pronus quàm maximè eſſet, ac facilis: tenellos floſculos in Eccleſiæ viridario feliciter adoleſcentes periculoſo infidelitatis æſtui objici ne permitteret, et,

Factæ proditionis pœnitet Candeæ Regem.

Nuntium mittit ad Antonium Moniz.

quando ad eam ſylvam à ſuperſtitionibus Idolorum purgandam veniſſet, ne miraretur, ſi ſpinis, ac carduis infidelitatis lacer abiret: Deum illum, cujus ſaluberrimam hauſerat à Luſitanis notitiam, tam facilem, benignumque eſſe, ut homines omnino non eſſet reparaturus, ſi juſtitiæ miſericordiam non miſcuiſſet: quapropter, quam à Deo ſperabat, veniam quoque ab hominibus ſe impetraturum confidere: petere ſe etiam, & infimis rogare precibus, ut ſibi iterum venire præſidio cum ſuis ne gravaretur: fixum nimirum ſibi eſſe, & omnino deliberatum, fortunas ſuas omnes impendere, ut Luſitanos præſtaret incolumes, nec recuſaturum, ſi opus eſſet, quo minùs pro Chriſtiana fide ſanguinem funderet.

Candeam Moniz regredi cupit.

17 His acceptis epiſtolis, deliberaverat Moniz regredi Candeam; putabat enim commodis Religionis quæcumque vitæ pericula poſthabenda. Milites verò præteritæ memores tempeſtatis, ei adhuc tabulæ inhærentes, qua naufragium evaſerant, negabant tutiſsimam Regis amiciſsimi ſtationem ſe relicturos. Primam enim fraudem perfidioſo proditori adſcribi poſſe dicebant, ſecundam non item, quæ tota incauto, & nimis credulo Duci tribueretur: ſe quidem certè viperæ illi fidem non habituros, cujus venenatos morſus fuiſſent nuper experti: ſi enim Rex perfidus recenti beneficio obligatus, beneficii autoribus necem paraſſet, quid acturum deinceps crederet, poſt acceptam à nobis injuriam non modò ſpreti exercitus, ſed etiam labefactati? gratias Deo potiùs agendas de miraculo nuper accepto, quàm novum ab eo petendum, vel expectandum: ſe quidem ad eam expeditionem miſſos eſſe, non tanquam Apoſtolos, ſed tanquam milites: quòd, ſi ad profundendum pro ſide, ac religio-

Milites negant ſe regreſſuros.

ne

ne ſanguinem, properarent, projicienda omnino arma: ſe verò ad Catholicam fidem ſtrictis gladiis propugnandam fuiſſe vocatos, ad eandem verbis prædicandam nullo modo. Itaque Moniz cum perpenderet, milites ſuos ſtudio propagandæ Religionis eſſe ſubfrigidos, & ad parendum minùs dociles, intelligens præterea, ſaluti ejus gentis procurandæ novam à Deo viam parari facilè poſſe, ſi vellet earum bono proſpicere, ad claſſem redire cum ſuis ſtatuit. Nos verò interea, dum Moniz cum cæteris vela facit, ad bellum Hidalcanis, de quo libro primo narrare inſtituimus, redeamus.

Ad claſſem redeunt.

18 Porrò Hidalcanem vehemens coquebat cura, quòd adhuc Meales Goæ detineretur. Itaque, ſumptis armis, mederi timori ſuo ſtatuit, &, quia Dienſe bellum Luſitanam Ditionem non mediocriter debilitaverat, arbitratus eſt, Prætorem fiducia victoriæ paulò negligentiùs ſe geſſiſſe, in Goanis finibus firmo præſidio muniendis. Quapropter, cum is adhuc urbe abeſſet, Bardeſios, & Salſetanos agros armata manu aggreſſus eſt, qui pace freti, juſto ad defenſionem præſidio carebant. Immiſſis eò quatuor bellatorum millibus, agros, nullo commiſſo prælio, in ſuam ditionem redegit, fruges agricultoribus imperavit, & annua vectigalia Luſitanis erogari ſolita exegit pro poteſtate. Hujus irruptionis nuncius Goam perlatus non levem curam Goanis injecit; neque enim ad repellendum hoſtem vires idoneæ ſuppetebant. Itaque Prætoris reditum præſtolari ſtatuunt, cujus nomen, ad retundendam Hidalcanis ſuperbiam, ſatis per ſe eſſe intelligebant. Interea temporis Racholenſem arcem præſidio firmant, ut hoſti, ne licentiùs excurreret, hoc qualecumque frenum iniiceretur.

Hidalcanes continentis tractus occupat cum magna militum manu

 19 Si-

19 Simul ac Prætor Goam venit, diebus bene paucis victoriæ celebritati impenſis, noluit diutiùs quieſcere; quippe qui bello aſſuetus pacem ſibi vitio vertebat. Ergo ad Agazainum vicum profectus, Didacum de Almeida Freyre cum militibus nongentis præmiſit, ut hoſtem, qui finitimos pagos cum quatuor peditum millibus occupaverat, è ſtativis exciret. Mauri, nunciato noſtrorum adventu, non expectato belli ſigno, antequàm propiùs Luſitanorum vexilla perſpicerent, ad mediterranea ſe receperunt. Id verò omnes reverentia Dienſis victoriæ factum affirmabant, cujus fama obſequio, ac timore Orientem univerſum impleverat. Hac hoſtium fuga uterque tractus noſtræ iterum ditioni ſubjectus eſt. Inſuavi tamen, & malè tuta pace inter perpetuos belli timores fruebamur; quid enim aliud à finitimo, & irritato Rege poterat expectari, præter tumultus, & aggreſſiones? Hidalcanes verò, tanquam inſignem ex indecora ſuorum fuga injuriam accepiſſet, ut militarem gentis ſuæ exiſtimationem recuperaret, ſumpta novi belli occaſione, octo militum millia interea miſit, ut eos tractus, de quibus lis erat, iterum occuparent, dum ipſe validiores copias conſcriberet; ajebat enim, ſe regiam in eo bello perſonam periclitaturum, in quo regnum ipſum periculo objiciebatur. Sed, dum ejuſmodi bellum apparatur, de rebus ad Malacam, Molucaſque pertinentibus agemus, quæ providentia Prætoris diſpoſitæ, ejuſdem etiam ſingulari fortuna perquàm feliciter confectæ ſunt.

Metu Luſitanorum barbari fugiunt.

Novas cohortes mittit Hidalcanes, & venturum ſe dicit.

20. Molucarum Præfecturam obtinuerat Bernardinus de Souſa, quæ inſulæ cum à medullis, viſceribuſque Luſitanæ Ditionis longiùs abeſſent, remiſſiorem fecerant eorum tractuum erga noſtros

Aeyrus Rex Goæ captivus.

Præ-

Prætores obedientiam: tum quia incolæ ingenio feroces, & intractabiles non ita facilè Luſitanis legibus ſubjiciebantur: tum quia Præfecti ipſi liberiùs agebant, quàm par eſſet, & ex ſuo magis, quàm ex Prætorum arbitrio rempublicam temperabant. Aeyrum Ternatenſium Regem Jordanus Freitas, indigniſſimis vinculis oneratum Goam miſerat, & falſorum criminum reum poſtulaverat. De his cognoſci diligentiſſimè, & judicum ſententiis probari juſſit Joannes de Caſtro, ac miſerum tandem Regem, criminum, de quibus falsò reus habebatur, ſuſpicione liberavit. Eundem hoſpitio ad Regiam dignitatem accommodato quàm lautiſſimè excepit, illataſque injurias omni, cum honoris, tum gratiæ ſignificatione cumulatiſſimè ſarciendas curavit. Deinde Bernardino de Souſa, cum proficiſceretur, dedit in mandatis, ut Aeyrus in regni poſſeſsionem reſtitueretur majore pompa, & officio, quàm à Luſitanis Præfectis ejus majores Regnum accepiſſent, ut inde diſcerent Molucenſes, Luſitanorum clementiam, & æquitatem pari lance non minùs clientibus, quàm amicis, ac ſociis diſpenſari.

Abſolvitur à Prætore.

21 Ternatenſem Inſulam proſpero curſu tenuit Bernardinus, & facta exſcenſione, in arcem ſe recepit ſine ullo apparatu, neglectiſque cæremoniis, quibus ambitioſa Molucenſium officia advenientes primò Præfectos ſolent excipere. At Jordanus Freitas, qui ex ſubitaneo ſucceſſoris adventu, & ex ipſo reclamantis conſcientiæ teſtimonio inſolentiam ſuam à Prætore damnatam intelligebat, vehementer commotus eſt: quippe qui egregiè noſſet, Goani Prætoris integritatem minimè paſſuram, Luſitanos Præfectos amicis Regibus vel eſſe injurioſos, vel ab iiſdem injuriis affici; videbat præterea, Aeyrum abſolvi non

Ternatem reducitur.

non poſſe, quin ipſemet uno, eodemque judicio damnaretur. Depoſita tamen Præfectura, traditoque pacificè imperio, Bernardinum arcis, & Molucarum Præfectum ſalutavit. Ad eum, ſimul ac renunciatus eſt, venerunt Aeyri filii, non tam ut Patrem ab eo ſibi reddi expectarent, quàm ut de ſumpta in eum animadverſione cognoſcerent: adeo timida ſunt hominum judicia, vel in iis ipſis, quæ vehementiſsimè cupiunt. Sciſcitantibus Souſa reſpondit, adeſſe Aeyrum, non modò incolumem, ſed à Goano Prætore ita ornatum, ut videretur Goam petiviſſe, ad ſua potiùs in Luſitanos commemoranda promerita, quàm ad objecta ſibi crimina diluenda: ad hæc juſsit, ut eum, tanquam Patrem, & tanquam Regem è navi educerent. Porrò filii tam inſperato nuncio vix præbentes fidem, ad litus advolant incredibili populi frequentia ſtipati, exiſtimantibus ad unum omnibus prodigii ſimile, juſtitiam in præpotentes adminiſtrari potuiſſe, mirantibuſque noſtrarum legum æquitatem, quæ non minùs incolis, quàm advenis proſpicere noſſent, ac præſto eſſe. Exſcendit itaque Aeyrus in terram, affirmans gratiſsimis vocibus, victos à ſe Luſitanos auxilio Luſitanorum, ac præterea de mirificis Indici Prætoris virtutibus ſe, quoad viveret, nonniſi magnificè, & cum admiratione loquuturum. Compedes, quibus inde Goam captivi habitu profectus fuerat, manu gerebat, acceptæ duntaxat memor injuriæ, ad oſtentandam grati animi ſignificationem. Adminiſtrata in hunc modum juſtitia, pacati Molucenſium animi quievere ad multos annos, Luſitanis deinceps Præfectis peralacriter obedientes.

Et in Regnum reſtituitur.

Multorum Regum conjuratio contra Malacam.

22 Malacæ verò in aurea Cherſonæſo ſumma per id tempus pace fruebamur, quæ, firmata cum fini-

finitimis Principibus amicitia, & tutiſsimo commercio nitebatur. Viantanæ tamen Rex, quòd opibus, copiiſque polleret ad maxima quæque molienda, revocatis ſibi in memoriam à florente fortuna, & ab otio diuturno veteribus injuriis ſanè permultis, quas ſuis olim majoribus Patanæ Reges intulerant, Quedæ, ac Pami Regulos, quibuſcum mutua benevolentia jungebatur, aliosque finitimos Principes in belli ſocietatem adduxit, ut, conjunctis vexillis, ad ſuas ulciſcendas injurias arma caperent. Itaque valida, numeroſaque adornata claſſe, ita inter ſe transegere: nimirum, ut Viantanæ Rex, ſumpta de hoſtibus ſuis ultione, omnia fœderatis Regibus victoriæ ſpolia permitteret eo nomine, quòd ii, non ad ſuam, ſed ad alienam ulciſcendam injuriam fortunas ſuas, milites, ac vitam ipſam objicerent.

23 Malacenſem Præfecturam ea tempeſtate adminiſtrabat Simon de Mello. Is, nunciata Principum finitimorum diſcordia, Didacum Soares de Mello, qui ad Patanam ſtabat in anchoris, per literas monuit, ut Malacam ſeſe reciperet. Ii quippe Reges cum ad unum omnes Luſitanis firma amicitia jungerentur, malebat eorum contentiones dirimere, tanquam arbiter, quàm has, aut illas partes tueri: præterea civilis prudentiæ ratio permittere ſuadebat, ut inteſtino inter ſe bello finitimi nobis Reges attererentur, quò mutuis cladibus debilitati faciliùs nobiſcum pacem ſervarent, & in noſtra eſſent poteſtate, ſiquid juberemus. Videbat nimirum ſucceſſu temporis occaſionem bellorum oriri inde facilè poſſe, vireſque ipſas audaciam præpotentibus Regibus addituras; idonea quippe futuri erga nos odii cauſa videbatur, quòd latè in iis locis dominaremur, & ipſa virium, opumque magnitudo, Quid agat Malacenſis Præfectus.

nul-

nulla alia belli quæſita cauſa, ad arma capienda proferendi imperii cupidiſſimos Reges per ſe invitaret.

Aceni Regulus in Malacæ litus exſcendit, & ſtatim fugit.

24 At Didacus Soares acceptum à Præfecto Malacenſi nuncium non neglexit, miſſiſque in Sinas onerariis compluribus, Malacam versùs ipſe cum duabus triremibus vela fecit. Aceni Regulus ea tempeſtate maria infeſta habebat cum viginti navibus apparatiſſimis, quibus præpotens pyraticam exercebat. Nonnullas exiguæ molis onerarias commeatum transvehentes expugnavit, & ipſis amicorum navigiis non pepercit. Secunda deinde fortuna audacior factus, intempeſta nocte Malacenſem portum ingreſſus, copias in terram expoſuit, non alia ſanè de cauſa, niſi ut gloriari poſſet, calcatum à ſuis fuiſſe Luſitanæ ditionis ſolum, itaque contentus ea gloria, quam furtim ſibi comparaverat, milite rurſus in naves impoſito, vela fecit.

Claſſem in eum Præfectus mittit.

25 Illico ad arma conclamatum in urbe eſt, in qua timor, ac nocturnæ tenebræ periculum ita amplificabant, ut complures ſua ipſi territi umbra fugam caperent. Auditus eſt à præſidiariis in arce civium clamor, qui vano, ſeu potiùs nullo periculo perterrefacti, nulla alia timebant de cauſa, niſi quòd alios viderent paſsim timentes. Miſit itaque Præfectus Franciſcum de Sà cum exigua militum manu, ut videret quid rei eſſet. Is Chelinenſe cum ſuis oppidum ingreſſus, confuſam ibi quandam veluti belli ſpeciem in communi tumultu, metuque adumbratam, hoſtes verò nullos invenit; quippe qui in naves jam ſe receperant, quin à Luſitano ſolo quidquam auferrent, præter vanam, ac fucatam gloriationem factæ exſcenſionis. Aceni verò audaciam perinde Præfectus ægrè tulit, ac ſi inſignem ab eo injuriam accepiſſet: tanta nimirum obſervantia ho-

ſtes

ſtes noſtri Malacenſia mœnia reverebantur, ut intolerabilis arrogantiæ videretur ea aggredi, eademque armata manu vel ſemel proſpicere, delicti non vulgaris ſpeciem præberet. Itaque, nulla interpoſita mora, expeditum myoparonem Præfectus dimiſit, qui hoſtium claſſem exploraret interea, dum lembi duo, ac ſex præterea liburnicæ ad bellum inſtruebantur, ut quanta fieri poſſet celeritate, hoſtium veſtigia legerent, & inventam claſſem oppugnarent. Portum per id tempus ingreſſus eſt Didacus Soares de Mello cum duabus triremibus, de quibus ſuprà meminimus, quas Malacam in eo rerum articulo adduxiſſe Luſitana fortuna viſa eſt, ut victoriam faciliùs conſequeremur. His navigiis Franciſcus D'Eſa præfectus eſt. Is tumultuario apparatu ad eam expeditionem inſtructus, ne mora pugnandi occaſionem corrumperet, in altum navigavit Præfecti juſſu, qui edixit tamen, ut, ſi intra decem dies hoſtis non appareret, claſsis in portum rénavigaret; impoſita enim navigiis annona longiorem curſum non patiebatur.

26 Octiduo igitur navigatum eſt, quin hoſtium veſtigium ullum appareret; ſed paulò pòſt Inſulam quandam prætervectis nunciatum eſt, Aceni claſſem in Quedæ portu, qui bidui curſu diſtabat, in anchoris adhuc ſtare. Eò progredi Franciſcus decrevit: ſed milites, ſeditione facta, negabant ſe longiùs proceſſuros. Ducis quippe omnino inexperti eſſe ajebant, fugientes inſequi, commeatu penè abſumpto: cum fame non eſſe pugnandum: melius profectò futurum, quando Malacenſis Præfectus decem tantummodo dies navigationi definiſſet, juſsis obtemperare, quàm vincere. At Didacus Soares, licèt inferior militiæ gradu, major tamen autori-

Regulum claſſis Præfectus inſequi parat.

Milites tumultuantur.

Sedantur à Didaco Soares.

tate, vocibus perquàm imperioſis edixit, hoſtium loco ſe habiturum, quicumque, contempto Franciſci juſſu, regredi auderent; arbitrabatur enim Regiis commodis longè conducibilius futurum, ſi ſeditioſos, ac refractarios milites, commiſſo prælio, ſubmergeret, quàm ſi in hoſtium audaciſsimos animadverteret. Iniecto in hunc modum majoris periculi metu, famis timor à claſsiariis depulſus eſt. Quedam deinde ſecundiſsimo vento navigatum eſt: hìc admonitus, hoſtem in alium portum octo inde leucis remotum ſeceſsiſſe, illectus loci propinquitate, eò dirigi proras Franciſcus juſsit. Hìc enim verò muſsitare ſecum milites, & conqueri, ſed nihil præterea audebant, intelligentes, graviorem ſibi injuriam imminere ab Didaci minis, quàm à vicino hoſtium periculo. Itaque dolorem opportunè prementes, Prætoriam ſequuti ſunt, militaris alacritatis majore quàm antea ſignificatione, ſeu vellent præteritæ ſeditionis maculam eluere, ſeu vicinam præſagientes victoriam, honeſtiores ſpiritus, & priſtinam alacritatem induerent.

Luſitani hoſtem inveniunt, & aggrediuntur.

27 Ea ipſa die pomeridianis horis in conſpectum Parlæ urbis ventum eſt. In ejus portu anchoras jecerat Aceni claſsis, conſederatque in ſinu quodam, quem non procul ab ipſa urbe fluvius efficit modico flexu. Hujus altitudinem nautico perpendiculo explorari diligenter Franciſcus, & deciſis arborum ramis canalem finiri juſsit, ne in arenas naves incurrerent: factus deinde certior, idoneam eſſe circumagendis navigiis fluvii altitudinem, in ejus oſtium invehi claſſem præcepit eodem tempore, quo hoſtis triremes duas, aliaſque in nos naves complures eduxerat; nunciarant quippe exploratores, onerarias naves apparere; ſiquidem duos tantùm lembos

bos è terra proſpexerant, triremes verò, ac liburnicas à prominenti terræ lingua, multiplici fluvii flexu formata, protectas videre omnino non poterant. Minores liburnicas ſane complures præcedebant, ut dicebam, Aceni triremes duæ, quæ, cum milites offendiſſent, quos mercatores, ac belli rudes exiſtimabant, regredi unde venerant, conatæ ſunt: ſed, cum fluvius peranguſtus eſſet, & plenis velis inveherentur, non antè mutandi curſus facultas fuit, quàm noſtræ naves proximè accederent. Iniectis igitur in obvias triremes ferreis manibus, atrociſſimum utrinque prælium extitit, quo non arma ſolum, ſed fluvius ipſe cruore tinctus apparuit. Didacus Soares facto,in triremem Prætoriam impetu,cum quinquaginta bellatoribus pugnam ingreſſus, Mauros invenit tam pertinaciter repugnantes, ut trucidari ad unum omnes maluerint, quàm Luſitanis ſe dedere. Quapropter ex captis tantummodo navibus æſtimari victoria potuit, ex captivis nullo modo. Videtur, ne unus quidem ſuorum calamitati ſupervivere voluiſſe: in ipſa ergo dimicatione honeſtiſſimè contumaces interiere, ut faciliùs ex tam pertinaci repugnantia Luſitana virtus cognoſceretur, quæ non modò cum ſtrenuis ſed etiam cum deſperatis Saracenis fortiſſimè dimicaverit.

Didacus Soares Prætoriam expugnat.

28 Inter hæc Viantanæ Regi, cæteriſque fœderatis cum Patanæ Rex quàm cumulatiſſimè feciſſet ſatis, inita rurſus inter eos arctioribus, quàm antea, vinculis concordia eſt. Accepto tamen nuncio de noſtræ claſſis profectione, arcemque juſto præſidio deſtitutam rati, Malacam venerunt, exploraturi, utrùm ea opportunitas idoneam viam aperiret ad expellendos Luſitanos, quorum viciniam ſibi moleſtiſſimam experiebantur. Verùm, quia odium

Conjuratorum Legatio.

barbaros faciebat audaces, timor ignavos, ſpecie pacis bellum diſſimulare ſtatuerunt. Igitur ad Simonem de Mello, Ducem ex ſuis perſtrenuum, & Malacæ peritiſſimum allegant, ut ei, communi omnium nomine, ſignificaret, ægrè admodùm ſe audiviſſe diſſipatum latiſſimè nuncium de profligata ab Aceno Luſitanorum claſſe: ſcire ſe ex idoneis autoribus, victorem fructu, & ſuavitate victoriæ illectum validiores copias comparare, ut eam arcem invaderet, quæ cum præſidiariorum paucitate laboraret, Luſitana procul dubio virtus cedere hoſtium multitudini cogeretur; numerus enim, & tempora victorias afferebant: quapropter veniſſe ſe, veteres, & egregios Luſitanorum amicos, ad opem pro viribus ferendam in ſummo rerum articulo: in terram illico deſcenſuros, ſi faceret facultatem, ut ſuo ipſi ſanguine amicam arcem ab imminenti exitio defenderent, quò intelligeret Aſia univerſa, ſe Luſitanis amiciores in adverſa fortuna, quàm in proſpera extitiſſe. Hæc Malacenſi Præfecto per ſuum Legatum ſignificanda præceperant barbari fœderati, ac præterea, ut numerum militum, qui in arce eſſent, diligentiſſimè adnotaret, & ex ipſius Præfecti vultu acutè coniiceret, timidène, an conſtanter profligatæ claſſis nuncium acciperet; noverant quippe interiorum affectuum longè fidelius indicium eſſe vultum, quàm linguam.

29 Porrò Simon de Mello ſub ea Maurorum benevolentia non obſcuram proditionem latere ſentiens, ac ſub ea Legati perſona verum exploratorem ad ſe miſſum, iiſdem armis, quibus petebatur, ferire hoſtem decrevit, & dolo dolum eludere. Reſpondit itaque, gratiſſima ſibi accidiſſe auxilia, quæ tam opportunè, ac benevolè veteres, ac fideles

Malacenſis Præfecti reſponſum.

ami-

amici pollicerentur, quibus, ut gratam ipſe vicem aliquo modo rependeret, ſignificabat, ſe eo ipſo temporis puncto nuncium feliciſſimum accepiſſe: victum nimirum à ſuis maritimo prælio Acenum, & claſſe ornatiſſima planè ſpoliatum: cæterùm eam arcem tam valido præſidio munitam, tam copioſo inſtructam belli apparatu, ut auxiliis non indigeret, quin immò dare largiſſimè poſſet, ſiqua vellent: fugitivi habitu Acenum ex eo portu claſſem eduxiſſe: eam non ſine difficultate Luſitanos tandem aſſecutos, nullo tamen negotio expugnaſſe. Ejuſmodi verbis invariabilis inter loquendum Præfecti conſtantia adeo fidem adſtruxit, ut Maurus nihil dubitans, ita accidiſſe, ægrè admodùm ferret cum Præfecti virtutem, tum claſſis victoriam. Triſtis itaque ad ſuos rediens reſpondit, vel cognitam eſſe à Luſitano fraudem, vel contemptum timorem.

30 At inde Simonem de Mello non mediocris cura ſolicitabat; claſſis enim mora diuturnior triſtiſſimum nuncium in ancipiti eſſe oſtendebat. Itaque accuſabat ſe levitatis juxta, ac temeritatis, quòd vires ejus arcis præcipuas in eum hoſtem tam facilè eduxiſſet, quocum ſi pax eſſet, nullus omnino fructus exiſteret, cujus demum exitium ipſum eſſet inglorium; exiguum quippe futurum eſſet Luſitanæ virtutis argumentum, ſi eum hoſtem æquis viribus profligaret, quem toties tantò minoribus viciſſemus. Ita ſanè apud ſuos loquebatur Præfectus, perinde ac ſi nullum accidere infortunium poſſet, quod culpa vacaret. At, quia plerique Malacenſium, qui claſſem conſcenderant, erant conjugati, eorum uxores, ac liberi, anticipatis lachrymis, victoriam lugebant, quam ignorabant: acerbiſſimè præterea querebantur, Præfectum alieno ſanguine famam ſibi capta-

Claſſis nuntii diu deſiderantur.

Malacenſes conqueruntur.

captare voluiſſe eo tempore, quo Luſitanæ rei longè conducibilior honeſta pax eſſet, quàm infructuoſa victoria. Et jam popularis tumultus in apertam penè ſeditionem degeneraſſet, niſi Franciſcus Xavier (quem tunc perſtrenuum Evangelii præconem, ac miræ auſteritatis exemplum obſervabat, nunc Sanctorum Faſtis adſcriptum univerſus terrarum orbis ſanctè colit) populum opportunè ſedaſſet, memorans, ut ſolebat, ſuaviſſimis verbis, patientiam in adverſis, non modò virtutem eſſe præcipuam, ſed ſingulare calamitatis remedium. Deinde cautus æquè, ac miſericors, ad leniendum miſerorum dolorem, obſcura quædam lætioris eventus indicia ſignificavit, quæ levamentum potiùs mæroris, quàm vaticinia videbantur. Verùm ea ipſa die, qua commiſſum eſt prælium, cum diceret pro ſuggeſtu ad magnam populi frequentiam, & ſacroſancta Chriſtianæ Fidei Myſteria explicaret, profunda mentis alienatione à ſenſibus repentè avocatus eſt, perinde ac ſi arcana divina ſemotus à ſtrepitu terrenorum ſuaviſſimè combiberet, donec à ſuaviſſimo illo ſenſuum ſomno rurſus excitatus, ac ſibi redditus, in lætiſsimas voces erumpens: *Bono eſte animo*, dixit, *ac Deo victoriarum autori mecum in genua provoluti gratulamini; hac nimirum ipſa hora Aceni claſſem noſtrorum militum manibus fudit Deus, ac profligavit.* Hoc lætiſsimo nuncio recreatus planè populus, reverenſque Divini interpretis vaticinium, gratis, piiſque lachrymis Deum in Sancto ſuo magnificè laudabat, lætitiam induens ſecuriorem, quæ dulciùs de ſummo mærore profluere ſolet. Eadem die, cum plebem doceret in vicino quodam Sacello, peculiares commiſsi certaminis caſus tam enucleatè, & ſingillatim explicuit, ut nemo unus dubitaret, quin

Populi querelas ſedat S. Franciſcus Xavier.

Victoriam prædicit.

Ejuſque modum declarat.

quin ab ipſo victoriæ autore omnem rei geſtæ ſeriem didiciſſet. Cæterùm pro certo habemus, virum ſanctiſsimum ejus victoriæ autorem ſimul, & vatem extitiſſe; eum quippe novimus ſæpè ſæpiùs illuſtratum divinitùs ſpiritu futurorum præſago, ſecreta abditiſsima prævidiſſe. Prænuntiationem omni ex parte rei exitus comprobavit. Reddita Malacenſibus pax honeſtiſsima, tutiſsimoque victoriæ, quam retulimus, clypeo firmata.

31 Goanus verò Prætor, fumantibus adhuc ſuorum gladiis barbaro ſanguine, qui in proximo prælio fuſus fuerat, in aliud deinde certamen vocatus eſt. Inter Hidalcanem, & Luſitanos inextinguibilis odii cauſas reliquerat, ut ſuprà memorabamus, Martinus Alphonſus de Souſa. Barbaro ſanè Regi facere ſatis non poterat Joannes de Caſtro, quin Mealem publico conſilio in Luſitanorum fidem receptum graviſſimè offenderet, quem porrò ſi tradere pernegaret, bellum imminebat perpetuò duraturum. Poſt Maurorum fugam in noſtra erant poteſtate Salsetani agri, Bardeſiique, ex quibus quicumque provenirent fructus, eos profectò ſtrictis gladiis defendere cogebamur. Hidalcanes verò, utpote qui ſuis ipſe oculis, quos poſſidebamus, tractus quotidie cerneret, & illatam ſibi à nobis injuriam penè perpetuam injuſta, ut ipſe exiſtimabat, eorumdem poſſeſſione, quàm moleſtiſſimè ferret, jus ſuum paſſim armis perſequebatur. Eum præterea Meales, qui adhuc Goæ degebat, vehementer ſolicitabat; ejus enim à ſuis abſentia, inſtar erat præſentiſſimi veneni, quod Regni uſurpatori minabatur. Porrò is intelligens furtivis, ac ſubitis excurſionibus irritari magis, quàm enervari Luſitanos, interdictaque commeatuum ad nos tranſvectione, ſuos ad inopiam redigi, vicinos

Hidalcanis ſolicitudo.

verò

verò, unde annonam petebamus, vehementer ditari; inferre nobis bellum decrevit aperta vi, & non modò regni nervos omnes, ſed etiam ſe ipſum periculo objicere, ut anceps unius prælii fortuna de jure ſuſcepti utrinque belli judicaret. Et ſanè cum diuturna pace, ac tyrannide, mirum in modum Hidalcanis opulentia creviſſet, facili negotio in bellum cum finitimis ſuſcipiendum ſumptus copiosè ſuppetebant. Itaque, nulla interpoſita mora, octo militum millia ad ſolum, de quo lis erat, occupandum emiſit, dum validiorem exercitum compararet, quo ſuſtentare, ac tueri deinde poſſet, quidquid primo impetu occupaſſet.

In noſtros continentis tractus exercitum mittit.

Didacus de Almeyda copias in hoſtẽ educit.

32 Nunciata hoſtium irruptione, Didacus de Almeyda Freire obviam Mauris proceſſit cum Luſitanis nongentis, Canariniſque nonnullis conductitiis, ac juſta equitum turma. Prætor verò ſubſtitit in Pangino, ſuis opem laturus cum reliquo peditatu, ſi Hidalcanes ipſe in prælium deſcenderet: qui ſanè rumor à Mauris longè, latèque diſſeminatus eſt, ſive ita re vera crederent, ſive à nobis, ad incutiendum timorem, ita credi vellent. Didacus verò, copiis ad Racholenſem arcem juſſis ſubſiſtere, levia cnm hoſtibus iniit certamina: efficere tamen non potuit, ut copias omnes prælio, quod offerebatur, objicerent. Intelligebant, opinor, lentum ejuſmodi bellum à nobis ſuſtentari haud poſſe, cum propter inopiam commeatuum, tum propter loci paluſtris, & crebris æſtuariis ſecti non mediocrem incommoditatem; his quippe de cauſis nec ſiccis uti caſtris poteramus, nec equitatum pro libito circumagere, paluſtribus locis, ac ſubaſperis liberum curſum impedientibus. Hæc ſanè incommoda minùs premebant Mauros, qui, utpote indigenæ, & mollio-

liores callebant aditus, & ad ferendum laborem calcandi cænoſos gurgites mira agilitate pollebant, & quæcumque demum occurrerent impedimenta faciliùs ſuperabant: iiſdem præterea, utpote loci dominis largior, commodiorque ſuppetebat copia commeatuum. Videns itaque Didacus in manu hoſtium eſſe, vel admittere prælium, vel declinare pro libito, Prætorem conſuluit, quid facto opus eſſet: is in arcem recipi copias tandiu juſſit, dum maturior de re tota deliberatio caperetur.

Prætor recipi cohortes jubet.

33 Interea Prætor à Pangino vico profectus, ſimul ac Goam venit, retulit in Senatu, quo loci res eſſent, ſignificavitque vehementer ſe cupere graviore bello Hidalcanis ſuperbiam opprimere, ad evitandas tandiu repetitas, & moleſtiſſimas hoſtium incurſiones, ut ab hac cura expeditus varia rei publicæ negotia curaret, quæ aggredi antè non poſſet, quàm finitimo, importunoque hoſti arma de manu eriperet & pœnas irrogaret, quas merebatur. Placuit tamen omnibus rejici bellum in æſtivum tempus, quod videbatur ad eam expeditionem longè opportunius; tunc enim ſtatui commodiùs in ſicco loco caſtra poſſent, & novorum militum cohortibus, qui è Luſitania expectabantur, numeroſiores in aciem copias educere poteramus: bellica facinora non ideo ſuſcipi, ut quàm breviſſimè, ſed ut quàm feliciſsimè, parta victoria, concluderentur.

De Hidalcanis bello deliberat in Senatu.

34 Itaque Prætor, tametſi bellicoſus, & moræ impatiens, ſentire cum cæteris contrà, quàm vellet, & idoneam gerendi belli opportunitatem expectare compulſus eſt, ut commodiùs poſſet ſeveriores ab Hidalcane intolerabilis audaciæ pœnas repetere. His ita conſtitutis, Didaco mandavit, copias reduceret, relicto in arce Racholenſi juſto præſidio ad

Bellum in aliud tempus rejicitur.

hoſtium incurſiones aliquo ſaltem freno cohibendas. Prætor verò, ut erat tractandis armis ſemper intentus, dum veri belli facultas deerat, imaginario lætari quodammodò videbatur. Quapropter in ſpatioſum quotidie campum, veluti ad otium, ſecedens, milites jubebat vectes ferreos jaculari, arma tractare, agmina inſtruere: alios præmiis, alios laudibus incitabat, ut uſu, & æmulatione militares virtutes faciliùs nutrirentur. In hunc modum Goana Civitas ex pacifica, & politica in bellicam armorum palæſtram converſa videbatur: his choræis ſcilicet, & comædiis Goanus populus, tanquam fructuoſo, & martiali laxamento recreabatur: hinc militum diſciplina, iteratis belli proludiis, ita formabatur, ut in vero bello poſtea dimicantibus nihil inſolens, fortuitumque accideret, quod ludicra ejuſmodi experientiâ non didiciſſent. Cum per viam Virginis Beatiſsimæ à luce nuncupatæ præterveheretur, vidit in humili domo magnam vim armorum, quæ miro nitore, ac concinnitate de lignis parieti infixis pendebant: ea diſpoſitione, ac munditie mirè captus, adductis equo habenis, pauliſper conſtitit, ac ſciſcitatus eſt, cujus eſſet ea domus? ſuam eſſe reſpondit Franciſcus Gonſalves gregarius miles, qui bellicis facinoribus fortunam ſuam ſtrenuè promovere nitebatur. Prætor, laudata militis diligentia, & curioſitate, Pardaos triginta eidem numerari juſsit, ut ferro nitorem induceret: verùm, eo imperante, vix armis ad rubiginem contrahendam ſpatii quidquam relictum eſt.

In pace milites exercet Prætor ad bellum.

35 Auguſto jam ineunte, quaſi futura Prætor prævideret, totus erat in bellico claſsis apparatu, commeatibuſque præparandis: cum ad eum ab Dienſi Præfecto literas reddidit Franciſcus de Moraes, qui

Dienſes literas accipit.

levi

levi navigio impoſitus Goam appulit. Nunciabant literæ, Cambaje Regem univerſas Regni ſui copias coegiſſe, ut, quemadmodum fama vulgaverat, Dium iterum obſideret: inferendum illi ultrò bellum, appetente æſtate, ut in ſua defendenda domo diſtentus, alienæ invadendæ conſilium dimitteret: ſi Luſitanæ claſſes eum commeandi facultate, & mercaturæ fructu prohiberent, intellecturum aliquando ſuam, ac Regni proſperitatem unicè pendere de pace, quam cum Luſitanis ſeriò firmaret.

36 Goano itaque Senatu, ac Magiſtratibus in concionem vocatis, protulit Prætor in medium Dienſes literas, ac palàm recitari juſsit: petivit deinde ſubſidia ad domandum penitus, ac profligandum inquietum hoſtem. Hæc porrò nova pecuniæ exactio, tametſi propter recentia tributa, aliquantulùm oneroſa videretur; gratiſsima tamen Goanis civibus accidit, qui ultrò fortunas, ac vitam ſuam Prætori obtulere, perinde quaſi reipublicæ commodis ſuos alere liberos, & patrimonio largiſsimo ditare deſtinaſſent: qua profectò temporum felicitate non omnes æquè Prætores in India uſos accepimus. Itaque ſumma omnium voluntate Pardaum decem millia illico numerata ſunt; neque enim plura petebantur. Goanæ præterea matronæ magnam ad eum gemmarum vim ultrò miſerunt, additis humaniſsimis literis, quibus modeſtè ſignificabant, graviter admodùm ſe tuliſſe, rejectum id muneris ab eo fuiſſe, cum primò oblatum fuerat, nec inſumptum, ut vehementer optaverant, in publicum reipublicæ commodum. Quo facto honeſtiſsimæ fœminæ, tametſi Ciaulenſium Matronarum exemplum imitatæ, temporis anticipatione illis cederent, eaſdem muneris pretio, ac magnificentia vicerunt. Prætor

Et in Senatu recitari jubet, a quo auxilia petit.

Omnia illi offerunt Goani.

Et matronæ gēmas ſuas.

tor verò, ſpontaneis ejuſmodi tributis ut parciſsimè ſemper eſt uſus, gratiſsima animi ſignificatione gemmas remiſit intactas, matroniſque largiſsimæ ejus liberalitatis gratiam copiosè rependit, collatis in earum viros, ac liberos honeſtiſsimis militiæ gradibus. Poſt hæc, Dienſibus rebus ad Bazainenſes, ac Ciaulenſes perſcriptis, & memoratis ſumptibus ad claſsis apparatum neceſſariis, ſignificavit, eorum quoque ſubſidiis magnoperè ſe indigere. Hi verò tam pronos, ac faciles ad Regia commoda promovenda, reſcriptis literis, ſe oſtendere, ut ipſas novi periculi ſubeundi, & pecuniæ erogandæ occaſiones, ſuorum veluti præmia meritorum excepiſſe viderentur.

Dienſem ſtatum ſcribit Prætor ad Ciaulenſes, & Bazainenſes.

37 Interea, cum ſumma contentione claſsis apparatum Prætor maturaret, lætiſsimus affertur nuncius, binas è Luſitania naves appuliſſe. Sex eo anno ſolverant Olyſippone, quibus à Rege Præfectus nullus impoſitus. Binas, quæ appulerant, ducebant Balthaſar Lopo de Souſa, & Franciſcus de Govea. Ex quatuor, quæ adhuc deſiderabantur, navem à S. Philippo nominatam regebat Franciſcus de Lima, qui auxiliares Goæ copias ex Regia deſtinatione recturus veniebat: Zambucum adminiſtrabat Franciſcus à Cunha: hæ duæ porrò naves cum ſeriùs vela feciſſent IX. Kal. Octobr. Goam tenuere. Aliam regebat Petrus de Sylva Gama, Comitis filius, qui ſummam maris Præfecturam obtinebat. Is Malacenſis Præfectus deſignabatur à Rege: at incuria naucleri præpoſtero curſu navigantis, ad Inſulas Angoxas naufragium fecit, ſalvis tamen claſsiariis, qui Mozambiquium diverſis itineribus contendentes, in alias deinde naves diſtributi Goam venere. Prætor verò Regiis literis jubebatur Mozambicenſis arcis ſitum laxare. Cum enim Rumes ad eam circumſiden-

Luſitanæ naves Goã appellunt.

Quæ mandata perferant à Rege.

den-

dendam venturi nunciarentur, plurimùm intererat, valida munitione eum locum munire, tum ut incolæ tuti eſſent, tum ut navibus è Luſitania venientibus ſtatio conſervaretur ad aquationem perneceſſaria, & ad curſum longiſsimum pauliſper intermittendum aptiſsima: demum, ne mercatores hoſtis impediret, quo minùs Sofalæ, & Cuamæ mercaturam facerent.

38 Tria Luſitanorum millia, præter complures Nairum Cocinenſium cohortes auxiliares numerabat ſub ſignis Prætor. Videns itaque abſentia ſua Hidalcanem facilè ad noſtram perniciem uſurum, ad interiora Regni ejus penetrare cum exercitu ſtatuit, invitumque ad committendum prælium compellere; idoneas enim ad eam expeditionem vires comparaverat, & tempus peropportunum definierat. Re cum Senatu Goano, & militiæ Præfectis communicata, omnium ſuffragio viſa eſt ea temporis opportunitas ad id bellum gerendum commodiſſima. Prætor verò, ut erat in exequendo promptiſsimus, & paratas habebat copias, milites in agmina omnino quinque ex Indica diſciplina diſtribuit. Iis Præfectos impoſuit Alvarum filium, Bernardum, & Antonium de Noronha, Garziæ Proregis filios, Emmanuelem de Souſa de Sepulveda, & Vaſcum à Cunha. Ducentorum equitum turmam cum Goanis conjugatis, ac præterea quindecim Canarinorum centurias ducebat Didacus de Almeida Freire. Racholenſem arcem præſidio muniebant ex Luſitanis trecenti, ex incolis nonnulli, quibus Ftanciſcus de Mello imperabat: huic nunciatum eſt à Prætore, ut copias educeret, & ad reliquum exercitum in Marganenſi oppido ſe adjungeret.

Bellum in Hidalcanem gerere ſtatuit Prætor.

Aciem quomodo inſtruat.

39 Sub idem tempus Goam venerunt à Cana-

renſi

Canarenſes legati Goam veniunt.

renſi Rege Legati, qui belli ſocietatem inire cum Luſitanis vehementer expetebant, ut conjunctis vexillis finitimum Hidalcanem ſociali premerent bello. Fuit olim Canaræ Regnum, magnitudine imperii Orientalium omnium illuſtriſsimum: vaniſsimum tamen fabuloſis initiis, unde dicitur originem ſuam duxiſſe; ſexcenta quippe traduntur commenta, quæ ad conciliandam Regibus ſuis venerationem Canarenſium adulatio vulgavit. Legatos itaque Prætor cæremoniis ad Regiam dignitatem accommodatis, & pro Luſitana magnificentia publicè excepit, nulloque negotio ictum eſt fœdus, æquis utrique Regno conditionibus. Hidalcanes verò, ubi primùm Prætoris deliberationem intellexit, copias, quas ad tuendam continentem præſidio reliquerat, regredi juſsit, ut primæ invaſionis impetum declinaret; induxerat quippe in animum, fatigare Luſitanos inſtituto genere ſubitanei, furtivique belli, quod nobis intolerabile, ſibi facillimum fore intelligebat.

Audiuntur, & dimittuntur inito fœdere.

Hidalcanes exercitū revocat.

Prætor infeſtis ſignis barbaros ſequitur.

40 Nunciatum itaque eſt, Mauros Pondam ſe recepiſſe, ubi bellicis tormentis Caſtelli ſui commodiſsimè defendebantur. Fugientem hoſtem premi ulteriùs non oportere, nonnulli ex Præfectis ſentiebant: quæ ſanè opinio in rei militaris peritiſsimis jam diu inſedit, & inveteravit. Prætor verò, ne fruſtra ſumpſiſſe arma videretur, procedere aciem juſsit, affirmans ſe in Hidalcanem animadverſurum non procul, ſed in ipſa domo. Porrò ejuſmodi deliberatio gratiſsima militibus accidit; putabant enim in ſtrenuiſsimi Imperatoris fortuna magnam victoriæ partem ſitam eſſe. Proceſsit ea die Luſitanus exercitus ad duas leucas, &, inclinante jam die, hoſtem proſpexit, qui in altera fluminis ripa noſtros

oppe-

opperiebatur, tranſitum venientibus cum duobus millibus peditum impediturus.

41 Alvarus primi agminis Ductor immiſit ſe cum ſuis in fluvium, ac vado tranſiens, ſtricto ferociter gladio, cum hoſtibus dimicabat. Mauri verò diſploſis ferreis fiſtulis etſi nonnullos ſtravere, impedire tamen minimè potuere, quo minùs fluvium trajicerent. Reliqui tamen Præfecti, alii aliò tranſeuntes conjunxere ſe cum Alvari copiis, cum primi hoſtium Luſitanum impetum non ferentes, paulatim pedem referrent. Cum enim ſibi non propoſuiſſent bellum nobiſcum in aperto loco conſerere, ſimul ac ſuperatum à noſtris fluvium videre, ultrà non repugnarunt, & in Pondæ Caſtellum, ſervatis ordinibus, ſe recepere. Prætor verò ſuos inſtare recedentibus juſſit, quod dum illi ſtrenuè faciunt, cum ſupra ferreos murices hac illac ab hoſtibus de induſtria diſſeminatos ſæpè eſſet incedendum, multorum vulnerati ſunt pedes. Verùm ubi Pondam ventum eſt, univerſus Hidalcanis exercitus ad pugnam inſtructus apparuit. In eum Prætor eodem, quo progrediebatur, ordine impetum à ſuis ſine mora fieri juſſit: hoſtes verò, perinde quaſi ex ea intrepidi Ducis deliberatione, Joannis de Caſtro virtutem agnoſcerent, ac tanti nominis famam revererentur, loco ceſſerunt, una Prætoris reverentia Luſitanis ea die victoriam largiente. Itaque ad interiora regionis effuſa fuga hoſtis ſe recepit, quò, propter locorum aſperitatem, progrediendi omnino nobis facultas defuit. Alvarus arcem ingreſſus, præſidio deſtitutam invenit, quam cum muris nudari oportere permulti ſentirent, id ſe facturum negavit Prætor, ſuperba quadam deliberatione, dictitans, miſeris ac fugitivis perfugium illud qualecumque minimè auferendum: ho-

Alvarus in prima acie dimicat.

Fugiunt Mauri.

Sequitur fugientes Prætor.

In mediterranea ſe recipiunt.

hoſtem nimirum, cujus miſereri videbatur, inſigniter contemnebat.

Goam Prætor revertitur.

42 Hac expeditione recuperati quidem agri, intermiſſum bellum, ſed pax omnino tuta non extitit; ſupererant quippe Hidalcani vires, quibus maturas agrorum fruges auferret, ſed nullus ad fruendos fructus locus dabatur. Dimicabat itaque magis ad ſuſtentandam armorum ſuorum famam, quàm ad amplificandas ex eo bello fortunas. His ita conſtitutis, Goam Prætor venit, ubi erat in procinctu claſſis in Borealem oram vela factura, nec, ut copiæ naves conſcenderent, edicto opus fuit; ipſa enim commodiſſima navigandi opportunitas, ac perpetua Prætoris fortuna milites invitabat.

IterumDiom navigat.

43 Centum ſupra ſexaginta minoribus liburnicis conſtabat claſſis. Has regebant Alvarus de Caſtro, Rocchus Tello, Petrus de Sylva Gama, Joannes de Abranches, Georgius Deſa, Bernardus de Sylva, Vaſcus à Cunha, Franciſcus de Lima, Franciſcus de Sylva de Menezes, Georgius de Menezes Barocenſis, Emmanuel de Souſa de Sepulveda, Cides de Souſa, Eduardus Pereira, Didacus de Souſa, Garzias Rodriguez de Tavora, Joannes de Attayde, Joannes Lobo, Gaſpar de Miranda, Blaſius de Almeyda, Petrus de Attayde Inferno, Antonius Moniz Barreto, Coſmus Eanes à ſecretis, Melchior Correa, Sebaſtianus Lopez Lobatto, Antonius de Sà, Alvarus Serranus, Antonius de Noronha, Didacus Alvarez Telles, Antonius Henriquez, Alexius de Abreu, Antonius Dias, Balthazar Dias, Balthaſar Lopez de Coſta, Damianus de Souſa, Emmanuel de Sà, Ferdinandus de Lima, Alphonſus de Bonifacio, Antonius Robello, Antonius Rodriguez Pereira, Melchior Cardozo, Coſ-

mus

mus Fernandes, Franciſcus Marquez, Eduardus Dias, Didacus Gonſalves, Franciſcus Alvares, Franciſcus Varella, Aloyſius de Almeyda, Franciſcus de Britto, Gondiſalvus Gomes, Georgius de Vaſconcellos, Gomes Vidal prætoriæ cohortis Præfectus, Antonius Peſſoa militaris ærarii Moderator, Gondiſalvus Falcao, Gondiſalvus de Villadares, Galaores de Barros, Gaſpar Pires, Joannes Fernandes de Vaſconcellos, Ferdinandus Alvares, Joannes Soares, Ignatius Coutinho, Joannes Cardoſo, Joannes Nunes Homem, Joannes Lopes, Lupus de Faro, Emmanuel Pinto, Lupus Soares, Emmanuel Pinheiro, Lupus Fernandes, Emmanuel Alphonſo, Marcus Fernandes, Nonius Gonſalves de Leone, Petrus de Caſeres, Petrus de Moura, Rotericus Pires, Petrus Alphonſo, Petrus Preto, Aloyſius Lobatto, Simon de Areda, Franciſcus à Cunha, Thomas Branco navalis Goani Præfectus, Cogus Percoli linguarum interpres. Præter hæc Cocinenſium quoque navigia à Luſitanis regebantur. Nonnullæ etiam civium Goanorum naves claſſem nullo ſtipendio ſecutæ ſunt, una Prætoris benevolentia ad eam expeditionem adductæ.

44 Claſſis itaque ſecundiſſimo curſu Bazainum cùm appuliſſet, Prætor inde miſit in Cambajam exploratores, qui de viribus hoſtium, atque conſiliis cognoſcerent. Multa enim de Sultani exercitu, nec ſine metu, narrabantur, jactabantque Guzaratæ (creduline magis, an ſuperbi, non affirmarim) Sultanum eo prælio Luſitanos omnino profligaturum. Nunciatum hìc Prætori fuit, Caracenum Coge-Sofaris generum, fretum Turcici exercitus vicinitate, Suratæ arcem exiguo præſidio tenere. Itaque Joannes de Caſtro, cum vehementer cuperet urbem Bazainum appellit.

aliquam invadere ex iis, quæ hoſtili exercitu tegebantur, Alvarum filium cum ſexaginta navibus Surratam præmiſit, ut fluvium ingreſſus, qui arcem præterfluit, fidos homines mitteret, qui de ſtatu arcis cognoſcerent, & ab incolis aliud agentes intelligerent, quo militum præſidio, quove ad reſiſtendum bellico apparatu Caracenus eſſet tunc temporis: ſi verò arcis occupandæ idonea ſpes appareret, eam admotis ſcalis è veſtigio aggrederetur: ſe per eadem veſtigia ſubſidio illi venturum.

Alvarum filium Surratam mittit.

45 Alvarus verò, ſimul ac ad Suratæ fluvium pervenit, ſuperato oſtio, claſſeque idoneo in loco conſtituta, Georgium de Menezes Baroceuſem cum ſex liburnicis ad ſpeculandam arcem adverſo fluvio progredi juſſit. Is blando remorum impulſu tandiu proceſſit, dum à præſidiariis excubitoribus procul agnitus, repetitis bombardarum emiſſionibus repulſus eſt. Porrò claſſiarii, vel timidi, vel cauti, circumactis illico, verſiſque navigiis, regredi perrexere, Georgio nequicquam reclamante, ut pauliſper ſubſiſterent. Plus tamen inde periculi extitit, unde minus timebatur. Abaſſini ſcilicèt ex oppido, quod fluvio imminebat, tam crebris tormentorum librationibus noſtros fatigavere, ut Georgius, expoſito in terram milite, oppidum ingreſſus, tormenta omnia, quæ in minoribus munimentis erant diſpoſita, in ſuam redegerit poteſtatem: idque tam ſtrenuè, ac pacatè, ut ea in naves impoſuerit, quin Mauri undique confluentes eam impedire tranſvectionem auſifuerint. Hæc porrò noſtrorum ſecuritas fecit, ut hoſtes longè plures eſſe Luſitanorum copias arbitrarentur, quàm re vera eſſent, perinde quaſi ex militum audacia vires noſtras metirentur.

Ad explorandam arcem mittit Alvarus Georgium de Menezes.

46 Cæterùm non ita multò poſtquàm Georgius ve-

vela fecerat, duas alias liburnicas eòdem properare Alvārus juſſit. His imperabant Franciſcus de Sylva de Menezes, & Joannes Fernandes de Vaſconcellos, qui, cum vellent de incolis percontari permulta ad eam expeditionem pertinentia, jecerunt anchoras è regione oppidi Abaſſinorum, unde nautas aquatum dimiſerunt. Hi, deſcenſione facta, tantum itineris proceſſere, quantum emiſſus minoris fiſtulæ globus provehi ſolet. Caracenus verò, ſimul ac tormentorum ſtrepitum audiit, qui ex oppido Abaſſinorum ad arcem, ut ſuprà meminimus, ferebatur, Turcarum centurias quinque eò dimiſit, ut laborantibus, ſi opus eſſet, præſidio forent. At hi, tametſi concitato gradu veniſſent, deſtructas militum ſtationes, & bellica tormenta ad naves abſtracta invenerunt, &, cum deinde longiùs procederent, agniti ſunt ab aquatoribus, qui procul inclamantes, Franciſcum de Sylva de adventu hoſtium monuere. Is cum ſuis, & cum Joanne Fernandez ad nautarum defenſionem advolavit. Facto igitur Luſitani agmine, Turcas aggreſsi primo impetu fundunt, nonnulloſque, diſploſis ferreis fiſtulis ſternunt. Georgius verò, cum in regreſſu liburnicas ſtantes in anchoris, ſocioſque in terra dimicantes animadvertiſſet, directa in ripam prora, ac facta cum ſuis exſcenſione, ita opportuno noſtris præſidio fuit, ut, facto in hoſtem impetu, Turcas partim fugaverit, partim occiderit. Parta igitur, & quidem minimo, victoria eſt; unum quippe dumtaxat militem deſideravimus.

Ac prætereà alios navium Præfectos.

Quid ibi contigerit.

47 Poſt hæc, copiis in naves impoſitis, Præfecti omnes, remenſo itinere, ad Alvarum rediere, cui cum Georgius ſignificaſſet, quid rei actum eſſet, & quid ſibi de arce videretur, deliberatum eſt communi

Ad Alvarum revertuntur.

muni militaris conſilii decreto, ab ea expeditione abſtinere omnino; claſſem quippe hoſtis inſpexerat, & ubique fuerat ad arma conclamatum. At Georgius in alia prorſus erat ſententia, quam pertinaciſſimè tuebatur: invadendam nimirum arcem aperta vi, quod ipſe magis animi ſui magnitudine, quàm veris, ſolidiſque rationibus perſuadebat. Verùm, cum tam multi, & quidem acerrimè, contrà ſentirent, rei per ſe admodùm periculoſæ vel feliciſſimus exitus vacare procul dubio culpa non poterat.

Bazaini quid agat Prætor.

48 Dum hæc ab Alvaro in Suratæ portu agebantur, Prætor, qui ſtabat adhuc in anchoris, multa, ac varia negotia curabat, et, ut erat non ſolum apprimè ſtrenuus, ſed etiam cum quadam concinnitate ſubarrogans, rumorem in vulgus diſſeminavit, fore, ut Sultanum Madabæ in Regia urbe vivum caperet, captumque, inſpectantibus Prætorianis, qui eum tuebantur, igne torreret. Ejuſmodi porrò rumor, cui fidem non mediocrem inſignes Joannis victoriæ conciliabant, ita latè inter Mauros manare cœpit, ut alii aliis, vel nimia credulitate, vel timore adducti, non ſine horrore, ac trepidatione narrarent, quod audierant. Prætor verò, ut fidem rei luculentiùs adſtrueret, multiplex veru eximiæ magnitudinis extruendum curavit, utpote qui ad avertendum pauliſper à negotiis gravioribus animum, virilibus ejuſmodi laxamentis mirè capiebatur. Solebant milites ea tempeſtate pendentes de cingulo ſecuriculas quaſdam ſecum ferre, affabrè elaboratas, quibus utebantur ad reſcindendos captarum navium funes, ſive ductarios, ſive ſcalares, ac præterea, quod ſæpiùs accidebat, ad effringendas capſas majoris molis. Ejuſmodi armorum genus Prætori vehementer diſplicebat, non alia ſanè de cau-

cauſa, niſi quòd nimis humilem eorum uſum arbitraretur. Quapropter, cum militem honeſto loco natum videret, ejuſmodi ſecuricula inſtructum, probabiles, inquit, ac ſtrenuos milites gladio dumtaxat venuſtè uti ſolere. Cui miles appoſitiſſimè facetus, Domine, reſpondit, verubus tuis quìnam commodè uti poſſis, ad torrendum igni Cambajæ Regem, ut ſæpè dictitas te facturum, niſi eum priùs in partes ſecuricula dividas?

49 Interea Prætor, ſolutis anchoris, in Suratæ portum contendit, ut ſuam cum Alvati claſſe conjungeret. Verùm, cum certis ad eum nunciis perferretur, arcem validiſſimo præſidio fuiſſe firmatam, conjunctis in unum navigiis, Barocum navigavit, è cujus portu Franciſcum de Sequeira, Nairum Cocinenſium Ducem dimiſit ad explorandam fluvii altitudinem, eumque præterea diligentiſſimè urbem ſpeculari propiùs juſſit, & ad ſe referre, quid agi poſſet, & quid conſilii capere oporteret. Ducenta militum millia Sultanum habere ſub ſignis fama vulgaverat: ut ut fuerit, illud certè exploratiſſimum eſt, denſiſſima copiarum multitudine vicinos, remotoſque campos inundatos quodammodò apparuiſſe. Retulit itaque Franciſcus ad Prætorem cuncta, quæ viderat. Is paulò ſuperbior, quòd tantoperè à Sultano timeretur, ad famæ ſuæ commendationem hoſtiles copias inſpicere propiùs, ac per ſe voluit. Itaque, ſublatis anchoris, editoque ad profectionem ſigno, claſſem univerſam provehi adverſo flumine tandiu juſſit, dum conſiſteret è regione numeroſiſſimi exercitus, qui ad extinguendam ſitim integra ſiccare flumina ferebatur. Expoſito deinde in litus milite, aciem inſtruxit, & liberam dimicandi facultatem Sultano ferociter obtulit: quod ſanè facinus adeo

Cum filii claſſe conjungitur.

Sultano procedit obviam.

adeo memorabile, & illuſtre fuit, ut inter ea, quæ magna cum laude memorantur, nulli ſecundum videatur. Oblatam prælii committendi occaſionem Sultanus nec admiſit, nec recuſavit; ejus tamen invaſionem, à quo provocabatur, expectare tutius duxit: Prætoris vultum inſpexit: ejus verò gladii ferocitatem noluit experiri. At Joannem de Caſtro novæ ſemper gloriæ cupidum, ac minimè vulgarium facinorum famam quærentem, in difficillimis expeditionibus adeundis, vocatis in concionem Præfectis, ac Procerum ſtrenuiſſimis, in hæc verba diſſeruiſſe, proditum eſt.

Eidem prælium offert.

Ejuſdem ad ſuos oratio.

50 *Regem Aſiæ potentiſſimum, Socii, & numeroſiſſimas copias ante oculos poſitas intuemur. Luſitani nominis celebrandi opportunitates omnes fortuna, niſi fallor, ſcrutatur, ut, relata de immaniſſimo hoſte victoria, ſubactoque tandem Oriente, non minùs pacificè, quàm glorioſè quieſcamus. Maximam noſtri, & hoſtilis exercitus inæqualitatem quis adeo cæcus eſt, ut non videat? Subeat tamen vobis in mentem, Luſitanas vires virtute magis, quàm numero æſtimari. Porrò, quos ex hoc loco videtis, iidem omnino ſunt, quos paucis abhinc diebus nos ipſi fudimus apud Dium, ac profligavimus. Nova illis inferre vulnera non eſt opus: ſatis eſt ſi recentiſſima, & adhuc aperta violentiùs renovemus. Cæterùm hoſtes ſuus ipſe numerus timidiores facit; vident enim clauſam ſibi undecùmque ad ſalutem viam; quos enim delevimus, caſtriſque exuimus, dum arctiſſima, & maximè periculoſa obſidione premeremur, quid cauſæ eſt, cur modò victores non expugnemus? Regis ſui famam malè, credo, ſuſtentabunt, qui ſuam jampridem amiſerunt. Militant à nobis fama & victoria, ac proinde majores Luſitanæ virtuti, quàm multitudini indecorè victæ, vires ſuppetunt. Quapropter*

pter neminem arbitror ex vobis recuſaturum, quo minùs magnam ejus gloriæ portionem adipiſci velit, quam dies glorioſiſſima unicuique veſtrum liberaliſſimè obtulit.

51 At Proceres, militareſque Præfecti Prætorem à periculoſiſſima deliberatione vehementer diſſuaſere. Ajebant enim in tanta virium inæqualitate victoriam ipſam non laude, ſed reprehenſione dignam futuram: ſtrenuos homines, ac probatæ virtutis ratione potiùs, quàm fortuna niti oportere: ſatis, ſuperque eſſe, ſi partam ſibi famam, quæ creſcere vix poſſet, intactam tueretur: nihil ultrà requiri ad perpetuam nominis ſui celebrationem, quàm quæ ad eam diem egiſſet: copias eum expoſuiſſe, inſpectante numeroſiſſimo barbarorum exercitu: prælium fortiſſimo Regi obtuliſſe: hoſtile ſolum calcaviſſe. His Prætor rationibus, culpæ magis, quàm periculi timidus ceſſit. At Georgius quingentos ab eo ſclopetarios petivit, ut, commiſſo cum hoſtibus levi prælio, belli fortunam experiretur. Prætor verò dedignatus eſt, Sultanum tam levi vulnere fauciare, quem omnibus copiis, ut deſtinaverat, penitus confodere prohibebatur. Tres tamen ipſas horas in acie ſtetit impavidus, quin hoſtes loco immobiles quidquam in eum auderent. Poſt hæc conſcendere milites juſſit, qui tam pacatè, ac ſecurè ad naves ſe recepere, perinde quaſi non ex hoſtili, ſed è Luſitano portu diſcederent. Hoc ſanè bellico facinore inter ea, quæ citra ſanguinem obivimus, glorioſius nullum arbitror extitiſſe.

Procerum, & Præfectorum reſponſum.

Tres horas in acie prælium expectat, & tandem conſcendit.

52 Prætor igitur ex Baroceuſi portu vela faciens, navigia nonnulla in Cambajæ ſinum immiſit, ad devaſtanda maritimæ oræ loca, quæ nondum Luſitanam iram experta fuerant. Hæc itaque, magna vi na-

Hoſtibus damna infert.

navium incenſa, hortis, palmetiſque ad incolarum ſuſtentationem, ac delicias conſitis, hoſtiliter devaſtatis, magnifica latè ædificia ſolo æquavere, quorum ad hanc diem miſerabiles ruinæ perdurantes, Luſitani furoris triſtiſsimam memoriam refricant.

Dium appellit.

53 Dium interea Prætor cum appuliſſet, proceſsit illi obviam ad litus arcis Præfectus, & Inſulani, editis ludis apparatiſsimis ad ejus celebrandum adventum, ſuperbire quodammodò videbantur, quòd ſtrenuiſsimo hoſti metum incredibilem injeciſſemus. At Joannes Maſcarenhas, memorata facultate, quam à Rege obtinuerat in Luſitaniam renavigandi, petivit à Prætore, ut eam ratam habere ne gravaretur. Prætori verò, ſicuti repugnandi facultas omnis auferebatur, ita annuendi ſumma difficultas erat: eam quippe Præfecturam Procerum nònnulli ſæpè rejecerant, illud ſubverentes, ne illæ ſibi promerendæ gloriæ opportunitates deeſſent, quibus honeſtiſsimi anteceſſores abundaverant. Verùm, cum per id tempus Dium appuliſſet Ludovicus Falcao poſt Armuzianam arcem adminiſtratam, & cum inſimulatus jam pridem fuiſſet apud Prætorem, quòd male ſe in ea procuratione geſsiſſet, non quidem in rebus, aut ad bellicam virtutem, aut ad Juſtitiæ adminiſtrationem pertinentibus, Prætor benevolè hominem accerſivit, & remotis arbitris, ſignificavit, ſe amicitiæ nomine ea, quæ crimini illi verterentur, libentiſsimè diſsimulaturum: verùm non eſſe ſibi integrum, id officii præſtare, ſalva Prætoris integritate: præterita omnia facilè obliterari poſſe, ſi vellet ejus arcis adminiſtrationem ſuſcipere, quam tantopere Luſitanus Rex, totus denique terrarum orbis conſervatam vellent. Annuit Ludovicus, gratiaſque Prætori quàm maximas egit, quòd

Joannes Maſcarenhas Dienſi Præfectura ſe abdicat.

Eam Prætor Aloyſis Falcao tradit.

tam

tam honeſta animadverſione plecteretur, fortunaſque ſuas, non modò quas in Armuziana Præfectura collegerat, ſed etiam quas haberet in Luſitania copioſè, libentiſſimè ſe omnes impenſurum in ejus arcis conſervationem promiſit. Hanc in eo animi magnitudinem Prætor non laudavit modò, ſed collatis etiam beneficiis vehementer acuit.

Navem conſcendit, & magna hoſtibus infert damna.

54 Dienſibus rebus ita conſtitutis, Prætor conſcendit, & recto curſu Bazainum petens, maritimam Poris, & Mangaloris oram cum legeret, Patæ, Patanæque præcipuas urbes incendit. Incolæ verò imminens ſibi flagellum antevertentes, ad mediterranea ſe recepere, ut vitam, ac fortunarum partem exiguam in tuto collocarent; neque enim ad reſiſtendum idonea virtus ſuppetebat: inopinatum præterea periculum ita mentem turbaverat, ut ne honeſtè quidem ſe defendere, nec mori fortiter poſſe arbitrarentur. Centum & octoginta naves diverſæ magnitudinis igne abſumptæ, attonitis dominis miſerandum incendium inutiliter complorantibus. Audiebantur procul miſerorum voces, ac gemitus, ſed ab ira victorum penitus negligebantur. Prætor verò debita humanitati miſericordia, tametſi militibus importuna, pueros, ac ſenes, quibus nulla evadendi facultas erat, eripi incendio juſſit. Spolia igni tradita, ut quo minor prædæ, tanto major vaſtitati locus eſſet. Multi præterea ejus oræ vici, pagique ignobiles latè vaſtati. Ita Dienſis obſidio ultione, quàm victoria celebrior fuit.

Prætoris commiſeratio.

Bazainum venit.

55 Ora maritima hoſtiliter devaſtata Bazainum Prætor ſe recepit, reliquum æſtatis tempus in Cambajano bello poſiturus. Inde nonnullos exploratores dimiſit, ut, quid hoſtis ageret, & quo loco eſſet, intelligeret. Itaque nunciatum eſt, Madabæ in aula

Regia omnia lachrymis, & luctu perſonare: Sultanum, lato edicto, ſeveriſſimè vetuiſſe, nequis de Dienſi obſidione, ac prælio publicè verba faceret, perinde quaſi Regiis legibus jus aliquod eſſe poſſet, vel ad populi dolorem impediendum, vel ad obliterandam publicæ calamitatis memoriam. Ex iiſdem exploratoribus reſcitum eſt, Suratæ, Barocique arces præſidio militum, incoliſque nudatas, adventu Luſitanæ claſſis, Alvarumque facillimo negotio eas admotis ſcalis expugnare potuiſſe, ſi Præfecti, qui aggreſſionem vehementer diſſuaſerant, minimè repugnaſſent: quod ſanè Joannes de Caſtro adeo tulit immoderatè, ut, præter morem ſuum, acerbiſſimis verbis Præfectos increpuerit imbecillis animi, ac plus æquo remiſſi: perinde quaſi occaſionibus præclarè uti neceſſe eſſet, nec caſui eſſent obnoxia, quæ in bello adminiſtrando ſe ſe offerunt.

Surratam nõ expugnari vehementer doiet.

56 Breviſſimum otium, quo Bazaini Prætor eſt uſus, totum in literis in Luſitaniam conſcribendis collocatum ab eo fuit, in quibus commendata Regi eorum nomina, qui in ejus procurandis commodis præclarè, & cum laude ſe geſſiſſent: quæ grati animi ſignificatio, & ſtudium benefaciendi iis, qui præmia meruiſſent, primum inter præclaras Joannis virtutes locum ſibi jure vendicat. Hinc porrò milites ad bellicæ virtutis laudem ſtrenuè nitebantur, ut qui probè intelligerent, Prætorem ſibi debitis præmiis, & optima benefaciendi voluntate non defuturum.

Regi Dienſes milites commendat.

57 At Hidalcanes, Luſitanas vires, tametſi victoria glorioſiores, imminutas eſſe non mediocriter, ac debilitatas intelligens, Cala-Batacanem Turcam ſtrenuum, qui ut pote in Dalmatia ortus linguas, ac diſciplinas Europæas apprimè callebat, miſit cum vali-

Novum Hidalcanis bellum.

validiſſimo exercitu peditum ferme viginti millium ad Salſetanos agros iterum occupandos. Is, nullo repugnante, ejus tractus potitus eſt, compulſis militibus ſanè paucis in arcem Racholenſem ſeſe recipere, à quibus feſtini nuncii Goam miſſi, qui docerent, quo loco res eſſent, & quanto copiarum apparatu hoſtis veniſſet.

58 Perlato triſtiſſimo nuncio, Didacus de Almeyda de conſilio Goani Antiſtitis, qui rempublicam temperabat, nonnulliſque Procerum, militumque vehementer probantibus, ſtatuit copias educere, & antè Mauros de occupatis locis per vim exigere, quàm idoneo loco ſe munirent, & aucti viribus Goam uſque, Regni ſedem audacter proveherentur. Itaque, inſtructa jam acie, cum eſſent omnia ad profectionem parata, Senatus, ac Magiſtratus Goani, conteſtata denunciatione, vetuere publico nomine, ne ultrà procederet, nec in tanta virium inæqualitate principem Regni ſedem periculo objectam vellet: Bazaini Prætorem eſſe cum ornatiſſima claſſe, copiiſque victoria exultantibus, quibus audaciſſimum hoſtem frangere facillimè poſſet, contra quem non tam nominis ſui fama, quàm fortuna, duplicato veluti exercitu, dimicaret.

Ei reſiſtere parat Didacus de Almeyda.

Goani Magiſtratus impediunt.

59 Diu ejuſmodi controverſia diſſidentes militum, civiumque animos tam pertinaciter tenuit, ut nihil propiùs abfuerit, quàm ut in apertam ſeditionem diſcordia degeneraret. Alteri quippe pro urbis ſuæ conſervatione, & incolumitate: alteri pro retinenda militiæ noſtræ exiſtimatione pugnabant. Sedata tandem in hunc modum controverſia eſt, ut, quando non ita longè abeſſet Prætor, miſſis ad eum nunciis, de re tota quàm celeriter referretur. Porrò is, ſimul ac intellexit urbanos Magiſtratus

Nuncium Didacus mittit ad Prętorem.

arrogare ſibi voluiſſe bellicæ rei adminiſtrationem, eorum audaciam vehementer increpuit: Didaco verò de Almeida gratias egit de ſumpta deliberatione ducendi in hoſtem exercitus, quam non laudavit modò, ſed etiam confirmavit, jubens, ut in Pangino vico Goanæ copiæ ſubſiſterent, & ſe paulò pòſt venturum opperirentur.

Qui ſtatim ſolvit.

60. Vix Joannes calamum, quo literas in Luſitaniam ſcripſerat, depoſuerat, gladium ſtrinxit. Quo die de hoſtium in agros noſtros adventu nunciatum eſt, eodem dari profectionis ſignum juſſit, exploſa de more majore bombarda, & poſtera die ſolutis anchoris, vela fecit, oramque maritimam radens, Dabulum conſpexit, oppidum illato olim à Luſitanis excidio percelebre, nunc verò inter omnes Hidalcanis portus emporium frequentiſſimum. Apparebant procul viridaria complura, pomaria, & ædificia perelegantis ſtructuræ, quæ delicias incolarum, magnificentiamque non obſcurè indicabant. Oppidanorum familiæ fermè quater mille. Duobus caſtellis, ac totidem minoribus munimentis portus aditus defendebatur. Porrò ejuſmodi facinus, tametſi difficile admodùm videbatur, nec niſi poſt maturam deliberationem, tentandum; illud tamen Prætor, quanta poſſet celeritate, & contentione aggredi ſtatuit.

Dabulum venit.

61. Claſſis itaque à meridie ad veſperum, quaſi incertos ventos captaret, hinc illinc è regione oppidi fluitavit, opportuna jaciendis anchoris loca, & hoſtium munitiones diligenter explorans. Poſtera verò die ſub quartam vigiliam noctis Prætor Alvarum filium cum duobus millibus bellatorum in ſcaphas imponi juſſit, ut in terram deſcenderet: is verò, pro inſita ſibi alacritate, primus omnium hoſtile ſolum calcavit inter denſiſsimam emiſſarum glan-

Alvarus exſcēdit in terram.

glandium procellam. Hoſtes verò, juncto agmine, repugnare, & omni ope contendere, & impedire, quo minùs noſtri trajicerent. Diu æquo marte pugnatum eſt, fretis loco, cauſaque barbaris ad prælium non minùs fortiter, quàm audacter gerendum. Uxorum ſiquidem, ac liberorum querelæ, ac miſerabiles ejulatus faciebant, ut vulnera ſecuri quodammodò exciperent, nec ſentirent: quin immò quotquot ante oculos ſternebantur, non erant ad timorem exemplo, ſed ad ultionem. Itaque cruentum utrinque prælium agebatur, dubiamque victoriam conſtantia faciebat, quæ pugnare utrinque contumaciſsimè videbatur. At Prætor ſubſidio veniens cum reliquis copiis barbaros ita ferociter invaſit, ut hi remiſsiùs ſe defenderent, ac paulatim loco cedentes, aliquandiu retrocederent, donec effuſa fuga terga vertentes victoriam Luſitano reliquerunt. Prætor itaque Mauris immixtus oppidum cum ſuis ingreſſus eſt, ubi complures in ipſo conjugum ſuarum conſpectu, quas nec relinquere, nec defendere poterant, miſerabiliter periere. Cædem oppidò ingentem non minor cupiditas conſecuta eſt: vix ad adſportandam prædam numeroſa claſsis ſuffecit. Oppidum breviſsimo ſpatio conflagravit, memorabile non minùs recenti, quàm veteri calamitate; bis enim Luſitanorum iræ miſerè ceſsit. In ea expeditione milites omnino quinque deſiderati, cæſis hoſtium ducentis, ac longè pluribus ſauciatis.

Exſcendit & Prætor, & urbem expugnat.

62 Ad hæc Prætor incenſam urbem, & adhuc fumantem relinquens, milite in naves impoſito, Agazainum contendit, ubi venientem Didacus de Almeyda opperiebatur cum tribus equitum turmis, & auxiliaribus Canarinis, parata magna vi cymbarum ad copias in continentem transferendas. Hìc diem

Agazainum venit.

diem unum ſubſtitit Prætor, ut de viribus, & conſiliis hoſtium edoceretur. Poſtera die, quæ Feſtum S. Thomæ Indiarum Patroni præcedebat, Mauros aggredi ſtatuit, invocato Apoſtoli Beatiſsimi nomine, cui protegendæ Indiæ gloria jure optimo debebatur, quam emptam ab eo noverat doctrina, & ſanguine, quem in ſubeunda pro Christo nece generosè, ac largè profuderat.

63 Conſidebat hoſtis in oppido Margano, quod ab Agazaino non ita multum diſtat. Id ubi Prætor intellexit, copias in duas acies diviſit. Primam Alvaro filio tradidit, ſuarum victoriarum ſocio perpetuo. In ea Cocinenſes, Naires, & Goani conjugati militabant. Alteram, quæ Luſitanis Proceribus, & reliquo exercitu conſtabat, ſibi reſervavit, urbanis equitibus hinc inde ad tegenda latera diſtributis. Inſtructis in hunc modum ordinibus procedere milites juſsit, nonnullis præmiſsis equitibus, qui hoſtium caſtra propiùs recognoſcerent.

Hoſtem aggreditur.

64 Mauri verò, quippe qui hoſtem, nec timerent, nec expectarent, huc illuc ſparſi, & neglectis ordinibus contra militarem diſciplinam ſpatiabantur. Verùm, ubi primùm noſtra vexilla conſpexerunt, cognito Prætoris adventu, Cala-Batacani nunciarunt trepidi, quanto in periculo verſarentur, exaggerando Luſitanas vires, quas timor, & ipſa loci diſtantia, ut vulgò fit, mirum in modum augebant. Turcicus verò Præfectus vehementer perterrefactus, quòd fortiſsimus Imperator cum copiis recentiſsima victoria præferocibus ſibi jamjam immineret, nullam aliam capere deliberationem potuit, quàm ut fugam cum ſuis caperet. Relicta in caſtris tabernacula, commeatus, impedimenta, & epulæ ad cænam paratæ, quæ de via ſummo labore venientibus dulciſ-

Mauri fugiunt.

ciſsima ſpolia præbuere. Hac hoſtium fuga, agrorum, & victoriæ poſſeſsionem inire rurſus Prætor cœpit.

65 Itaque barbari tranſmiſſo magno fluvio, qui, terreis vallis in ſpeciem pontis conjunctis, trajici duntaxat poterat, iter, diviſis utcumque aggeribus, ne Luſitanus tranſmitteret, intercluſere. Verùm, cùm ſumma celeritate res ageretur, terram non ita opportunè removere potuerunt, quin tranſitus, tametſi difficilis, minimè periculoſus pateret. Alvarus itaque cum ſuis cœpit illac trajicere, tentato cum paucis vado; neque enim multos loci anguſtiæ capiebant. Fugientes inſequitur Alvarus.

66 Hoſtis verò non erat ita ſui impos, quin cognito præliandi commodo, opportunitatem negligeret. Rediit itaque ad fluvium ſtrictis gladiis, oſtenditque fraudem fuiſſe, quod nos cauto timori tribuebamus. In paucos igitur, qui fluvium trajecerant, trepidos, ac palantes Mauri fecerunt impetum. Suos Prætor imperioſis vocibus, majeſtate, ac præſentia ſua vehementer incitabat, ut generosè trajicerent. Timor tamen obedientiam vicit; primi enim vulneribus quidem cruentati, ſed timore correpti ignominiosè terga verterunt. Hìc enim verò Prætor iræ impatiens, ſuos hac illac trajicere diverſis in locis juſsit. Didacus de Almeyda commodius vadum, & benigniorem nactus fortunam, fluvium cum equeſtri turma ſuperavit: Turcicum deinde Præfectum, qui aciem inſtruebat, ſuoſque diſcurrens in equo ad prælium fortiter gerendum inflammabat, toto impetu invaſit. Ille verò tametſi equo dejectus, non ita tamen à ſenſibus eſt avocatus, quin ſeſe erigens, invaſorem ſuum aggrederetur infeſto acinace. Didacus violento ictu percuſſus, etſi deturbatus equo non fuerit, exarmatus tamen pauliſ- Mauri in pugnâ redeunt. Maurorum Præfectum occidit Didacus de Almeida.

liſper ſubſtitit : ſed paulò pòſt ſe recipiens , in Turcam rurſus incurrit tanta ferocia , ut eum , adjuvantibus gregariis duobus , qui præſidio venerant , multis confoſſum vulneribus vita ſpoliaret .

Prætor dimicat.

67 Interea cæteri Luſitanorum Præfecti , fluvio tandem licèt admodùm ægrè ſuperato , Prætoris exemplo vehementer incitabantur , quem Mauris immixtum videbant perſtrenuè dimicare : tametſi in tanta rerum perturbatione ſuos minùs dicto audientes experiretur ; alii quippe tardiores , alii præcipites , omnes inordinati vadum tentabant . Verùm ubi copiæ univerſæ trajecere , tam vehemens in hoſtes factus eſt à noſtris impetus , ut hi belli molem non ferentes loco ceſſerint . Porrò Prætor , qui ex minimo quovis fortunæ ſucceſſu ſagaciſſimè proficiebat , Mauros jam timidos , & diſſipatos ita ferociter cœpit urgere , ut paulò pòſt victoriam obtinuerit .

Victoriam obtinet.

Pauci ex noſtris deſiderati , ſaucii complures . Mauri verò inſignem accepere cladem , in fuga tamen , quàm in pugna longè graviorem ; noſtri enim cum captivos abducere ſecum nollent , æqua trucidabant cæde , tum cedentes , tum repugnantes . Alvarus de Caſtro , quà mandando , quà dimicando , nunquam meliùs , quàm ea die magni Joannis ſe genuinum filium probavit . Cæteri verò Procerum , equitumque Luſitanorum tam æqua virtute dimicarunt , ut nemo eſſet , qui alteri ſecundus fama videretur. Die S. Thomæ ſacra , ejus invocato nomine , parta nobis victoria eſt , ex qua tanquam ex illuſtri teſtimonio Orientales Chriſtiani cognovere , quantum præſentiſſimo Apoſtoli patrocinio fidendum eſſet . Ejuſmodi vèrò clades memorabilis diu fuit, & à Goanis virginibus decantata ad multos annos , ſinceriſſimo quidem laudis genere , & ab omni adulationis ſpecie

DieS Thomę Apoſtoli ejus invocato nomine.

per-

peralieno, ut carminum minimè fucata facilitas indicabat.

68 Interea Prætor, dimiſſo exercitu, ad aliquam honeſtæ quietis partem capiendam in Panginum vicum ſeceſſit. Noluit enim Natalitia Chriſti feſta Goæ celebrare; quippe qui palmas, & triumphos jamdiu negligeret: nec injuria quidem. Sui nempe nominis fama longè, latèque ſupra omnem populi plauſum perſonabat. Hinc onerarias in Luſitaniam remiſit, in quibus navigavit Joannes Maſcarenhas, vir ſanè in Aſiaticis periculis, quàm in patriæ adverſitatibus tolerandis longè conſtantior. Is in patriam redux, cum à Rege, tum à Luſitanis Proceribus non vulgaris honoris ſignificatione exceptus eſt: præmia tamen inſignibus promeritis paria non retulit. A Sebaſtiano Rege ad intima Regni Conſilia eſt adhibitus, eoque in Africam proficiſcente, inter cæteros Gubernatores adlectus eſt ad Luſitaniam adminiſtrandam. Nuptiis cum Helena filia Joannis de Caſtellobranco celebratis, illuſtrem ex ea ſuſcepit, & fideliſſimam poſteritatem. Mittit naves in Luſitaniam. Elogium Joannis Maſcarenhas.

69 At Joanni de Caſtro nondum ſatis fractus accepta clade Hidalcanes videbatur. Quapropter majore eum belli mole violentiùs urgere decrevit. Salſetanis agris valido præſidio firmatis, reliquit ad eorum cuſtodiam Didacum de Almeyda cum juſta equitum turma, ac decem Canarinorum centuriis. Juſſit præterea, ut in Racholenſi fluvio aliquot in navigiis cohortes diſcurrerent, & ad finitimi tractus tutelam excubarent. Videntes nimirum agricolæ incertum, ac vacillans in iis locis Luſitanorum dominium, & ab ancipiti pendens bellorum exitu, mutato ſolo, frequenter aliò divertebant, ubi poſſent tutiorem, & pacatiorem vitam tranſigere. Porrò Bellum proſequitur Prætor.

 in-

Magno hoſtium damno.

intelligens Prætor inclinatam Hidalcanis dominationem profligari facilè poſſe, ſuſceptum bellum continuavit, ut Luſitanorum inimici præpotentis Regis ruina probè edocti, noſtras timere vires tandem ediſcerent. Igitur conſcendere milites jubet, quos nutibus ſuis paratiſſimos invenit non alia de cauſa, niſi quòd in eorum periculis ſocium, & in laboribus patrem ſe præberet. Itaque vela faciens, maritimam Hidalcanis oram cum claſſe legit, & omnia tam æquali vaſtat flagello, ut nullus ſuperfuerit locus, qui a clade immunis, aliorum cladem ſolari poſſet. Nullus itaque reſiſtendo, Prætoris iram evaſit, paucos dumtaxat loci vel aſperitas, vel diſtantia ſervavit.

Dabulum mediterraneum evertit.

70 In eodem Hidalcanis Regno, præter Dabulum litorale, aliud eſt oppidum ejuſdem nominis, quod duabus fermè leucis recedit à mari. Hoc, utpote natura ſua munitum, & procul poſitum, ditiſſimum profectò erat. Illic enim Mauri, Luſitanorum metu, pretioſiſsima quæque, tanquam in tuto loco, depoſuerant: nil tamen illi profuit loci receſſus, ut à communi calamitate ſe ſe eriperet. Prætor enim inſtructa acie ad oppidum evertendum ſumma celeritate properavit. Præcipuum operoſæ expeditionis periculum, primi nimirum agminis ductum Alvaro tradidit (hæc fortiſſimi patris in filium chariſſimum erant amoris officia, more ejus temporis pervulgato) verùm, antequam is ad oppidum accederet, Mauri, ſpoliata urbe, cum fortunis ſuis, ac liberis ad interiora ſe recepere. Nihil itaque à noſtris inventum eſt, quod uſui ad victoriam eſſe poſſet, ad ſtragem verò permulta. Nudis enim ædificiis, unde nihil prædæ poterat adſportari, funditùs everſis, ventum eſt ad impuriſſimas Mahometis ædes, &

ina-

inanium Deorum fana, ubi aræ dirutæ, & minutatim conciſa ſimulacra, quin ira victorum vulgares lapides à conſecratis diſcriminaret, plorantibus deinde Mauris, Ethnicisque uno eodemque luctu ſuam ac Deorum ſuorum calamitatem. Ex diruta urbe ad vaſtandos latè agros factus eſt gradus: armenta interfecta, reciſa palmeta, incenſæ ſegetes, ut bellum fames atrociſſima conſequeretur, quod ſanè flagellum miſeri incolæ, neque fugiendo, neque repugnando jam poterant declinare. Hinc ea latè vaſtitas conſecuta eſt, ut inter pagos, ac nudos campos nihil omnino intereſſet præter recentem memoriam, quæ una poterat veterem locorum ſtatum diſcernere. Vaſtat agros.

71 Adhæc Prætor Bazainum cum claſſe navigavit, unde, converſis in Cambajam armis, Præfectos aliquot dimiſit ad oram maritimam devaſtandam, deprædandaſque hoſtium naves, quæ Meca reduces ad eos portus veniebant. Juſſa Prætoris Antonius de Noronha, & Georgius Barocenſis non minùs fortiter, quàm feliciter executi, Luſitanis armis vires, & famam non mediocriter auxere, crebris potiti victoriis, & ingenti præda ditati. Itaque Caſtro Prætore Luſitanum nomen tantum ſui timorem, & reverentiam incutiebat, ut Aſiæ Principes, cum finitimi, tum remoti tributum nobis ſponte penderent, ut viribus noſtris ſe, ac ſua Regna defenderent, & ab omni periculo tuta præſtarent. Hujus rei luculentiſſimum nobis teſtimonium Camparis, ac Caxemi Reges dedere, ut mox dicam. Bazainum contendit. Cambajæ damna infert.

72 Primam Dii obſidionem, quam Antonius de Sylveira egregiè ſuſtinuit, & in qua Turcarum ſuperbia prima in Indiis, & graviſſima injuria affecta eſt, largè annales noſtri, & luculenter externi com- Races-Solimanus quis fuerit.

memorant. Summam in ea expeditione armorum Præfecturam Races-Solimanus adminiſtrabat. Is, poſt amiſſum, magnam partem, obſidionis tempore exercitum florentiſſimum, metu Luſitanæ claſſis, quæ nondum è portu ſolverat, relictis impedimentis, ſauciiſque militibus, fugam cepit ſanè ignominioſam. Deſperato deinde Dienſis expeditionis exitu, quam magnificis verbis promiſerat Turcico Imperatori feliciter evaſuram, ac præterea probè noſcens, ſuperbum, & imperioſum Dominatorem placari minimè poſſe, vel commemoratis belli infortuniis, vel petita rei malè geſtæ venia, fidem, quàm vitam ſuam periculo objiciendam apud ſe ſtatuit.

Adenum venit.

Itaque Adeni portum ingreſſus eſt amici ſpecie. Rex verò, miſſis, qui eum ſuo nomine ſalutarent, lautis muneribus, & largo commeatu venientem donavit: urbem tamen diligenti cuſtodia cautè præmunivit. Tureica enim fides, & vires navalis exercitus ſuſpicionem moverant non mediocrem. Igitur Races-Solimanus proditionem ſuam, vel timeri, vel in aperto jam eſſe ſentiens, urbem, admotis ſcalis, invadere cogitabat: veritus tamen arcis munitionem, & ſatis notam Arabum virtutem, ad viliorem quidem, ſed tutiorem moliendam fraudem convertit animum. Legatos itaque miſit, qui ſuo nomine veniam à Rege peterent, quòd urbem ipſe, ut par erat, ad eum ſalutandum non ingrederetur, rogarentque etiam atque etiam, ut, quando ipſe non poſſet ad urbem accedere, ne mora, navigandi opportunitatem corrumperet, ad Prætoriam deſcendere ne gravaretur: multa, & magni momenti eſſe negotia, quæ nomine Turcici Imperatoris communicari invicem oporteat.

Regem obtruncat.

Rex igitur nimis facilè credulus, & amplificandæ fortunæ ſuæ pulcherrimam offerri ſibi occaſionem

ra-

ratus, ac præterea fretus præclaro conſcientiæ ſuæ teſtimonio, ad Turcicum Præfectum venit. Venienti Tyrannus, datæ fidei, & humanitatis oblitus, in ipſa Prætoria inter militum ludibria, & ſannas, caput diminui juſſit, & fœdiſſimam, crudeliſſimamque proditionem adeo non erubuit, ut de illius felici ſucceſſu ſibi vehementer placeret. Interfecto Rege, haud difficile Solimano fuit, urbem Principis ſui nece pertrepidam, & perturbatam occupare. Hujus ego quidem brevem deſcriptionem hìc ſubtexam, tum quia nova Turcarum vicinia non levem nobis curam injecit, tum quia non parum ibi Luſitani ſanguinis fuſum eſt.

73 Duodecimo cum quadrante ſupra Horizontem gradu, Borealem polum ſpectat Adenum in ora felicis Arabiæ. Præruptum montem habet à tergo, qui compluribus caſtellis munitus aditum omnem à continenti defendit. Ejus portus in faucibus Rubri maris multis, ac magnis navigiis accipiendis commodiſſimus eſt: ſed obnoxius occidentalibus ventis, qui vehementiùs ibi flant per æſtatem: urbem à continenti ars, & natura muniunt, ac tutantur à Principum finitimorum ambitione, excurſionibuſque Arabum Alarviorum, qui aſſiduè, & importunè agros invadunt. In medio portu Inſula eſt parùm munita, quam incolæ Ciram vocant: hujus è regione jaciendis anchoris opportnnus eſt locus, ubi in ſtatione manere ſolent naves, quæ Mecam navigant commercii cauſa. Nullo terra fluvio, fonteque irrigatur, cœlumque ad integrum fermè triennium omnino ſiccum, ſivæ naturæ conditione, ſive ſecreta quadam Numinis in populos præferoces animadverſione: quapropter, magna vi camelorum coacta, aquam remotiſſimis ex locis armati convectant. Præcipua loci

Adeni ſitus

loci merx eſt Rubia, qua ad inficiendos rubro colore pannos infectores vulgò uti ſolent. Redditus tamen longè majores urbi proveniunt à mercatoribus ad Perſicum fretum navigantibus. Incolæ bellicoſi, & crudeles bellum facilè ſequuntur, prædæ magis, quàm victoriæ ſpe.

Adenum occupat Solimanus.

74 Porrò Races-Solimanus, occupata urbe, cum parere ſibi, licèt extero, populum animadverteret, incolas intolerabilibus tributis opprimere, vires, & arma auferre, ut timidis, ſubjectiſque pro libito dominaretur. Primoribus amputari caput, divitum publicari bona, nulla quæſita cauſa, jubebat, culpæ tribuens id ipſum, quòd viverent, & crimini non ferendo, quòd divitias poſſiderent. Miſerorum patientia, tametſi virtuti materiam præbebat, ad frenandam tamen impotentis Tyranni crudelitatem, nil proficiebat. Ejus enim importuniſſimam dominationem quamvis incolæ ſerviliter ferrent, nunquam tamen impotentiſſimo domino ſatis probabiles videbantur. Succeſſit Solimano, non tam in adminiſtranda, quàm divexanda urbe Marzanes, qui duo crudelitate certantes invicem miſeros incolas adeo impotenter exagitarunt, ut ferrè amplius non poſſent. Inito igitur clanculum inter ſe conſilio, indigenæ Turcas hoſtes quàm dominos experiri maluerunt. Itaque ſecretis nunciis ſe, & urbem ſuam finitimo Camparis Regi offerendam curant, nunciantes, ſe in Turcas impetum facturos, ſi auxilia ſubmitteret; facillimum quippe arbitrabantur, eos exturbare pacifica, & quaſi hæreditaria poſſeſſione ſecuros, & multo magis, quòd ſe ab illis inſigniter contemni viderent, perinde quaſi acceptam omnino injuriam, & priſtinam libertatem obliti eſſent.

Succedit illi Marzanes.

Urbem Adenenſes offerunt Camparis Regi.

75 Camparis verò Rex, ſive humanitate, ſive ambi-

ambitione adductus, molliſſimis verbis gratum animum, & commiſerationem ſignificantibus, oblatam ſponte Adeni dominationem admiſit. Itaque militum fortiſſimorum centurias decem (qui, ut difficilem expeditionem probata diu virtute merebantur, ita egregiè poterant ſuſtinere) ſine mora in aciem eduxit, & ducere Rex ipſe ſtatuit, ut ſtrenuos per ſe milites ad invadendum animosè periculum præſentia ſua fortiùs impelleret. Igitur concubia nocte profecti, ubi primùm ad urbem acceſſere, aperta à conjuratis porta admiſſi, paucis admodum reſiſtentibus, arcis facili negotio potiti ſunt. Marzanes verò periculi certior, quàm cauſæ, autorumque, unde repentinus tumultus oriebatur, quinque Turcarum centuriis palatium munivit. Ei verò, ſimul ac dies illuxit, Camparis Rex aciem ducens, per tubicinem ſignificavit, eam urbem ad ſe pertinere antiquiſſimo jure, ac nova incolarum voluntate, qui Solimani tyrannide ad eam diem oppreſsi, vocem, ac libertatem amiſerant ad Regis ſui nomen pronunciandum: miſeris, & clientibus ſuis modò ſe præſidio venire: Turcæ ſi urbem relinquerent, amicè ſe eos dimiſſurum, permiſſurumque, ut arma, & domeſticam ſecum ſupellectilem adſportarent: ſi recuſarent honeſtiſſimas conditiones, victoria, & juſtitia, quod ſuum erat, ſe magno eorum malo repetiturum.

Acceptat Rex, & quid agat.

76 Marzanes igitur, cognita Arabum conſpiratione, ſeque imparem ſentiens urbi conſervandæ (neque enim ad reſiſtendum vires idoneæ, neque commeatus ſuppetebant) tempori ſerviens, explicatis vexillis, & perſtrepentibus tympanis, urbe egreſſus in vicinum Caſtellum, quod inde octo fermè leucas diſtabat, copias recepit, unde acceptis à

Turcæ urbem tradunt.

Ba-

Baſorenſi Præfecto ſubſidiis, tentavit urbem ad priſtinam ſervitutem reducere. Camelos aquam, & commeatum ad urbem convectantes invaſit: quapropter miſeri cives paulò pòſt in ſummis anguſtiis verſabantur; parum enim erat alendæ multitudini, quod furtim, & magno cum periculo importabatur. Miſerrimus itaque populus effuſus in lachrymas ęqua lance penſitabat famis, & tyrannidis duplex malum, quorum erat optio miſerrima quidem, ſed neceſſaria. Novis in dies auxiliis tyrannus invaleſcebat, quibus Camparis copiæ reſiſtendo non erant. Quapropter Rex, collata re cum primoribus populi, qua ratione periclitantis urbis ſaluti provideri commodè poſſet, complures, commemoratis apud eum Luſitanorum victoriis, quibus Turcicam ſuperbiam debilitaverant, fidem integerrimam referebant, qua eos, qui in noſtram clientelam ſe contuliſſent, defenderamus. Quamobrem Legatos ad Armuzianum Præfectum, qui tunc temporis erat Emmanuel de Lima, mittendos cum literis cenſuere, ut auxilium implorarent, quod ſi impetraſſent, novam Luſitanis arcem ſe excitaturos promittebant, ac præterea tributi loco quotannis daturos, quidquid ex peregrinarum mercium portorio redibat: ſignificabant demum, quantum Ditioni noſtræ periculum immineret, ſi Turcæ nobis infenſiſsimi in finitima arce ſedem figerent.

Veniunt illis auxilia.

Adenenſes ab Armuziano Præfecto auxilium implorant.

77 Nova, & validiora auxilia de Baſorenſi arce Marzani brevi ventura fama vulgaverat. Is verò, ſimul ac idoneum copiarum numerum collegiſſet, urbem aperta vi aggreſſurus dicebatur. Hac de cauſa Camparis Rex, militaris diſciplinæ apprimè gnarus, & ſingulari virtute præditus, haud patiens hoſti importuniſsimo vires addi, tribus millibus militum le-

ctiſ-

ctiſsimorum in aciem eductis, arcem in quam ſe hoſtis receperat, circumſidere decrevit. Fecit id quidem majore animo, quàm fortuna: in prima ſcilicet aggreſsione occiſus eſt. Porrò Arabes ejus morte vehementer trepidi, ſoluta ſtatim obſidione ad humandum corpus diſceſſere, importuna ſanè pietate; triſtiſsimus nempe caſus animos ad ulciſcendam potiùs, quàm ad plorandam Regis mortem debuit incitare.

78 Legatis verò, qui Armuziam navigabant, ſuperato Siagro Promontorio (quod hodie Roſalgatum vocant) incidere in Payum de Noronha, qui cum duodecim triremibus Perſicum fretum cuſtodiebat. Is, intellecta Arabum voluntate, eam expeditionem ſtrenuo viro digniſsimam reputans, datis ad Armuzianum Præfectum literis, petivit ab eo etiam atque etiam, ut eo ſe honore auctum vellet, niſi ipſemet eo uti mallet. Generoſæ petitioni annuit Emmanuel de Lima, miſsiſque ad eum navigiis duobus cum militum ſupplemento, juſsit, ut interea ad tutandam Adeni arcem accurreret, dum validiores ipſe copias compararet. Regiis verò Legatis, quos perhonorificè habuit, perſuaſit, ut ab Indico Prætore juſtam claſſem peterent, ſignificans eum fideliſsimis Luſitanorum ſociis auxilia non negaturum, præcipuè contra Turcas, quibuſcum hæreditarium quodammodò bellum agebamus.

Adeni nuncius incidit in itinere in Payrum de Noronha.

79 Igitur ubi Payus Adenum venit, ſumma populi benevolentia, eaque magnificentia, quæ Principem deceret, exceptus eſt; urbem enim ejus arbitrio cives permiſere, non tam ut bellum, quàm ut civilem rem adminiſtraret. Statutum ſine mora in eminenti loco Luſitanum vexillum, pro quo ſtrenuè defendendo ſe ad unum omnes morituros promit-

Payus Adenum venit.

tebant, oppignerato ſanguine, quem de ſauciati pectoris vulneribus emiſere, barbaro quidem, ſed fideli ritu: publica deindè denunciatione eam ſe defenſuros urbem dictitabant, non jam ut ſuam, ſed tanquam ad Luſitanos pertinentem, quorum ut erant obedientia clientes, ita charitate ſe filios futuros profitebantur. Payus autem ita ſe geſsit, ut conceptam de Luſitana fide præclaram in Oriente opinionem non leviter imminueret. Quapropter in gratiam illuſtriſsimæ familiæ cæteros hujus hiſtoriæ ſucceſſus ſilentio præteribimus, tametſi eos liberiore jam calamo memoriæ traditos fuiſſe non ignoremus.

Deterius ſe habet erga Adenſes.

80 Igitur Adeni cives à Payo relicti, deſtitutione illa non ſunt perculſi, nec Luſitani nominis amorem, & reverentiam exuerunt, quin immò urbem defendebant, Luſitani Regis nomen ſonora voce inclamantes, et, quia nullum aliud ſibi ſupereſſe perfugium intelligebant, & nullum aliud, niſi Luſitanum volebant, Legatum Regio ſanguine illuſtrem ad Indicum Prætorem, nomine publico, mittere decreverunt, qui eum de ſtatu rerum doceret, ac præterea ſignificaret, novam Luſitanis famam acceſſuram de miſerorum calamitate, eorum modò cauſam ſuſcipere ne gravaremur: Adeni Principem Regnum, ac leges à nobis unicè accepturum, quibus, grati animi ergo honeſtum quotannis tributum ſolvere non recuſaret.

Qui nuncium Goam mittunt.

81 At Joannes de Caſtro, accepta legatione, vehementer lætatus eſt nominis ſui, & noſtrarum famam victoriarum in auribus remotorum Principum perſonare, non tam ut ſibi ipſe placeret, quàm quòd ea res Luſitano nomini populos ſubditos faceret, & obſequentes. Hoc verò nuncio Goani cives

Nuncio lætatur Prætor.

ves incredibili gaudio ſunt affecti; videbant enim Prætoris fortuna Indiam ad priſtinam felicitatem reſtitui; quò enim aliis imperantibus, armorum noſtrorum vix notitia pervenerat, hoc Prætore, imperium propagabatur,

82 Hanc ille expeditionem Alvaro filio commiſit, qui in cæteris adminiſtrandis, tam feliciter operam ſuam poſuerat, ut hæc non à patre, ſed à publico Regis adminiſtro electio fieri videretur. Complures provecta jam ætate nobiles, glorioſæ expeditionis percupidi conſcendere cum Alvaro voluere. Prætor verò prudenti, ac modeſto decreto vetuit, ne Goa abirent; ajebat enim eorum opera, ac virtute in rebus majoris momenti magnoperè ſe indigere. Verùm tanta erat omnibus ad bellum proficiſcendi voluntas, ut Prætoris decretum, tanquam omnibus injurioſum interpretarentur: vitio, ut videtur, eorum temporum, in quibus ſumma erat, & maximè glorioſa periculorum ambitio. Prætor autem vehementer lætatus tam nobiles, ac generoſos ſpiritus à ſua diſciplina proficiſci, verbis humanitate plenis Procerum querelis fecit ſatis. Triginta deinde inſtrui ad curſum navigia, & commeatu neceſſario repleri juſſit, quibus Præfectos impoſuit Antonium de Noronha, Garziæ Proregis filium, Antonium Moniz Barreto, cui novæ arcis ad Adenum ædificandæ Præfectura deſtinabatur, Petrum D'Eeſa, Ferdinandum Coutinho, Petrum Attayde Inferno, Joannem de Attayde, Alvarum Paez de Sottomayor, Ferdinandum Peres de Andrade, Petrum Lopes de Souſa, Rotericum Dias Pereira, Petrum Botelho Porca, Didaci fratrem qui erat inter familiares Aloyſii Luſitaniæ Principis, Alvarum Ferrao, Aloyſium Homem, Melchiorem Botelho,

Alvarum filium cum claſſe Adenum mittit.

Regii fiſci Præfectum, Gomeſium de Sylva, Antonium de Veyga, Aloyſium Alvares de Souſa, Joannem Rodrigues Correa, & Didacum Correa, qui cum Adeni Legatis venerant, Didacum Banho, Petrum Preto, Alvarum de Gama.

Alia à Caxemi Rege Legatio.

83 Diebus, antequàm claſſis vela faceret, bene paucis, de Caxemi Rege Legati Goam venere, cui finitimi Fartaces magnam Regni partem ademerant. Is, ut in oppoſita Arabiæ maritima ora Regnum obtinebat, ubi audivit Adenum Luſitana ſubſidia impetraſſe, ratus eadem claſſe juvari ſe facilè poſſe, datis ad Prætorem literis, ſcripſit, Luſitanis apud omnes nationes non minùs glorioſum fore, ſi Caxemum reſtituerent, quàm ſi Adenum defenderent: commemorabat Luſitanas claſſes fideliſſimo ſemper hoſpitio ſuis in portubus fuiſſe exceptas, adnotata fideliter temporum ſerie, quibus noſtræ apud ſe naves jeciſſent anchoras, qua de cauſa Turcis non ſemel in ſuſpicionem, imnò in invidiam veniſſet: offerebat demum præter firmiſſimam fidelitatem, exiguum quidem, ſed anniverſarium tributum. Itaque intelligens Prætor ejuſmodi ſubſidiis Luſitanas vires in dies magis reputari, pararique nobis amicos non pœnitendos, decrevit una, eademque expeditione Adeno ſimul, & Caxemo ſuccurrere; idem enim futurus erat navium curſus, ſumptuſque minimè iterandus. Verùm, quia Adeni cives, quippe qui periculoſa & arcta obſidione premerentur, promptis maximè ſubſidiis indigebant, conjiciens pro ſua ſagacitate fieri facilè poſſe, ut claſſis univerſa longiorem aliquanto moram faceret, præmiſit illico Joannem de Attayde cum quatuor navigiis, ut Adenum ingreſſus, obſidionem interea ſuſtineret, dum Alvarus cum omnibus copiis veniret. Solvit itaque

Prætoris reſponſio.

At-

Attayde ſine mora: verùm Magiſtralibus ventis violentiùs ſpirantibus, factum eſt, ut unum ex quatuor navigiis fœdè exarmatum Goam renavigaverit; tametſi cætera ſuum feliciter curſum proſequerentur.

84 Inter hæc in Adeni arce pertinaciſſimam, cruentamque pugnam cum Turcis Arabes conſerebant. Præcipuam belli molem Luſitani aliquot ex Payi claſſe ſuſtinebant, qui tametſi humili loco nati, illuſtri ſe virtute præditos oſtendebant: reſiſtebant illi quidem obſtinatiſſimè, perinde quaſi non alienum Principatum, ſed patriam ſuam defenderent, & non modò difficilem Turcis, ſed dubiam diu victoriam effecere. Verùm hi cum gregarii milites eſſent, qui fortunam ſuam bellicis facinoribus promovere ſtrenuè ſatagebant, eorum nomina annales noſtri ingrato ſanè ſilentio præteriere, perinde ac ſi bellica virtus, ut ſe oſtenderet, illuſtribus majoribus indigeret, & minùs hi factis ſuis, quàm illi alienis honeſtarentur. Novas, ut ego quidem arbitror, leges inſigni naturæ injuria videntur nobiles, ac ptæpotentes edidiſſe, quibus non modò fortunas, ſed etiam merita ſibi faciunt hæreditaria. Adeni quid factum ſit.

85 Cum in ancipiti Adeni res eſſent, Turcarum claſsis apparuit, quæ Regiis triremibus novem, biremibuſque paucis conſtabat. Hæ urbem propiùs ſpeculatæ, jactiſque extra Arabicum ſinum anchoris, militem expoſuerunt. Poſitis hi tabernaculis, caſtriſque munitis, Marzani nunciarunt, ut ſecum ſigna conjungeret. Arabes verò, cum tam multas imminere ſibi copias viderent, alii remiſsè, alii diffidenter arcem propugnabant; inſuperabiles quippe hoſtium vires, & virtutem arbitrabantur. Quapropter clandeſtinis inter ſe colloquiis Principis ſui Turcica claſſis Adenum venit.

ambi-

ambitionem ſugillabant, utpote qui innocuo populi ſanguine protendere dominationem vellet, ejus, ut videbatur, fortunæ pertæſus, quam à majoribus accepiſſet. Luſitani verò, qui in arce erant, probè intelligentes, ex ſumma rerum difficultate glorioſiorem famam proficiſci, addito Arabibus animo, oſtenderunt non modò fieri poſſe, ſed omnino neceſſe eſſe, ut hoſti reſiſterent: communis deinde fortunæ ſocios ſe perpetuos futuros promiſere: quod ſatis profectò fuit, ut miſeri novos, ac generoſiores induerent ſpiritus, quibus in urbe propugnanda ſtatuerunt fortiter mori, adducti magis Luſitanorum exemplo, quàm munere ſuo, & patriæ charitate.

Urbem circumſidet.

86 Urbem Turcæ circumſedere, & muralia tormenta miræ magnitudinis ad arcem verberandam in duplici ſuggeſtu locata mœnibus oppoſuere: ingentes ex iis tormentis pilæ orbe quadripalmari jaciebantur, quæ mœnia diruebant veriùs, quàm aperiebant. Itaque obſeſſi periculo ipſo docente, militarem diſciplinam edocti, ſepimenta in tranſverſum, novaſque munitiones introrſum ſtruere didicere, quibus hoſtium aggreſſiones non ſuſtinebant modò, ſed ita propulſabant, ut Turcis ancipitem diu, & cruentam victoriam facerent. At Payus de Noronha (neſcio quo fato ſuo ductus) Arabes victoria, Luſitanos fama propugnatæ urbis ſpoliavit. Secretis quippe nunciis Luſitanos omnes, qui rem ibi tam ſtrenuè gerebant, ad ſe revocans, neglecta ſocii, & amici Principis defenſione, non minùs muneris, quàm ſanguinis ſui nobilitati, & officiis defuit. Edicto Præfecti ſui Luſitani omnes paruere, præter Emmanuelem Pereira, & Franciſcum Vieira, qui ad honeſtiſſimos militiæ gradus

Payus Luſitanos revocat.

adſpi-

adſpirantes, belli aleam ſequebantur. Hi verbis diſertiſſimis pronunciarunt, ſe minimè diſceſſuros, quippe quibus incumberet urbem ſua ſponte Luſitano Regi ſubjectam defendere, in cujus propugnatione ſanguinem profundere ſibi glorioſiſſimum ducerent: ita milites ea tempeſtate bellicam virtutem pluris facere videbantur, quàm diſciplinam. Urbem hi duo ad ultimam uſque diem egregiè ſuſtentarunt, majorem ſibi ex diruta urbe exiſtimationem adepti, quàm Turcæ ex ipſa victoria.

87 Arabes verò, ſimul ac urbe exceſſiſſe Luſitanos intellexere, amiſſa omnino defenſionis ſpe, de tradenda Turcis arce cogitarunt. At Princeps ab ea cives cogitatione revocans, affirmavit, ſe priùs receſſurum, fuſis, ac profligatis copiis, quàm eam arcem hoſti traditurum, quæ in Regis Luſitani clientelam ſe contuliſſet: ejus porrò vexillum ſi in hoſtium manus venire permitteret, graviſſimam nomini ſuo, ac ſanguini notam acceſſuram: digna ſanè fides, quæ majore cura, & contentione à Luſitanis armis ſuſtentaretur. Porrò hoſtes majore impetu aggreſſiones iterabant, cognita obſeſſorum diſſenſione, & imbecillitate. Quapropter conſilium tradendæ arcis majore, quàm antea, contentione agitari cœptum, quod iterum autoritate ſua Luſitano nomini, ac ſuo fidiſſimus Princeps diſcuſſit. Verùm, cùm ultimum periculum immineret, cum fames inſtaret in dies atrocior, amiſſa ſpe defendendæ arcis, labantes multorum animi ita fracti ſunt, ut aperta clanculum arcis porta, Turcicas cohortes intromitterent. Princeps quidem Regio ſpiritu, ſed infeliciter dimicans, profuſo generosè cum vita ſanguine, obligatam Luſitanis fidem egregiè ſervavit. Ejus filium adoleſcentem lectiſſimum Emmanuel Pereira, & Fran-

Arabes quid faciant.

& Franciſcus Vieira ſecum abducentes, in Camparis Regnum contendere, ut ſervato Regii trunci infelici quidem, ſed adhuc viridanti ramuſculo, afflictis clientibus conſolationem aliquam adhiberent.

Joannis de Attayde ſucceſſus.

88 Interea Joannes de Attayde, qui cum tribus navigiis, ut ſupra memoravimus, vela fecerat, felici curſu, & ventis uſus ſecundiſſimis, ad Arabicam oram pervenerat, directaque in Adenum prora, portum quidem intraverat, ſed conſpectis Turcarum triremibus, qui ibi ſtabant in anchoris, mutato repente curſu, flantium ab Oriente ventorum beneficio in altum renavigabat. Turcæ verò, ſimul ac Luſitana navigia conſpexere, ſolutis anchoris, commodo ventorum eorumdem impulſu, ac præterea remis naviter incumbentes, tam properè fugientibus inſtabant, ut navibus Gomeſii de Sylva, & Antonii de Veyga triremium roſtra imminerent. Quapropter, cum nullus jam eſſet fugæ locus, nec idoneas haberent ad repugnandum vires, naves de induſtria in proximum litus impactæ, ac claſſiariis enatantibus diſſolutæ, ne in hoſtium poteſtatem venirent. At Joannes de Attayde, cum navigio uteretur longè meliore, obliquo vento quantum potuit, contempto naufragii periculo, tandiù navigavit, dum prima nocte mutato in Abaſſinos curſu, ad parvam Metæ Inſulam, quæ eſt è regione Barbaræ, & Zeilæ oppidorum, alliſa in litus navi, naufragium fecit. Qui ex eo infortunio incolumes enatarunt, perfugium ſuæ calamitati apud Camparis Regem quæſivere, ubi ex Emmanuele Pereira, & Franciſco Vieira eos eventus omnes intellexere, quos huc uſque narravimus, ibique benigniſſimo hoſpitio recreati, benevolè, ac liberaliter accepere, quæ ad proſequendum iter neceſſaria videbantur.

89 Al-

89 Alvarus verò de Caſtro navigans cum claſſe univerſa, ut Orientalibus ventis à puppi feliciter utebatur, brevi iter ſuum confecit: ſed ad parvas Canecanini Inſulas invenit Joannem de Attayde, qui de Adeni expugnatione nunciavit, totamque infortunii ſui ſeriem explicuit. Alvarus unà cum Proceribus, claſſiariiſque non mediocriter eo nuncio perculſus eſt: nec injuria. Minoris enim æſtimabat Luſitanæ Ditionis jacturam, quàm vel leviſſimam armorum noſtrorum labem: nimirum labefactatæ ſemel famæ macula quælibet domi, foriſque memoria viget ſempiterna. Legatus verò Camparis Regis, qui ejus ſororem habebat in matrimonio, & in Alvari claſſe navigabat, nuncios triſtiſsimos de morte tum Regis, tum ſui ex fratre nepotis ægerrimè accepit, ſed hauſit deinde ſolatium non mediocre, ſimul ac intellexit utrumque honeſtiſſimè, ac fideliſſimè occubuiſſe: quæ cum perpenderet, ſummam animi conſtantiam oſtendit, perinde quaſi non ſuo, ſed alieno dolori quæreret medicinam. Porrò Alvarus, vocatis in concionem claſsis Præfectis, ubi rem totam narravit, conſuluit, quid facto opus eſſet. Unum omnium ſuffragium fuit, ut, quando inferendi Adenum ſubſidii ſpes, & occaſio præteriſſet, juxta Prætoris mandata, arma ſine mora converterentur ad juvandum Caxemi Regulum, quem Fartaces Xaelis arce nuper ſpoliaverant. Hæc portui cuidam imminebat, & veluti emporium erat cæterorum, quos Regulus obtinebat. Alvari iter. Conſcto bellico concilio quid deliberat.

90 Alvarus igitur, tametſi ea expeditio utilior, quàm difficilior videretur, Xaelem contendens, è regione caſtelli anchoras jecit. Fartaces verò, ſive timorem conciperent, ſive nos amicos putarent, pacificum claſsis adventum interpretati, omnino Xaelem contendit.

quievere. Erat caſtellum lateritii operis, cum turribus omnino quatuor, quæ ita parvæ erant, ut ad eas commodè defendendas, quinque ſupra triginta præſidiarii ſufficerent. Hi ſimul ac Luſitanam claſſem conſpiciunt, mulierem Luſitanæ linguæ minimè rudem ad Præfectum allegant, quæ publico nomine ſignificet, Fartaces Luſitanorum amicos eſſe, iiſque arcem tradituros, ſi ad eam expugnandam veniſſent. Spontaneam deditionem omninò accipiendam multi ſentiebant; ſiquidem ex tanta ignobilium hoſtium paucitate, nihil gloriæ, nihil ſpoliorum capere poteramus: pluribus verò in oppoſitam planè ſententiam abeuntibus viſum eſt, ad conciliandam Luſitanis armis autoritatem, victos, nulla conditione propoſita, victorum arbitrio permitti oportere. Cognita ejuſmodi deliberatione, mulier ſuperbum noſtrorum reſponſum ægrè admodùm ferens, dixit, vires, animumque non deeſſe Fartacibus ad ſe, & caſtellum ſuum fortiter propugnandum. Illico purpureum vexillum, candidi loco, Mauri explicuere, quod noſtri, diſploſis majoribus bombardis tam incerta libratione impetiverunt, ut damni nihil omnino Mauris intulerint. Alvarus verò, circumductis copiis, ſcalas arci variis in locis admoveri juſſit, & ſubeuntes juſta ſclopetariorum manu protexit: hi verò cum perpetua fiſtularum diſploſione horrendum in modum perſtreperent, apparere Mauri non audebant. Primus omnium aſcendit Ferdinandus Perez cum Regio vexillo, quod non modò feliciter in ſummo muro collocavit, ſed etiam ſtrenuè defendit. Eodem fermè tempore, eodem ſanè periculo, ſed pari felicitate Petrus Botelho murum ſuperavit. Hi duo deinceps commodum reliquis, tutumque aſcenſum fecere.

Admotis ſcalis urbem invadit.

91 In-

91 Inter hæc Antonius Moniz Barreto, Antonius de Noronha, Joannes de Attayde, aliique complures in arcis portam impetum fecerant, ſed cum hæc palmulæ pomis multiplici corbe denſiſſimè conſtipatis clauderetur, per eam aditus antè non patuit, quàm noſtri, ablatis introrſum corbibus, qui obſtruebant, valvas recluderent. Fartaces verò, occupatis duabus turribus, incredibili virtute ſe tuebantur: ſalute ſcilicet jam deſperata, vitam, quam Alvarus offerebat, contumaciſſimè recuſarunt, perinde quaſi mori vellent, vel ad ulciſcendam injuriam, quam repellere omnino non poterant, vel ad excuſandam virium ſuarum tenuitatem, quæ inſitæ generoſitati in eo rerum articulo non reſpondebat. Adeo verum eſt bellicam ſtrenuitatem, vel apud barbaros, primariæ virtutis locum obtinere. Itaque tandiu dimicarunt Mauri, dum ad unum omnes interirent. Non ideo tamen barbara ejuſmodi pertinacia nomen virtutis, ut ego quidem arbitror, meruit, cum nec victoriam inde, nec ultionem ſperare poſſent. Ex noſtris quinque omnino deſiderati, ſaucii verò ſupra quadraginta.

Arabes ad mortem uſque præliantur.

92 Expugnatam arcem (quod commodius Regulo, quàm nobis glorioſum facinus fuit) Legatis Caxemi Regis Alvarus tradidit. Is accepto beneficio gratus, claſſem neceſſario commeatu largiſſimè inſtruxit, & obligatam Luſitanis fidem, & societatem religioſiſſimè deinceps ſervavit. Alvarus interea, ne renavigandi opportunitas fruſtra abiret, appetente hyeme, Goam cum claſſe ſe contulit, ubi majore populi plauſu, quàm victoria mereretur, exceptus eſt. Id verò popularis acclamationis genus honeſtiſſimum Prætor, tanquam Pater, ſtudioſè fovit: Alvarus, utpote militaris gloriæ cupi-

Expugnatur urbs.

pidiſſimus, non illibenter admiſit.

Laurentius Pirez Olyſſipponem appellit.

93 At Laurentius Pirez de Tavora, cum quinque navibus, quibus Goa ſolverat, non ſolùm brevi, ſed etiam facili, & proſpero curſu Olyſipponenſem portum ingreſſus eſt. Revertebatur in patriam unà cum Laurentio Joannes Maſcarenhas, fama, & illuſtribus in Regem promeritis apprime clarus. Itaque Dienſes nuncii populi aures implevere, nec quidquam magis vulgi ſermonibus terebatur, quàm diuturnum obſidium patienter, & fortiter toleratum, & generoſa committendi prælii deliberatio. Plebs verò Olyſipponenſis, quippe quæ ſummæ ditiorum fortunæ non invidet, nullum Joannis de Caſtro laudandi finem faciebat. Proceres verò, ac primores Luſitanorum populari judicio, & commendationi conſentiebant,& raro quodam virtutis genere æqualis ſui famam creſcere facillimè patiebantur; nemo enim unus tam arroganter fuit ambitioſus, qui facinora ſibi ipſi illuſtriora, & glorioſius nomen optaret.

Dienſis ibi victoria celebratur.

94 Accepti verò nuncii lætitiam Rex, & aulici univerſi lautiſſimè veſtiti publicè teſtabantur. Indicta dies ad perſolvendas in Regio Sacello Deo victoriarum autori gratulationes, &,quæ offerri eidem fas eſſet, pia, & Regalia munera deſtinata. Habita eſt à docto & copioſo viro concio perelegans pro ſuggeſtu, in qua ſingularis Indici Prætoris virtus, & prudentia luculenta oratione laudata eſt. Joannes verò Rex, datis ad ſummum Eccleſiæ Paſtorem, cæteroſque Europæ Reges, ac Dynaſtas literis, relatam apud Dium de hoſte victoriam nunciavit, quam omnes viciſſim Regi gratulati ſunt, tanquam omnium, quas in Oriente retuliſſemus, ampliſſimam, & glorioſiſſimam. Cæterùm in epiſtolis, quas ad Regem ſcripſerat ex India Joannes de Caſtro, facultatem

tem

tem petebat, depoſito Magiſtratu, in Luſitaniam renavigandi, oſtendens ſe novarum dignitatum minimè ambitioſum, dum maximas rejiciebat, &, ne ambitioni ſibi tribui poſſet ſingularis ille rerum omnium contemptus, præmii loco petivit à Rege duo terræ jugera, quæ erant Sintranæ villæ contermina, & in parvum deſinebant jugum, quod ad hanc diem Montem Evangeliorum vulgus appellat. Rex verò in honeſtando Joanne videtur ſingularia ejus merita reſpexiſſe, in rependendis præmiis fortunam. Ita colligi ſanè poteſt ex Regia epiſtola, quam hìc ſubjicimus.

Quod victorię præmium petat à Rege Prætor.

JOANNES LUSITANIÆ REX JOANNI DE CASTRO INDIARUM PRO-REGI AMICO S. P.

Regis epiſtola ad Prætorem.

95 *CEleberrima victoria, quam Deo juvante de Præfectis Cambajæ Regis retuliſti, ſummæ nobis voluptati fuit, & jure eſſe debuit. Primò igitur hujus felicitatem expeditionis Deo, ut par eſt, acceptam referimus, eique gratias habebimus immortales: multum tamen tuæ cum prudentiæ, tum virtuti debemus, quarum eo die luculentiſſima documenta edidiſti: tuæ præterea diligentiæ debemus, quòd ſubſidium ſanè permagnum, & opportuniſſimum incommodiſſimo tempore in Dienſem arcem curaveris importari, oblatis ſæviſſimo mari duobus filiis pro ejus arcis incolumitate, in quo profectò perſpeximus, quantò magis apud te valuerit Regis tui commodum, quàm charitas liberorum, tam altè inſita, & infixa patribus à natura. Quæ omnia tanti profectò facimus, quanti fieri merentur, illud nobiſcum identidem reputantes, non modò fuſas à te, atque profligatas hoſtis importuniſſimi copias, verùm etiam Indiam univerſam opera tua hoſtium cæterorum timore fuiſſe liberatam; putamus*

mus

mus enim poſt ejuſmodi victoriam Luſitano nomini inſenſos Principes, vel nihil in nos omnino, vel minùs auſuros. Hæc verò tua in nos promerita tanti æſtimamus, quantum utiliſſimi laboris tui meritum eſt, quo ſummam nobis attuliſti, & afferes voluptatem. De immaturo verò, & infortunato Ferdinandi filii tui obitu, quantum doloris cepimus, vix explicandi facultas ſuppetit. Dolemus itaque non ſolùm, quòd tuus eſſet filius, ſed quòd in tanta ætatis immaturitate luculenter oſtenderet, qualis, quantuſque deinceps per conſequentem ætatem futurus eſſet, ſi ad juſtam maturitatem inſita in eo virtutis ſemina perduci potuiſſent. Ille verò, quando tam honeſtè, glorioſèque in Divinis noſtriſque commodis procurandis animam poſuit, minùs ſanè debes intolerabili cæteroqui filii jactura commoveri, quin immò gratias Deo, optamus, agas quàm maximas, quòd ita pro ſua Sapientia, Providentiaque diſpoſuerit, ut quàm honeſtiſſimè pro tuenda cauſa Religionis occumberet. Id ſanè generosè te præſtitiſſe non ignoramus: acerbiſſimam nimirum filii mortem oblivisci in ſumma calamitate viſus es, ut, quod commodis noſtris utiliſſimum erat, recordareris: quæ ſanè præclarè facta memoria colemus ſempiterna, non modò ad oſtentandam in te benevolentiam, ſed etiam ad vicem meritis præmiis rependendam. Itaque, ne noſtra diutiùs in te beneficentia differatur, cœpimus tibi, ac filio tuo bene facere, plura utrique quaſi pro coronide reddituri, cum Præturæ tuæ tempus expleveris, quam te eadem diligentia, & fide, ut ad hanc diem feciſti, adminiſtraturum confidimus, immo & certò ſcimus. Hac ſanè fiducia, & jam diu explorata tua in nos fide, & voluntate, tametſi tibi hoc tempore omnino obſecundare cupiamus; reputantes tamen, quàm commoda nobis ſit opera iſthìc tua, ac probè intelligentes, quantò ma-

gis

gis tibi noſtræ, quàm tuæ ipſæ res cordi ſint, optimum factu exiſtimavimus, ſi petitam à te renavigandi facultatem negaremus. Quapropter boni conſulas, petimus, immo & mandamus, ut Indicam Præturam adhuc ad triennium adminiſtres, quo expleto, redeundi facultatem tibi ultrò faciemus. Interea optima te uſurum valetudine, ut nobis ſervias, Deo juvante, confidimus. Verùm ſi, expenſis maturè, ac diligenter noſtra voluntate, & commodis, quæ ex tua iſthìc adminiſtratione ſperamus nobis obventura, adhuc tibi neceſſarium duces regredi in Luſitaniam, gratiſſimum nobis feceris, ſi id ipſum nobis ſignificaveris. Interea tamen reſponſionem noſtram omnino expectabis.

Petrus de Alcaſova Carneiro ſcripſit Olyſſippone XIII. Calend. Novembres. MDXLVII.

Diligentiùs tamen Reginæ epiſtolam legendam arbitror, ubi non chyrographum modò, ſed Regia etiam textura elucet; Dienſem enim victoriam virili prorſus maturitate, & militari judicio expendit.

CATHARINA LUSITANIÆ, ET ALGARBIORUM REGINA JOANNI DE CASTRO INDIARUM PRO-REGI S. P.

96 *DAtas ad nos à te literas accepimus, quibus ſignificas, quæ iſthìc feceris, quæque provideris in omnibus, quæ ad Regis noſtri commodum, Indiarumque tutelam, & tranquillitatem pertinere intelligebas. Itaque, quòd omnia egregiè, ut ſoles, curaveris, & Regiæ de te expectationi reſponderis, vehementer gaudemus, ut par eſt, non modò, quòd operam tuam naviter collocaveris in Regiis negotiis procurandis, ſed etiam quòd immortalem inde tibi gloriam pepereris. Quod attinet ad curam, diligentiamque ſin-* Reginæ epiſtola ad eumdem.

ſingularem, qua ſtatim in claſſis labefactatæ apparatum totus incubuiſti, optimum illud, ac neceſſarium principium fuit, ut iis, qui deinde acciderunt, graviſſimis caſibus occurreres, & remedium provideres: itaque pro certo habemus, tametſi tuus incredibilis fuerit in his apparandis labor, longè majorem tibi voluptatem extitiſſe, poſtquàm experientia doctus cognoveris tam fructuoſam tibi operam tuam fuiſſe. Bellum, quod cum Hidalcane geſſiſti, prudentiſſimè à te ſuſceptum eſt; ejus quippe exitus, contrà quàm multi ſentirent, perſpicuè comprobavit, Luſitanorum copias barbaro Regi damnum non mediocre afferre potuiſſe. Id porrò ſi non feciſſes, ad inferendum nobis ſæpè ſæpiùs bellum facilè ipſe adduceretur, pacemque negligeret, de qua nullum ſibi commodum profluebat. Ille verò, ſi te noviſſet penitus, ut ajunt, & in cute, ſi lucro quolibet famam tuam priorem tibi, & antiquiorem eſſe intellexiſſet, quæ tibi pro Mealis capite obtulit, procul dubio non obtuliſſet: tu tamen quis eſſes, ingenuitate, & gravitate reſponſionis tuæ eum, ut arbitror, egregiè docuiſti. Quod ad Dienſem pugnam, & obſidionem attinet, inſigne planè Dei beneficium fuit, de tam multis, & atrociſſimis noſtræ Religionis hoſtibus, qui ex tam remotis terræ partibus in noſtram perniciem confluxerant, præclaram adeo victoriam retuliſſe. Id ſanè luculentiſſimo nobis documento eſſe poteſt, quanto Deus Optimus Maximus patrocinio noſtram in India Ditionem proſequatur: qua de cauſa maximas illi, ut par eſt, gratias agimus, & habemus. Cæterùm tum Regi, tum nobis mirificam attulit voluptatem diligentia, ac prudentia tua ſingularis, quibus omnia providiſti, quæ ad victoriam certò obtinendam conducere arbitrabaris. Mira ſanè ſtrenuitate prælium commiſiſti, incredibili celeritate uſus es in adornandis, ſubmittendiſque obſeſſæ arci auxi-

auxiliis, incommodiſſimo tempore, ſummoque filiorum tuorum periculo. Intelligas tamen, hæc à te tam præclarè geſta tanti à Rege, tanti à nobis fieri, quantum eorum pondus, & magnitudo re vera poſtulant. Id ipſum cónfidimus, Regem non verbis ſolùm, ſed re ipſa tibi oſtenſurum, cum honores, ac præmia tibi reddet, quæ meruiſti. Hoc ſanè Rex non obſcurè ſignificavit, cum cœpit tibi, & Alvaro tuo benefacere, ut ex ejus epiſtolis tute cognoſces. De morte verò Ferdinandi filii tui vehementer dolemus, non modò propter te, quem non mediocriter ejus caſu commotum eſſe intelligimus; verùm etiam illius cauſa, qui, ut ex eo illuſtri facinore cognoſci facilè poteſt, in magnum virum erat procul dubio evaſurus. Verùm ita, & prudentiam, virtutemque tuam habemus perſpectam, ut minimè dubitandum ſit, quin Divinæ voluntati, quocumque tandem illum tempore ad ſe revocaverit, omnino acquieveris: quantò igitur magis acquieſces, cum apud te reputaveris, eum in tam præclara Fidei noſtræ propugnatione, & in Regis obſequium honeſtiſſimè occubuiſſe, muneri, ſanguini, expectationi ſui præclarè ſatisfacientem? His profectò de cauſis, ſi minùs dolorem tuum ſanaveris, levare tamen, ut facis, non modò commodè potes, ſed etiam debes. De tuo verò in Luſitaniam reditu, quem vehementer à nobis petis, ac tuo nomine Eleonora tua (cui multum tribuimus, cujuſque aſpectu, pro ſingularibus ejus meritis vehementer lætamur) pro ſuo jure poſtulat, utrique cumulatiſſimè ſatisfieri cupiſſemus, ſi Regi placuiſſet: ei verò cum opera iſthìc tua vehementer probetur, & neceſſaria admodùm ſit, placuit Præturam tibi ad aliud triennium prorogare, ut ex ejus epiſtolis intelliges. Quibus de cauſis non dubitamus, quin æqui, bonique conſulas quidquid hac ſuper re Rex tuus ſtatuerit: ut ita facias, etiam atque etiam rogamus, con-

fidimuſque, Deo juvante, optima te valetudine uſurum, vireſque ad id oneris perferendum neceſſarias tibi minimè defuturas: aderit tibi procul dubio Deus auxilio ſuo, cum ſis Divini honoris perſtudioſus, & cum Regiis commodis tam præclarè ſervias, ut nihil ſupra; quæ unica cauſa eſt, quamobrem te diutiùs in India Rex eſſe jubeat. Cæterùm, quòd in tanta negotiorum tuorum mole, ſummiſque laboribus, res noſtras, quas curandas ſuſceperas, egregiè curaveris, diligentiæ tuæ acceptum referimus, in quo profectò oſtendiſti, quàm egregiam in nos habeas voluntatem. De Didaco Vazio, quid a te fieri ejus cauſa velimus, ſcripta ſeparatim epiſtola, ſignificabimus. Quod ad Beijoimum recentibus plantis expreſſum, cæteraſque lautitias attinet, quas tuo nomine attulit nobis Laurentius Pires de Tavora, gratiſſimum nobis feciſti, tum quia optima omnia per ſe ſunt, tum quia optima voluntate ad nos miſſa, de quibus gratias tibi habemus quàm plurimas. Cæterùm de famulis noſtris, aliiſque permultis, quos iſthìc operam Regi ſuam egregiè navaſſe ſcribis, ac præterea de cæteris rebus, quibus provideri ſedulò oportet, Regem monebimus ſæpè, & diligenter, ut poſtulas. Is verò (ne dubita) in præmiis dividendis, in conferendis dignitatibus, in iis honeſtandis, qui in India laborant, tuam commendationem, & voluntatem ſequetur omnino. Demum quod in literis ad Regem datis, famulos noſtros, qui tecum Dienſi expeditioni adſuerunt, cum laude commendaveris, & quod illos noſtra cauſa perbenevolè accipias, gratias tibi agimus immortales.
Petrus Fernandez ſcripſit Olyſippone III. Calend. Novembres anno a partu virginis MDXLVII.

Nec minus honorifica fuit Joanni de Caſtro epiſtola Aloyſii Principis, cujus acerrimum ſemper fuit meritorum, virtutumque judicium.

ALOY-

ALOYSIUS LUSITANIÆ PRINCEPS JOANNI DE CASTRO INDIÆ PRO-REGI HONESTISSIMO S. D.

97 *TUas ad nos literas attulit Laurentius Pirez de Tavora, quibus ſignificas noſtras tibi viciſſim ab Aloyſio Figueroa fuiſſe redditas. Quòd conſilia, & monita probaveris, quæ ad te perſcripſimus, & multò magis, quòd probata executioni mandaveris, valdè te amamus. Quod ita facturus eſſes, non erat profectò, cur dubitaremus, tametſi te, & ingenium tuum ignoraſſemus; ſatis enim de hoc perſuadere nos poterant, quæ de te iſthinc ad nos perferuntur, ac tuæ præterea literæ, quibus copiosè labores, paupertatem, & abſtinentiam tuam deſcribis: quibus ſanè virtutibus Dæmonis, Mundi, Carniſque veſani impetus non retunduntur modò, ſed ſuperantur: horum profectò vires, & fraudes ut longè majores, & periculoſiores in India ſunt, ita præclarior eſt de illis victoria, multòque nobilior, quàm ea, quam retuliſti nuper de Cambajæ Rege, univerſoque Turcarum Imperio. Quapropter, quoad vives (niſi noſtra nos fallit opinio) nihil eſt, quod vehementer timeas, immò confidendum eſt, Deum tibi ſemper præſtò futurum, ut præſtò fuit in Dienſi expeditione. De relata verò victoria, Deum ejus autorem magnificis laudibus extollere etiam atque etiam debes, qui te uti voluit, tanquam inſtrumento gloriæ ſuæ, tanto Regis commodo, tanto tuo, ac Luſitanæ gentis honeſtamento. Et ſanè, ab initio nunciatæ obſidionis ad diem uſque victoriæ tuæ, omnia præſtitiſti, quæ ſtrenuus, ac ſagax Imperator præſtare debuit, non ſolùm in expediendis incredibili celeritate ſubſidiis, ſed in filiis graviſſimo maris, hyemiſque periculo objiciendis, ut alios periculo eriperes: quo facto*

Ludovici Principis epiſtola ad eundem.

præclarè oſtendiſti, quantò pluris faceres Regis obſequium, & officii tui dignitatem, quàm paternos affectus, quibus nullos chariores, fortioreſque natura hominibus inſtillavit. Id ipſum luculentiùs oſtendit virilis patientia, qua acerbiſſimam Ferdinandi filii mortem conſtanter tuliſti: eandem nos quoque tuo, noſtroque nomine graviſſimè tulimus, et ut in eo magnæ, robuſtæque virtutis generoſa ſemina agnoſcebamus, ita graviſſimam ducimus orbitatem tuam. Quapropter nullùs dubito, quin Deus egregiam ejus voluntatem, glorioſoſque labores voluerit honeſtiſſima morte remunerari, eumque ex hujus vitæ periculis in primo lubricæ ætatis flexu liberare, unde non exigui tibi ſolatii cauſam extitiſſe arbitramur. Alvarus autem tuus non malè operam ſuum collocavit; nimirum tanto cum periculo, tum labore Dienſi arci ſubſidium intulit eo tempore, quo ejus adventus erat non modò perneceſſarius, ſed fuit etiam aliquandiu ſalutaris: quòd ibi præclarè rem geſſerit, quòd in hoſtium ſtationes impetum fecerit, quòd cætera omnia egregiè præſtiterit, ſumma profectò laude digniſſimum ducimus. Quod verò ad tuam deliberationem attinet, qua te, & Indicam Ditionem univerſam non levi periculo objeciſti, ut Dio laboranti ſuccurreres, optimè factum intelligas; quippe, niſi id feciſſes, gravius, certiuſque Luſitanæ rei periculum imminebat. Cæterùm de tuo Dium adventu, de clandeſtina militum in arcem expoſitione, de præclaro ſtratagemate, quo juſsiſti claſſem militibus ſpoliatam ad litus tendere, dum terreſtre prælium eras initurus, ingenii tui ſolertiam magnoperè laudamus, dignamque credimus, propter quam Deo, bonorum conſiliorum autori unico, nunc, & per conſequentes ætates ſummoperè gratulemur. Tam illuſtribus, præclariſque geſtis, Pro-Rex honeſtiſsime, meruiſti, ut, quando in Regis

gis

gis commodum, obſequiumque totus impenſus es, gratam tibi quoque vicem Rex rependat, & præmiis cumulet, ut facere re ipſa incipit erga te, ac filium tuum, quod ex Regiis epiſtolis ipſe cognoſces. Ita planè æquum eſt. Proceres etiam, equiteſque honeſtiſsimos, qui tecum Dienſi prælio interfuere, & præcipuè Joannem Maſcarenhas, qui Ducis, militiſque partes egregiè præſtitit, totumque periculoſiſsimæ obſidionis pondus ſuſtinuit, debitis procul dubio honoribus, & præmiis honeſtabit. Illud præterea plurimi fecimus, quòd in epiſtolis tuis Procerum, equitumque Luſitanorum, qui iſthìc vivunt, conatus egregios, & labores in Dienſi propugnatione toleratos non commemoraveris modò, verùm etiam ampliſsimè laudaveris; oſtendiſti ſcilicet eorum te labores non mediocriter æſtimare. Id amore noſtro facere in poſterum pergas, vehementer cupimus, nec te pœniteat, immò magnoperè gaudeas homines laudare: ut enim non deſunt, qui eoſdem accuſent, atque vituperent (in quos ſanè debes pro merito animadvertere) ita æquum eſt, probos laudari, quos ſi minùs poſsìs iſthìc præmiis afficere, eos ſaltem Rex tua commendatione, quoad ejus fieri poteſt, remuneretur. De tuo in Luſitaniam reditu, ut petebas, cum Rege verba quidem fecimus; verùm, ut optabas, non impetravimus duas ob cauſas, quas ipſe nobis ſignificavit: tu quidem fortaſſe multas habebis, ob quas regredi cupias, plures tamen Rex habet, ut te roget, ne graveris ad aliud triennium Indiam adminiſtrare, quod libenter procul dubio exequi debes, non modò ut Deo ſervias, qui tam multa contulit in te beneficia, ſed etiam ut Regi obſecundes, qui tibi plurimùm fidit, poſitamque à te in gerenda Prætura operam vehementer probat. Deo itaque fidendum eſt, vires tibi non defuturas ad Indicas perturbationes, laboreſque molliter, & utiliter perferendos:

dos: quod ſi feceris, confidimus, te in patriam tandem reducem Sintræ montis juga non minùs ſacellis, quàm trophæis impleturum, quibus demum pro libito uti poſſis. Ad cætera nihil eſt ſanè, quod reſcribamus; ſcimus enim, Regem ad omnia, & ſingula reſcripturum, quæ in publicis literis ordinatè, & eleganter ſcripſiſti.

Olyſippone XI. Calend. Novembres MDXLVII.

98 Ex iis epiſtolis colligi perſpicuè poteſt, quantoperè Joannes de Caſtro in Indica Prætura adminiſtranda Luſitanis Regibus probaretur. Negata eſt illi quidem facultas in patriam renavigandi, ſed in patriæ ipſius ornamentum, Orientiſque beneficium. Prorogata illi ad triennium Prætura, ut eam Pro-Regis nomine ornatam adminiſtraret, quo ornamento, tametſi morte interveniente, uti non potuerit; eo tamen, omnium ſuffragiis, digniſſimus reputatus eſt. Eidem decem millia cruciferorum à Rege erogata, tanquam rei nummariæ auctarium. Alvaro filio Indici maris ſumma Præfectura collata, quod ille munus minoribus ſanè annis exercuit, quàm victoriis.

Sex naves in Indiam mittit Rex Luſitaniæ.

99 Cæterùm cum Luſitanus Rex ex Joannis epiſtola intellexiſſet, ad Indiæ tutelam, & tranquillitatem magnoperè pertinere, ſi vires haberet ſemper prævalidas, & paratiſſimas, quibus repentinis tumultibus opportunè proſpiceret, & cum minimè ignoraret, illatam Cambajæ cladem, præter veterem Luſitanæ militiæ terrorem, finitimorum in nos Principum odia ſuſcitaſſe, quippe quibus aliena clades magno ad timendum exemplo eſſet, ſex hoc anno roſtratas naves in Indiam miſit, quæ diverſo tempore vela fecerunt. Tribus, quæ Novembri menſe ſolverunt, præpoſitus à Rege fuerat Martinus Correa

rea de Sylva, qui ad Dienſem arcem adminiſtrandam proficiſcebatur. Minores verò Præfecti nominati fuerant Antonius Pereira, & Chriſtophorus de Sà. Prætoria, quòd adverſis maximè ventis uſa eſſet in Indica ora, ab inſtituto curſu ita aberravit, ut amiſſa Goam appellendi facultate, in vicino Angedivæ portu anchoras jecerit. Inde miſſis ad Prætorem nunciis, commeatum, ac cætera neceſſaria petivit, ad hyemem in eo portu tranſigendam. Meliore ſanè arte navigavit nauclerus Chriſtophori de Sà, quippe qui, ſimul ac Indicam oram detexit, in adverſum obliquè navigans ventum, Goam ex Carapatano conſpectam facillimè appulit.

100 Pro-Rex verò, intellecto Luſitanæ navis adventu, ægros ſine mora in terram exponi juſſit, quos ipſe ſtatim inviſens, blandiſſimis verbis, & neceſſario ſubſidio levavit. Et ſanè inter cæteras Joannis virtutes, primas procul dubio tulit Chriſtiana charitas, quę plerumque militibus, & præcipuè publicis adminiſtris minùs familiaris eſſe ſolet. Redditæ ſunt illi à Rege epiſtolæ honeſtiſſimæ, quibus præmia, & ornamenta, quæ diximus, afferebantur, quæ ille magni fecit; poterat enim pecunia auctus nomina, quæ contraxerat, expedire, & nova dignitatis acceſſione uti ſibi poſſe videbatur, veluti laborum ſuorum præclariſſimo teſtimonio. Proceres verò de prorogata illi ad aliud triennium Prætura ſibi ipſis gratulabantur; intelligebant enim Joannem militibus patrem futurum, & Luſitanam in India Ditionem virum fortiſſimum, & prudentiſſimum Imperatorem habituram.

Una Goam appellit.

101 At Joannes de Caſtro perpetuis belli laboribus veriùs, quàm annis debilitatus, ita gravabatur, ut immenſo curarum ponderi tandem ſuccumberet. In gravem itaque incidit morbum, qui brevi

Ægrotat Pro-Rex Joannes de Caſtro.

non

non obſcura dedit vicinæ mortis indicia. Id ille ſimul ac animadvertit ex crebra, & permoleſta ſymptomatum repetitione, publicæ rei adminiſtrationem depoſuit. Advocatis itaque Joanne de Albuquerque Goano Antiſtite, Didaco de Almeyda Freyre, Franciſco Toſcano ſupremo Indici Dominij Cancellario, Sebaſtiano Lopez Lobatto generali cauſarum Auditore, Roterico Gonſalves Caminha Regii fiſci Præfecto, iis Indicæ rei adminiſtrationem tradit, tutam finitimorum Principum pace, victoriiſque perilluſtrem. Accerſitis deinde Goanis Magiſtratibus, Epiſcopi Vicario, Antonio Caſalenſi Franciſcanæ Familiæ Cuſtode, Patre Franciſco Xaverio, cæteriſque Regis in India adminiſtris, in hæc verba locutus eſt.

Abdicat ſe Prætura.

102 *Non erubeſcam profectò, ampliſsimi Ordines, ſi ingenuè fatear, ea in hoc morbo commoda, & delicias Indico Pro-Regi deeſſe, quibus in publico valetudinario unuſquiſque militum gregariorum abundat. In Orientem ego quidem veni, non ad exercendam mercaturam, ſed ut Regi ſervirem: neque vos ipſi ignoratis, me vobis oſſa filii mei oppignerare voluiſſe, & barbæ meæ pilos re ipſa oppigneraſſe; neque enim pretioſa vaſa, & lauta periſtromata ſuppetebant, quæ ad obligandam fidem meam pignori traderem, ut mutuam à vobis pecuniam in publicos ſumptus corrogarem. Hac ipſa die (quod fortaſſe miremini) defuerunt domi meæ nummi ad pullum gallinaceum comparandum, quo uti debebam ex medicorum præſcripto, nec id alia de cauſa factum eſt, niſi quia milites, cum Regias claſſes adornarem, fortunas meas, priuſquàm à Rege data ſtipendia, comedebant. Quamobrem ne miremini, amabo vos, patrem tot filiorum ad extremam inopiam deveniſſe. Peto itaque à vobis etiam atque etiam, ut quoad mor-*

Ejuſdem ad Senatū Goanum Oratio.

bus duraverit, diurnos mihi ſumptus ex publico ærario ſuppeditandos curetis, hominemque eligatis, qui mediocrem mihi ſuſtentationem dietim præbeat. Poſt hæc, petito Evangeliorum ſacro codice ſanctè juravit, ſe ad eam diem nihil omnino ærario Regio debere, nec à quoquam, ſive Chriſtiano, ſive Judæo, ſive Mauro, ſive Ethnico quidquam unquam donorum accepiſſe: neque ad ſervandam muneris, ac perſonæ dignitatem, ullam domi ſuæ ſupellectilèm inveniri, præter illam, quam ſecum è Luſitania attuliſſet: argentum factum in publicos ſumptus conſumptum, nec unquam, ex quo in Indiam veniſſet, tantum ſibi fuiſſe nummorum, ut aliud, quàm quo utebatur, ſtragulum compararet: Alvaro dumtaxat filio, enſem capulo ornatiore, & vulgaribus gemmis diſtinctum, ſe dediſſe, ut ſplendidiùs in Luſitaniam regrederetur. Hæc omnia referri voluit in acta, ut ſiquando diverſum aliquod ab iis, quæ juraſſet, inveniretur, in ſe, tanquam in perjurum pro libito ſuo Rex animadverteret. Hæcitaque oratio in publicis libris deſcripta eſt, quæ proponi ſucceſſoribus bene poterat, tanquam exemplum Luſitanæ rei moderatè, & cum laude adminiſtrandæ: veriùs hæc tamen ad poſterorum memoriam, quàm ad exemplum videntur ſuperfuiſſe.

Jurát ſe Regi nihil debere.

103 Pro-Rex igitur, ſimul ac intellexit duriſſimum ſibi prælium, ſupremum ſcilicet imminere, abjectis humanarum rerum avocamentis, ad æternorum cogitationem collegit animum unà cum P. Franciſco Xaverio, quo, tanquam gubernatore peritiſſimo, uti voluit ad curſum periculoſiſſimæ navigationis feliciter abſolvendum. Is verò ad extremum uſque ſpiritum medici, magiſtri, & conſolatoris munus piè, & conſtanter exercuit. Ut nullas ſibi

Cum Patre Franciſco Xaverio ad mortem ſe parat.

Pro-Rex divitias in India paraverat, nullum aliud teſtamentum condidit, quàm quod in Indiam proficiſcens ſcriptum reliquerat apud Illuſtriſſimum Antiſtitem Emmanuelem Pinheiro, cum quo illud communicaverat. Itaque ſupremis Eccleſiæ Sacramentis munitus ſpiritum Deo reddidit octavo Idus Junias anno à Chriſto nato MDXLVIII. ætatis ſuæ quadrageſimo octavo, à ſuſcepta Indiæ adminiſtratione propemodum tertio. In ejus ſcrinio tres argentei nummi infimi valoris, quos Larinos Indi vulgò appellant, inventi ſunt, flagellum è funiculis uſu bene tritum, barbæ pili complures, quos oppigneraverat, præterea nihil. Cadaver ex ejus præſcripto depoſitum eſt in templo D. Franciſci, ut inde mox in Sintræ Sacellum oſſa transferrentur. Indictum ſtatim, & celebratum eſt funus triſti, & ſolemni ritu; publicæ quippe, privatæque Luſitanorum lacrhymæ religioſiſsimo, fortiſſimoque viro debebantur.

Moritur.

Ejus exequiæ.

104 Poſt annos non ita multos ejus oſſa in Luſitaniam allata pio, & officioſo populi plauſu excepta ſunt. Quatuor Joannis nepotes, oneri chariſſimo ſuppoſitis humeris, feretrum geſtantes è navi in Olyſipponenſe S. Dominici Cœnobium intulere, ubi ad multos dies magnificentiſſimo apparatu funebris illi pompa producta eſt, qua peracta, translati rurſus cineres in Cœnobium S. Dominici de Bemfica (tametſi in alieno ſacello) decenter tumulati ad plures annos quievere, dum ejus nepos Franciſcus de Caſtro Antiſtes, & ſupremus contra hæreticam pravitatem Fidei Quæſitor, ſacello à fundamentis excitato, proprium illi tumulum conſtituit, tum elegantia ſtructuræ, tum marmorum magnificentia, ſi Regios tumulos excipias, nulli ſecundum. Hujus ego deſcriptionem lectoribus non injucundam fu-

Ejus oſſa transferuntur in Luſitaniam.

tu-

turam puto; quapropter eam hic attexam ad conſervandam tum avi, tum nepotis glorioſam memoriam.

105 Duo paſſuum millia diſtat Olyſippone Cœnobium S. Dominici de Bemfica, quod à vicino pago nomen accepit. Solum, in quo conſtructum ædificium eſt, diu, multumque ad Luſitanos Reges pertinuit. Ibi propter miram loci amœnitatem, villam extruxere, quam adibant non raro, modò ad exercendum venatione corpus, modò ad animum à publicis curis relaxandum. Porrò Joannes Rex hujus nominis primus, cum propter inſignes de hoſtibus relatas victorias, permultum ſe Deo debere intelligeret, ut gratum ſe Divinis beneficiis oſtenderet, Regium palatium cum annexo ſolo, pomariiſque conjunctis religioſo Ordini S. Dominici perpetuò poſſidendum donavit XI. Calend. Junias anni à Chriſto nato milleſimi trecenteſimi nonageſimi noni, ut ibi Cœnobium extrueretur, quod deinde, ut fundatum Regiam agnificentia fuerat, eadem auctum mirificè eſt. Regius itaque Cœnobii conditor, non minùs in Dei cauſa ſolicitus, quàm ſtrenuus in ſua, Regiam fidem obligavit, dato diplomate (quod adhuc in Cœnobii tabulario ſervatur) ad protegendos Cœnobitas, & omnia, quæ ad eos pertinerent, defendenda. Joannes verò hujus nominis Rex ſecundus dotis loco ampliſſimum illi prædium attribuit, quod ad hanc diem Inſulanæ villæ nomen obtinet, nulla impoſita Sacrificiorum obligatione, quæ Regiam liberalitatem vel minùs gratam faceret, vel diminueret. Emmanuel verò Rex, tametſi gravioribus curis, & ædificiis implicitus, auctis templi Sacrificiis, memoriam ſuam poſteris non mediocriter commendavit; juſſit enim, ut in honorem ſanctorum

Tumulantur in Sacello S. Dominic de Bemfica.

Angelorum Sacerdotes bis ad aram facerent ſolemni ritu, Sacrificii precibus ad muſicos numeros decantatis, pro navigantibus. Hoc ille aſtrolabio utebatur ad ſuas conquiſitiones feliciter promovendas, & ad hunc uſum divitiæ ab Orientalibus victoriis collectæ transferebantur. Regina quoque Joannis uxor hanc domum pretioſis Sanctorum Reliquiis è ſuo Sacello deſumptis mirum in modum ditavit, in quibus pretioſiſſima cenſeri jure poteſt Sanctiſſimæ Crucis particula argenteo ornatu ſcitiſſimè incluſa, de cujus veritate dubitandi locus eſt nullus, cum ejuſmodi munus à Regiis manibus profectum fuerit. In hunc modum Luſitani Reges pro ſua liberalitate, ac pietate Religioſam hanc domum non profanis ſolùm, ſed etiam ſacris beneficiis ornarunt. Porrò Philippus cognomento Prudens, collata non modicè pecunia, Cœnobii ſortem amplificavit, in quo floruit ſemper primus Religioſi Inſtituti vigor, nec quidquam de priſtina ſeveritate remiſit. Illuc tanquam in virtutum omnium palæſtram recipere ſe ſolent, quaſi confectis ſtipendiis, Religioſi ſenes emeriti: alii ad declinandas Ordinis Sanctiſſimi dignitates: alii, depoſitis Magiſtratibus, ad Religioſam quietem honeſtiùs, & ſanctiùs capeſſendam, quò faciliùs in pulchra laudabilis otii ſanctitate Deo vacent, & ſpiritum ſeveriore morum conformatione perpoliant.

Deſcribitur Sacellum.

106 Hac igitur in domo non tam Regia munificentia, quàm Religioſa diſciplina perilluſtri, triumphales Joannis cineres requieſcunt in magnifico Sacello tumulati: id Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento dedicatum eſt. Primarius in id patet ingreſſus ex interiore Cœnobii clauſtro: extat ſupra portam gentilitium ſtemma Conditoris opere anaglyptico

affabrè elaboratum. Interior area quadraginta palmos patet in latum, in longum ad ſeptuaginta: dupla, ut architecti vocant, proportione, Dorica verò ſtructura. Unica ſacræ ædis concameratio ex marmore undique lævigato: pavimentum item ex marmore, ſed varii coloris. Surgit à pavimento ſtylobata aptè compoſita, & ad artem commenſurata, quæ inferiorem partem circumdat: huic reliquæ architecturæ harmonica inſiſtit commenſuratio. Arcus omnino ſex, pilis ſupra baſes interpoſitis, capitellis, cimatiiſque ſcitè circumornati. Sex item feneſtris, reliquæ architecturæ reſpondentibus, Sacellum illuminatur. Suprà aram ſacrum Divinæ Hoſtiæ Tabernaculum, ubi Dominicum Corpus diu, noctuque gemina argentea lampade illuminatum ſervatur. Aræ tabula, ligneo margine bene lato incluſa, ludentibus undecumque foliis, elegantiſſimè inſculptis, & auro illuſis ornata, Dominicæ Cœnæ hiſtoriam non ignobili manu depictam exhibet. Poſt aram chorus extructus non inelegantis architecturæ, ubi Religioſi tyrones nocturnas, diurnaſque laudes Deo perſolvunt ad numeros. Ad eos porrò ſanctiùs educandos adjuncta eſt ſeparatim domus, quæ cellis viginti conſtat, cæteriſque officinis ad obeunda religioſa munia perneceſſariis. Sacelli tectum ſupra cimatium aſſurgit ex polito lapide, quadratis undecumque loculamentis aptè diſtincto. Ex arcubus verò ſex, quibus ſacra ædes conſtat, duo includuntur in presbyterio, quorum ex altero aditus eſt in ſacrorum repoſitorium, ex altero via eſt ad ſuggeſtum elegantiſſimum, quem Luſitani Tribunam vocant, ubi Sacelli Conditor ſeparatim cum libet, Sacris aſſiſtit: in quatuor verò, qui ſequuntur, magnifici hinc inde tumuli extructi ſunt,

quo-

quorum urnæ ex verſicolore, & polito marmore inſident dorſo Elephantium ex nigro marmore prominentium.

Epitaphium Joannis de Caſtro.

107 In arcu, qui proximè Presbyterium eſt, ex parte Evangelii condita ſunt oſſa Joannis de Caſtro, ſuperaddita tumulo hac Epigraphe, majuſculis literis inſcripta.

D. JOANNES DE CASTRO XX. PRO RELIGIONE IN UTRAQUE MAURITANIA STIPENDIIS FACTIS NAVATA STRENUE OPERA TUNETANO BELLO MARI RUBRO FELICIBUS ARMIS PENETRATO DEBELLATIS INTER EUPHRATEM ET INDUM NATIONIBUS GEDROSICO, REGE PERSIS TURCIS UNO PRÆLIO FUSIS SERVATO DIO IMMO REIPUBLICÆ REDDITO DORMIT IN MAGNUM DIEM NON SIBI SED DEO TRIUMPHATOR PUBLICIS LACHRYMIS COMPOSITUS PUBLICO SUMPTU PRÆ PAUPERTATE FUNERATUS. OBIIT OCTAVO IDUS JUNII, ANNO MDXLVIII. ÆTATIS XLVIII.

In arcu proximo jacet Eleonora Coutinho Joannis uxor.

108 In

108 In arcu adverſo jacent oſſa Alvari filii, cujus tumulo inſcripta eſt hæc Epigraphe.

Alvari epitaphium.

D. ALVARUS MAGNI JOANNIS PRIMOGENITUS CUI PENE AB INFANTIA DISCRIMINUM SOCIUS PUGNARUM PRÆCURSOR TRIUMPHORUM CONSORS ÆMULUS FORTITUDINIS HÆRES VIRTUTUM NON OPUM REGUM PROSTRATOR ET RESTITUTOR IN SINAI VERTICE EQUES FELICITER INAUGURATUS A SEBASTIANO REGE SUMMIS REGNI AUCTUS HONORIBUS BIS ROMÆ SEMEL CASTELLÆ GALLIÆ SABAUDIÆ LEGATIONE PERFUNCTUS. OBIIT IV. CALEND. SEPTEMB. ANNO MDLXXV. ÆTATIS SUÆ L.

In proximo fornice condita eſt Alvari conjux lectiſſima Anna de Attayde. In ſubterranea Sacelli parte excavatum eſt commune oſſium conditorium, diviſum in varia loculamenta, in quibus oſſa, & cadavera mortuorum reponi commodè poſſunt.

109 Sacram ædem qui ædificavit, idem dotavit Antiſtes ad alendos Religioſos viros, qui eam erant curaturi, attributis quadraginta ſupra ducentos aureis nummis, qui ſolvi quotannis debebant ex uſuris Olyſipponenſis ærarii. Centum ſcilicet & viginti pro conſueto trium Sacerdotum ſtipendio, qui die-

bus

bus ſingulis litare Deo Sacram hoſtiam debèbant. Quinquaginta pro Sacrificiis anniverſariis, quæ pro mortuis Conditor in ſupremis tabulis conſtitueret, anticipata ſolutione numerabantur. Quadraginta ad ædificii conſervationem aſsignabantur, & ad ea omnia comparanda, quæ ad ſanctum Miſſæ Sacrificium nitidè celebrandum ſunt neceſſaria. Triginta demum data ſunt in ſubſidium Religioſorum, qui in contiguo Tyrocinio vivunt ad cuſtodiam, & nitorem Sacræ ædis. Præter hæc magnificentiſsimus Conditor Sacellum ſuum ornamentis compluribus locupletavit magno ſumptu: donatæ quippe Sacerdotales veſtes diverſi generis, tam pro diebus feſtis, quam pro feriatis; lychnuchi penſiles, candelabra, lampades, & cætera ejuſmodi largè, & eleganter elaborata, affatim ab eodem ſuppeditata.

Genealogia Joannis de Caſtro.

110 Supereſt nunc, ut (quemadmodum ſub initium promiſimus) Joannis de Caſtro originem illuſtriſsimam breviter attingamus. Joannes de Caſtro non minùs ſanguine, quàm virtutibus clarus, natus eſt Olyſippone tertio Calend. Martias anno à partu Virginis milleſimo quingenteſimo. Parentes habuit Alvarum de Caſtro Civilis Curiæ Præfectum, & Eleonoram de Noronha, filiam Joannis de Almeida ſecundi Comitis de Abrantes. Nepos fuit Garziæ de Caſtro, qui fratrem habuit Alvarum de Caſtro, primum Comitem de Monſanto. Hi porrò filii fuerunt Ferdinandi, nepotes Petri, ac pronepotes Alvari Pirez de Caſtro, Comitis de Arrayolo, qui primus fuit Comeſtabilis in Regno Luſitaniæ, & ſororem habuit Reginam Agnetem de Caſtro, uxorem Petri Luſitaniæ Regis, cognomento Crudelis. Fuit verò hic Alvarus filius Petri Fernandez de Caſtro, quem Hiſpani bellicoſum nominavere.

vere. Porrò is in Luſitaniam veniens initium fecit Caſtriæ familiæ, & ſtipes fuit glorioſiſsimæ poſteritatis, quæ ſummo ſemper ſplendore propagata eſt. Is verò, quem dixi, Petrus virili origine deſcendebat ex Ferdinando Principe, Garziæ Navarræ Regis filio, qui uxorem duxit Mariam Alvarez de Caſtro, filiam unicam Comitis Alvari Fanhez Minaya, quintam neptem Lainii Calvi, unde primam hæc illuſtris familia duxit originem. Joannes verò admodum juvenis uxorem duxit Eleonoram Coutinho, ſuam in gradu ſecundo conſobrinam, quæ majorem virtutum, quàm pecuniæ dotem marito attulit. Cum hac vixit in oppido Almada, & aulæ ambitionem anticipata quadam ſenectute declinavit. Tingin deinde profectus eſt, ubi prima dedit, nec ea quidem vulgaria bellicæ virtutis documenta, quorum confuſa tantum notitia ad nos pervenit. Vocatus in aulam eſt à Joanne Rege hujus nominis tertio, ſed perinde quaſi generoſos ejus ſpiritus Luſitania non caperet, unà cum Garzia de Noronha navigavit in Indiam. Socius fuit Stephani à Gama in expeditione contra Turcas ſuſcepta ad Perſicum fretum, ejuſque itineris accuratiſsimum diarium deſcripſit, opus navigantibus utiliſsimum. Regreſſus in Luſitaniam in Sintram ſeceſsit fructuosè ruſticaturus; honeſtam enim quietem aſsidua librorum lectione condivit: vir ſanè optimi exempli non minùs in otio, quàm in labore. Iterum arma ſumpſit, glorioſa Caroli Imperatoris ſecutus ſigna in expeditione Tunetana, in qua novam, nec vulgarem ſuo nomini gloriam comparavit. Poſt hæc Sintram repetens, dum adeptæ famæ ſplendorem occultare ſatagit, in ea ipſa, quæ diligentiſsimè declinabat, reipublicæ munera invitus incurrit. Itaque revocatus à Rege, litoralibus

claſsibus præfectus eſt ad tutandam à piratis maritimam oram, quod ille munus ſumma omnium gratulatione, cum ſtrenuè, tum feliciter exercuit. Demum ad Indiam adminiſtrandam profectus eſt, ubi crebris, præclariſque victoriis, quas in hac hiſtoria narravimus, Luſitanam Ditionem tutatus, inſigni honore gentis ſuæ nomen affecit. Subſecivis horis, quas bellicis curis vacuas habebat, copioſo, & luculento tractatu maritimam oram, quæ inter Goam, Diumque interjacet, univerſam comprehendit, notatis ejus maris Syrtibus, lociſque vadoſis, ac præcipuis ſcopulis, qui continuo ſaxorum tractu à mari prominent. Deſcripſit præterea, qua poli altitudine ſitæ ſint urbes, quibus in locis arenarum cumuli deliteſcant, ubi ad portus captandos molles, & idonei pateant aditus, quæ commodiores ſint ad navigandum opportunitates, quæ ſit uniuſcujuſque maris natura, quibus in locis fluctuum rapida vis invitas naves ſecum abripiat, quantus ſe mari immiſcentium ſit impetus fluviorum. Hæc omnia ſeparatis in tabulis delineata tam aptè, tam appoſitè ad regulas Geographicæ artis exegit, ut hoc uno opere celebrari ſatis potuerit, niſi bellica virtute celeberrimus extitiſſet. Cæterùm æquali vultu patriæ incommoda, & Orientis proſperitates adſpexit, par ſibi ipſi ſemper, & æquè conſtans in utraque fortuna. Jus unicuique ſuum æquè tribuebat: tanta in ſumendis pœnis integritate utebatur, ut ſontes magis de lege, quàm de judice queri poſſent. Quàm fuit in milites liberalis, tam erat parcus in filios, humaniorem muneris, quàm naturæ cauſa ſe præbens. Anteceſſorum geſta, ut vulgò fieri ſolet, non modò non improbabat, ſed quadam veluti obſervantia proſequebatur, ea ipſa laudans, à quibus ſibi recedenden-

dendum intelligebat. Comitatem ita gravitate temperabat, ut reverentiam conciliaret. Cum potentioribus, ac Dynaſtis agere, tanquam dominus, pro poteſtate videbatur: in tenujores ita benevolè effundebat ſe ſe, ut patrem crederes. Demum ita vixit, ut culpas magis exemplo vitæ, quàm legum animadverſione corrigeret. Dei cauſam politica adminiſtratione priorem ſemper habuit, & antiquiorem. Nullam unquam virtutem præmio ſuo carere permiſit: vitia tamen aliquando impunita relinquebat, ut faceret clementiæ locum, qua prudenter adhibita, multos beneficiis obſtrictos ad meliorem frugem reduxit. Munera, quæ ab Aſiaticis Principibus largè offerebantur, in Regii fiſci libros referri curabat, novo quodam, & inuſitato abſtinentiæ genere, quam multi quidem laudarunt, imitati tamen ſunt pauci. Militum, dum ægrotabant, ſummoperè miſerabatur, eorumque neceſſitatibus largè providebat: univerſos cum beneficiis obligaret, debere tamen omnibus videbatur. Militibus, mercaturam ne facerent, ſeveriſſimè interdixit: facinus nullum ſuſcepit, quin ſuſceptum conficeret, in deliberatione capienda prudens, in exequendo promptiſſimus. Inter vitæ militaris avocamenta penè perpetua Religioſorum virtutes diligentiſſimè coluit: ſacra frequenter Templa inviſebat, Sacerdotes, cæteroſque Eccleſiæ miniſtros officioſiſſimè venerabatur, miſericors, & liberalis in pauperes. Sacroſanctum verò Crucis ſignum tanta ſemper pietate coluit, ut ſemper illud, vel de genu, vel profundiſſima corporis totius inclinatione adoraret, maluitque in ejus amplificando cultu ſumptus facere, quàm in augendo ſuæ ipſius familiæ ſplendore. Petivit enim ab Alvaro filio etiam atque etiam, ut ſiquam laborum ſuorum mer-

cedem, ſive juſtam, ſive gratuitam à Luſitanis Regibus accepiſſet, eam in condendo Sintræ ſeveriorum Franciſcanorum Cœnobio collocaret, Templo ibidem in honorem Sanctiſſimæ Crucis ædificato. Alvarus verò Paternæ virtutis hæres legitimus, & genuinus, Cœnobii ſtructuram perfecit, minore ſanè ædificii majeſtate, quàm ſanctitate Religioſorum, qui illud incolunt. Cum à Sebaſtiano Rege ad ſummum Pontificem Pium IV. Legatus mitteretur, impetravit ab eo, ut quoties Sacerdos ad aram Cœnobii faceret, toties animam, pro qua Sacrificium offerrret, à piacularibus flammis liberaret. Die verò, quà Sanctiſſimæ Crucis inventio celebratur V. Nonas Majas, largiſſimam noxarum omnium veniam iis obtinuit, qui Templnm pie viſitantes, pro Eccleſiæ univerſæ neceſſitatibus, & nominatim pro anima Joannis de Caſtro Deo preces funderent. Hoc autem privilegii genus tam inſolens eſt, & ſingulare, ut ne ipſis quidem Summis Principibus concedi ſoleat: recentiſsima tamen Joannis virtutum, & victoriarum memoria fecit, ut tam ſingulare ſummi Eccleſiæ Paſtoris teſtimonium mereretur. Quapropter piè credi poteſt, religioſiſsimum, fortiſsimumque Imperatorem meliore triumphi pompa laureatum in Cœleſte capitolium invectum eſſe. Porrò Joannes de Caſtro tres ex Eleonora uxore lectiſsima filios ſuſcepit, qui ad unum omnes paterno exemplo permoti militiam ſecuti ſunt. Michael natu minimus, Sebaſtiano Regnum adminiſtrante, navigavit in Indiam, & in Malacenſi Præfectura fato conceſsit. Ferdinandus in Dienſi propugnatione ſuccenſi cuniculi flammis abſumptus eſt. Alvarus natu maximus, paternæ famæ comes individuus, quocum partiri pater victorias ſuas viſus eſt, poſtquàm rediit in Luſitaniam, vulneribus in bel-

lo acceptis, quàm divitiis clarior, duxit in matrimonium Annam de Attayde filiam Aloyſii de Caſtro Comitis de Monſanto. Apud Sebaſtianum Regem fuit in primis gratioſus; ab eo quippe præcipuis Regni muneribus admotus, variis, honeſtiſsimiſque legationibus perfunctus eſt in Hiſpania, Gallia, Romæ, & in Sabaudia. Ad intima Regni conſilia adhibitus, Regii fiſci Præfecturam ſine ſocio adminiſtravit; verùm in perpetua munerum magnificentiſsimorum procuratione, tametſi ſumma apud Regem gratia floreret, pauper deceſsit.

Finis totius Operis.

A. M. D. G.

BIBLIOTECA

Digitized by Google

INDEX
Rerum Præcipuarum, quæ in hoc Opere continentur.

A

Adenum.

URbs Arabiæ felicis: ejus ſitus. lib. 4. num. 73. A Race-Solimano per fraudem occupatur. n. 74. Marzanes ejus adminiſtrationi præficitur. ibid. Urbem Camparis Regulo offerunt Adenenſes. ibid. Regulus Adeno potitur, & Luſitanorum implorat auxilium, facta poteſtate arcis ibi ædificandæ. n. 75. 76. Payum de Noronha ſubſidio venientem excipiunt Adenenſes. n. 79. Ab eodem derelicti Indicum Prætorem monent. n. 80. Bellica Luſitanorum virtus in hoc bello. n. 84. 85. Adenum Turcæ circumſident. n. 86. Adenum à Luſitanis omnino derelinquitur. n. 87. Facta à civibus proditione in poteſtatem Turcarum venit. ibid.

Ægidius Coutinho.

S. Joannis propugnaculum Dux defendit. l. 2. n. 32. Strenuè dimicat. n. 53. 68. Moritur cuniculi incendio abſumptus. n. 115.

Alphonſus de Noronha.

Septæ in Africa Gubernator. l. 1. n. 25. Magna lætitiæ, pompæque ſignificatione excipit Joannem de Caſtro. n. 30.

Agazainum.

Agazainum urbem oppugnat Joannes de Caſtro. lib. 4. n. 63. Fugientes incolas inſequitur Alvarus de Caſtro. n. 64. 65. Iterum à fuga revertuntur. Eorum Dux moritur. n. 66.

Alvarus Baſanus.

Summus Cæſareæ claſſis Præfectus. l. 1. n. 25. Adita Luſitana Prætoria, viſitat Joannem de Caſtro; de invadendo hoſte deliberat; mutat conſilium. n. 28.

Alvarus de Caſtro.

In Indiam cum Patre navigat. l. 1. n. 17. Eques inauguratur à Stephano de Gama. n. 20. Luſitaniam cum pa-

patre repetit. n.21. Valonem Africæ urbem ſubſidio mittitur. n.30. Iterum Indiam petit cum Patre Prætore deſignato. n.37. Contra Hidalcanem cum claſſe proficiſcitur. n.59.60. Cambrem urbem evertit. n.64. Dium proficiſcitur importandi ſubſidii cauſa. lib. 2. n.88. Itineris difficultates, & labores. n. 122. 125. Dium appellit cum 40. navibus. n.158. Luſitanos in hoſtem erumpere cupientes diſſuadet. n. 162. Obſtinatis in eruptionis deliberatione ſocium ſe adjungit. n. 163. Superato ſtrenuè muro, ictu lapidis percuſſus cadit, n. 166. Oblatum à Rumecane pro captivo Janizarorum Prefecto pretium rejicit. n.179. Quingentis Luſitanis præficitur à Prætore Dium veniente, ut prælium unà committat l.3. n.14. Strenuè dimicat. n.17. n.20. 21. 24. Magno defunctus periculo urbem ingreditur. n. 22. Strenuè dimicat in prima acie contra Hidalcanem, & hoſtem fugat. lib.4. n.41. Dium cum Patre proficiſcitur. n.43. Ad expugnandam Surattam fruſtra contendit. n.44. Dabulum urbem expugnat. n.61. Agazaini in urbe Hidalcanis hoſtes invadit, fugat, vincit. n.63. 65.67. Dabulum aliud evertit. n.70. Adenum ſubſidio cum claſſe mittitur. n.82. Ejus itineris ſucceſſus. n.89. Xaelis arce expugnata, Goam renavigat. n.90. 92. Alvari de Caſtro elogium ſepulchrale. n.108.

Antonius de Attayde.

Bazaino ſolvit. l. 2. n. 139. Dium appellit. n.143.

Frater Antonius Caſalenſis.

In Dienſi prælio Chriſti Crucifixi imaginem manu tenens Luſitanis animos addit. l.3. n.22.

Antonius Correa.

Mauros duodecim ſolus invadit, & capitur. l.2. n. 150. Invitatur à Rumecane ad ejurandam Chriſti fidem. n. 151. Illuditur à Mauris, & pro Fide occiditur. n. 152. Ejus caput præciſum, & perticæ infixum, Mauri è regione Dienſis arcis attollunt. n. 153.

Antonius Moniz Barreto.

Dium proficiſcitur cum oneraria navi ſubſidiis plena lib. 2. n. 92. Bazainum appellit, ubi onerariam ultimo diſcrimine laborantem ſtrenuè eripit. n. 123. Periculoſum iter proſequitur

in

in navicula, & Dium appellit. n.124. Ibi ſæpe ſæpius ſtrenuè dimicat. n. 130. 134. 167. 169. Æqui, boni-que conſulit à gregario milite reprehendi, eumque in Luſitaniam reducens adjuvat apud Regem. n.148. Aliquot Cambajæ naves expugnat. l.3.n.35. In Ceilanum proficiſcitur ad maturandam Candeæ Regis ad Fidem converſionem. l.4.n.4. Ejus iter, & Candeæ Regis mutatio. n.10. Regredi parantem hoſtes invadunt. n. 11. 12. Ejus in regreſſu labores, & in moderandis militibus prudentia. n.13. 14. Strenuè dimicando ſuos regredi jubet. n.15. Regis epiſtola invitatus Candeam redire ſtatuit, ſed, recuſantibus militibus, ad claſſem contendit. n.17. Dium repetit cum Prætore. n. 43. Adenum navigat cum Alvaro de Caſtro, novæ arcis ibi ædificandæ Præfectus deſignatus n.82. In Xaelis expugnatione ſtrenuè dimicat. n.91.

Antonius de Noronha

Garziæ de Noronha Indici Pro-Regis filius Dium proficiſcitur cum ſexaginta militibus ſuo ære conductis. lib.3. n.4. Naves Meca venientes expugnat. lib. 4. n.71. Adenum cum Alvaro de Caſtro proficiſcitur. n.82. In Xaelis expugnatione ſtrenuè dimicat. n. 91.

Antonius Peſanha

Dienſe S. Georgii propugnaculum defendit. l.2. n. 32. Strenuè dimicat. n. 73. Unus eſt ex quinque militibus, qui irruenti hoſtium multitudini ſtrenuiſſimè reſtitere. n.119.

Antota

Urbs everſa ab Emmanuele de Lima. l.3. n.7.

Athanaſius Freyre

Dium petens, navim prope Surratam in litus allidens, capitur, & ad Sultanum Mamudium adducitur. l.2. n. 156.

Acedecanes

Hidalcanis Præfectus. l. 1. n. 53. Funditur cum ſuis à Caſtrio Prætore. l.1. n.55.

B

Baſora

Oppidum munitiſſimum felicis Arabiæ deſcribitur. l.3. n.36.

Barba

Joannis de Caſtro oppigneratur Goanis Civibus ad Dien-

Dienſem arcem reædificandam. l.3. n.29. Remittitur ad Joannem de Caſtro à Goanis. n.30. Ubi, & quomodo nunc aſſervetur. ibid.

Barba-Roſſa

Famoſus pyrata. l.1. n.9. Bellum contra Chriſtianos Turcico Imperatori perſuadet. n.23. Fretum Gaditanum cum claſse petit. n.28. Viſa Joannis de Caſtro conſtantia, curſum mutat. ibid. n. 29.

Barocum oppidum.

Ejus ſitus, munitio, incolæ, l. 4. n. 5. Expugnatur, & incenditur à Georgio de Menezes. n.6. Madre-Malucus ejus Dominus ſerò ad ejus auxilium accurrit. n. 7. Rurſus adveniente Alvaro de Caſtro, ejus præſidiarii aufugiunt. n.55.

Benedictus Barboſa

Unus ex quinque militibus, qui irruenti hoſtium multitudini apud Dium ſtrenuè reſtitere, l.2. n.119.

Bernardinus de Souza

Molucarum Præfectus deſignatus Aeyrum Cacilem Ternatenſium Regem reducit, & in Regnum reſtituit l.4. n.20.

Bartholomæus Correa

Unus ex quinque militibus, qui apud Dium magnum Turcarum impetum ſtrenuè ſuſtinent. l.11. n.119.

C

Caciles Aeyrus

Molucenſis Regni poſſeſſionem accipit à Joanne de Caſtro. l.2. n.12. Vinculis oneratus Goam mittitur ab Jordane de Freytas. l. 4. n. 20. Abſolvitur à Prætore, cujus juſſu Ternatem reducitur per Bernardinum de Souſa, & in Regnum reſtituitur. n. 21.

Calabatecanes

Turca bellicoſus ex Dalmatia. l. 4. n. 57. Hidalcanis copiis præficitur. ibid. Adveniente Goano Prætore, Agazainum deſerit, ubi confidebat. n.64. Confuſos ordines ſuarum copiarum reſtituit. n.66. Interficitur à Didaco de Almeida. ibid.

Cambres.

Ejus magnitudo, & munitio. l. 1. n.62. Alvaro de Caſtro oppidum invadenti hoſtis reſiſtit. n. 63. Expugnatur tandem, diripitur, & evertitur. n.64.

Camparis Regulus

Adenum oppidum Arabiæ ſibi ab incolis ſponte oblatum acceptat. l. 4. n. 75.

Mar-

Marzanem Tyrannum Adeno expellit ſub honeſtis conditionibus. n. 76. Contra Marzanem exercitum ducens occiditur. n.77.

Candea.

Regnum in Inſula Ceilani. l.4. n.2. Ejus Rex Chriſtianam Fidem acceptans, in eadem vacillans à Religioſis confirmatur. n.3. A ſuſcipienda Chriſtiana fide retrahitur opera Cotæ Regis. n. 8. Male ſuadenti conſentit Candeæ Rex. n.9. Facti tandem eum pœnitet. n. 16.

Carolus V. Imperator

Barba-Roſſam opprimere bello ſtatuit. l. 1. n.9. Mirum urbanitatis officium inter Imperatorem, & Luſitaniæ Principem Aloyſium. n.12. Joannem de Caſtro equeſtri baltheo ornare voluit. n.13. Luſitanæ claſſis Præfectis duo aureorum millia donari in ſingulos jubet, quæ à Joanne de Caſtro recuſantur. ibid. Joannem III. LuſitaniæRegem de conſiliis Turcarum monet. n.24. Auxilium ab eo petit ad reſiſtendum Turcico Imperatori. n.25.

Catharina de Souſa

Scribit ad Goanum Prætorem, eique gemmas offert ad belli ſumptus faciendos. l.2 n.91.

Caxemi Regulus

Auxilium petit à Prætore. l.4. n.83.

Ceilanum.

Joannes Luſitaniæ Rex Religioſos viros è familia D. Franciſci mittit in Ceilanum ad Chriſtianam Fidem prædicandam. l.4. n.1.

Coge-Sofares

Perſuadet Mamudio Cambajæ Regi, ut Dium eripiat Luſitanis. l.2. n.3. Deſcribitur, quis, & qualis eſſet. n. 4. Quomodo in Cambajam venerit. n.6. Quibus rationibus Dienſem expeditionem Mamudio perſuaſerit. n.7. A Dienſi Præfecto quid petierit. n.21. Arcem occupare tentat per fraudem. n.24. Dium venit cum exercitu. n. 25. Ejuſdem bellicus apparatus. n. 27. Ejuſdem ad milites oratio. n. 28. Inſtat iterum apud Præfectum Dienſem. n.29. Auxiliaribus copiis augetur. n. 34. Arcem bellicis tormentis quatere incipit. n.35. Navem novo ſtratagemate inſtruit in Dii perniciem, ſed fruſtra. n.36. 37. Arcem continuis librationibus verberat. n.38. 39. 48. 51. Jure-

rejurando ſe obſtringit fore, ut vel Dium expugnet, vel in ea expeditione moriatur. n. 53. Plumbea glande percuſsus moritur. n.60.

Commiſeratio

Joannis de Caſtro Prætoris. l.2. n.37. 38. l.4. n.54. 100.

Cotta

Regnum in Inſula Ceilano. l.4. n.1. Ejus Rex Franciſcanos Miſsionarios benevolè excipit. ibid. Candeæ Regem à ſuſcipienda Chriſti Fide diſsuadet. n.4.

Crux

Quantopere à Caſtrio Prætore coleretur. l.1.n.56. Crux S. Thomæ Apoſtoli Meliaporæ invenitur. n.57. Ejuſdem Crucis miraculum ibid. Quanto gaudio, & pietate inventæCrucis nuncium accipit Joannes de Caſtro. n.58.

D

Dabulam litorale

Oppidum celebre Hidalcanis. l.4. n.60. Expugnatur, & evertitur à Prætore Joanne de Caſtro unà cum Alvaro filio. n.61.

Dabulum Mediterraneum

Ab iiſdem deſtruitur, & incenditur. l.4. n.70.

Didacus de Almeida Freyre

Goæ auxiliarium copiarum ductor. l.2. n.180. Prætorem, Dium proficiſci deliberantem diſsuadet. 181. Goæ Præfecturam adminiſtrat, abſente Prætore. l.3. n.1. Prætorem à Dienſi expeditione redeuntem in litore excipit. n. 39. Juſsu Prætoris proficiſcitur contra Hidalcanem l. 4. n. 19. 32. In arcem Racholenſem copias recipit. n.32. Contra Hidalcanem proficiſci cogitantem Goanus Magiſtratus impedit. n.58. Hoſtium Imperatorem occidit in prælio. n. 66. Conſidet in Salſetanis agris cum equitatu. n.69. Indicæ rei adminiſtrationem unà cum Epiſcopo accipit à Pro-Rege moriente. n.101.

Didacus de Anaya

Notabili, glorioſoque facinore Maurum in Dienſem arcem abſtrahit. l.2. n.52.

Didacus de Reinoſo

Ferdinando de Caſtro à Dium proficiſcenti cuſtos, Prætore datus. l. 2. n. 30. Conſidet in propugnaculo S.Thomæ.n.110. Ejus inordinata virtute præcipui Luſitanorum, cuniculi incendio abſumpti pereunt. n. 115.

Didacus Soarez de Mello

E Patanenſi portu à Malacenſi Præfecto revocatus, Malacam contendit. l.4. n.23. 24. Contra Acenum proficiſcitur cum Franciſco d'Eſa. n.25. Militum ſeditionem ſedat. n.24. Aceni Prætoriam expugnat. n.27.

Dium.

Dienſis Inſula deſcribitur. l. 2. n. 26. Dienſem arcem Coge-Sofares quatere incipit. n.35. Foſsa barbari potiuntur. n.48. Poſticum vetus in Dienſi arce invenitur, quo Præfectus opportunè utitur ad reparanda damna à barbaris illata. n. 59. Iterum clauditur. n.61. Summa rerum omnium difficultas in Dienſi arce, dum obſidebatur. n.62. Luſitanorum virtus in hoſte repellendo. n.69. Alia barbarorum in Dienſem arcem invaſio. n.73. Dienſis arcis Templũ Turcæ aſcendunt inobſervati, quibuſcum Joannes Maſcarenhas arcis Præfectus ſtrenuè dimicat. n.78. Pelluntur Turcæ. n.82. In receptu Turcarum complures intereunt. n.84. Quatuordecim Luſitanorum militum virtus in Dienſi arce. n.95. In Dienſem arcem ſit impetus undique, n.96. Luſitani in Dienſi obſidione contra ignem muniuntur. n. 97. Recipiunt ſe barbari, & quanta clade. n.99. Nova in arcem aggreſſio. n. 102. Strenuè reſiſtunt Luſitani. n. 103. Magna barbarorũ clades. n. 105. Dienſis arcis ſumma neceſsitas. n. 106. Incendiarias ollas, dum deficiunt, tegulæ ſupplent. n. 108. Novam hoſtes aggreſſionem ſimulant. n. 114. Quinque Luſitanorum militum notabilis virtus. n. 116. Eorumdem nomina. n.119. Apertas ab incenſis cuniculis ruinas reparant Luſitani. n. 126. Novam aggreſſionem iidẽ ſtrenuè ſuſtinent. n.134. In extremo periculo verſantur Luſitani. n.137. n.142. Ad ultimum diſcrimen Dienſis arx à barbaris adducitur. n.155. Erumpere Luſitani in hoſtem ſtatuunt è Dienſi arce. n. 161. Contra Præfecti, aliorumque ſententiam, captam erumpendi deliberationem urgent. n. 163. Erumpunt tandem. n. 164. Erumpentibus reſiſtunt barbari. n. 165. Clades Luſitanorum in hac eruptione. n. 170.

Lu-

Luſitani quatuordecim onerarias commeatum ad hoſtem deferentes, feliciter capiunt. n.179. Trium Luſitanorum militum virtus infortunata. l.3. n.15. Victoria potiuntur Luſitani apud Dium. n.25. Numerus hoſtium æſtimatur. n. 27. Spolia, & Dienſis urbis direptio. n.28. Dienſis bombarda in arce S. Joannis Olyſipponenſi collocata, & occiſorum numerus. ibid. Indicus Prætor Dienſem arcem reædificat. n. 29. 31. Dienſi Præfectura abdicat ſe Joannes Maſcarenhas, quæ à Prætore traditur Aloyſio Falcao. l.4. n. 53.

S. Dominicus de Bemfica.

Cœnobium prope Olyſipponem. l.4. n.105. In eo Sacellum magnificum Caſtriæ familiæ ædificatum, & dotatum. n.106. 109. Ibi ſepulchra Pro-Regis Joannis de Caſtro, & Alvari filii. n.107. 108.

E

Eduardus de Menezes

Tingis oppidi in Africa Gubernator. l. 1. n. 3. Joannem de Caſtro equitem inaugurat, & de ejus bellica virtute Regem monet. n.5.

Eduardus de Menezes

Bazaino ſolvens Dium appellit. l.2.n.139. 140. Strenuè dimicat in prælio contra Turcas. n.169.

Eliſabeth Fernandes

Strenua Matrona, vulgò Anus Dienſis. l.2.n.55. Qua virtute fuerit aliquando in Dienſi obſidione. n. 117. n. 130.

Eliſabeth Madeira

Strenuè ſe gerit in bello Dienſi. l.2. n.119.

Epiſtola

Joannis Regis ad Prætorem Joannem de Caſtro. l. 1. n. 69. Catharinæ de Souſa ad Prætorem. l. 2. n. 91. Aloyſij Luſitaniæ Principis ad eumdem. l.3. n.5. Prætoris Indici ad cives Goanos de pecunia mutua danda. l. 3. n. 29. Goanorum ad eum reſponſio. n. 30. Prætoris ad Alvarum filium de Joanne Maſcarenhas n. 37. Joannis Regis ad Pro-Regem. l. 4. n. 95. Reginæ Catharinæ ad eumdem. n.96. Aloyſii Principis ad eumdem. n.97.

F

Fauſtus Serrao de Calvos
ARgutè Prætori reſpondet. l.4. n.48.
Ferdinandus Carvalbo
Juſſu Dienſis Præfecti hoſtium conſilia explorat. l.2. n.50. Eidem nunciat, quæ viderit in hoſtium caſtris. n. 72.
Ferdinandus de Caſtro
Proficiſcitur in Indiam cum Patre Prætore. l. 1. n. 35. Ad importandum ſubſidium, Dium mittitur. l.2. n.30. Dium appellit. n.40. Quomodò à Præfecto Dienſi excipiatur. n.41. Facultatem petens erumpendi in hoſtem, non impetrat à Præfecto. n.46. Qua virtute dimicet. n.98. Febri laborans ad defenſionem propugnaculi S. Thomæ advolat. n.113. Cuniculi incendio abſumptus moritur. n.115. Ejus cadaver humi defoditur. n.120. Ejus oſſa erui Pater jubet, ut Goam pignori mittat. l.3. n.29.
Ferdinandus Perez
Primus omnium Xaelis arcem aſcendit contra Fartaquios. l.4. n.90.
Ferdinandus de Souza
In Molucas Inſulas mittitur à Prætore. l.2. n.14. Reſpondet epiſtolis Roterici Lopez de Villalobos Hiſpanæ claſſis Præfecti. n. 15. 17. Hiſpanum Præfectum convenit. n.18. Controverſias componit. n.19. Quid agit, Hiſpanis promiſſa fallentibus. n.20.
Franciſcus d'Eſa
Malaca proficiſcitur contra Acenum. l.4. n.15. Hoſtem cum inſequi vellet, milites tumultuantur. n. 26. In conſpectum hoſtium veniens quid agat. n.27.
Franciſcus Guilberme
Bazaino ſolvens Dium appellit. l.2. n.139. 143.
Franciſcus de Mello
Racholenſis arcis Præfectus Prætorem monet, ut contra Hidalcanem ſigna moveat. l.4. n.38.
Franciſcus de Menezes
Dium proficiſcitur cum ſubſidiis. l.2. n.87. Bazainum primò vi tempeſtatis, deinde Agazainum regreditur. n. 122. 158. Strenuè dimicat apud Dium. n.160. Noſtros in hoſtem erumpere cupientes increpat. n.162. Erumpentibus ſocium ſe addit. n. 164. Plumbea glande trajectus moritur. n. 168.

Fran-

Franciſcus Vieira
Adeni in urbe ſubſiſtit Luſitanis abeuntibus cum Emmanuele Pereira, & ſtrenuè dimicat. l.4.n.86. Arabum Juvenem Principem è prælio ſubductum in Camparis Regnum adſportat. n. 87.

S. Franciſcus Xaverius
Inſignis operarius in vinea Domini. l. 1. n.71. Malacenſes longa expectatione Luſitanæ claſsis, quæ in Acenum ſolverat, diu ſuſpenſos ſolatur. l. 4. n. 30. Prædicit futuram Luſitanorum victoriam. ibid. Morienti Pro-Regi Joanni de Caſtro aſsiſtit n.103.

G

Gandara
Oppidum in ora litorali Cambajæ ab Emmanuele de Lima vaſtatur. l.3. n.33.

Garzias de Noronha
Cum Prætor in Indiam proficiſceretur, ſocium habuit Joannem de Caſtro. l. 1. n. 16. Brevi mortuus ſucceſsorem habuit Stephanum à Gama. n.18.

Garzias Rodriguez de Tavora
Dium proficiſcitur cum Antonio Moniz Barreto. l.2. n.123. Honeſtiſsimè invicem diffidunt. n.124. Strenuè dimicat. n. 130. 134. 167. 169.

Goga
Oppidum in ora litorali Cambajæ ab Emmanuele de Lima direptum, & incenſum. l.3. n,32.

H

Hidalcanes.
Prima ejus ad Prætorem Joannem de Caſtro legatio. l.1. n.43. Hidalcanes Maurus quinam eſset, & quomodo Regnum uſurparit. n. 44. 46. De Mealis Goam adventu ſolicitus. n.48. Multa pro Meale offert Prætori Martino Alphonſo de Souſa. n.49. Primus belli apparatus in Indicam Luſitanorum Ditionem. n. 53. Pacem petit. n.66. Impetrat à Prætore. n.67. Mittit exercitum in agros Luſitanorum. l. 4. n.18. 31. In Pondæ Caſtellum ſe recipit. n.39. Prætor eum inſequitur, & recedere in Mediterranea compellit. n. 40. 41. Iterum bellum Luſitanis infert. n.57. Ab iiſdem multiplici afficitur clade. a num. 61. ad 70.

Hieronymus de Menezes
Bazainenſis arcis Præfectus naves 15. tradit Vaſco à Cunha Dium ituras. l. 2. n. 179.

I

Jacobus Leite
NAvem, quam miro ſtratagemate Coge-Sofares in Dienſes immiſerat, feliciter disjicit. l. 2. n. 37. Commeatum hoſtium intercipit, & Mauros permultos interficit. n.45.

Joannes Luſitaniæ Rex
Joannem de Caſtro de Tingitana urbe Olyſipponem evocat, & præmio donat. l. 1. n. 6. Eidem in Indiam proficiſcenti nova præmia decernit. n.6. Eundem litoralibus claſſibus præficit. n. 21. Eumdem Luſitanæ claſſis contra Turcas Præfectum creat. n.26. Quantum Joanni tribuerit. n.27. Eumdem Indiæ Prætorem renunciat. n.33. Ad eumdem literas dat. n.69. Nuncium Dienſis victoriæ celebrat. l. 4. n. 94. Joanni de Caſtro literas ornatiſſimas, & præmia dat. n.95. Eidem in aliud triennium Præturam prorogat, addito Pro-Regis titulo. n.94. Sex roſtratas naves in Indiam mittit. n.99.

Joannes de Albuquerque Epiſcopus Goanus
Indicam Ditionem cum Didaco de Almeyda Freyre adminiſtrat, abſente Prætore. l.3. n.1. Redeuntem Prætorem in litore excipit. n.39. Solemnem pro reditu Prætoris Deo gratulationem inſtituit in primario urbis templo. n.41. Eidem, ac Didaco de Almeyda moriens Pro-Rex Indiæ adminiſtrationem tradit. l.4. n.101.

Joannes de Almeida
Unà cum Petro fratre germano Dienſe S. Jacobi propugnaculum defendit. l.2. n.32. Erumpunt in hoſtem, eumque clade afficiunt. n. 94. Cautè, & ſtrenuè dimicat. n.53. 68. 75.

Joannes de Attayde
Adenum proficiſcitur cum Alvaro de Caſtro. l.4. n.82. Caxemum mittitur à Prætore. n.83. Ejus itineris ſucceſſus. n. 88. Alvaro obviam procedit. n.89. Strenuè dimicat in Xaelis expugnatione. n.91.

Joannes de Caſtro.
Ejus prima ſtudia. l. 1. n. 1. Mathematicæ operam dat. n. 2. Tingin proficiſcitur. n. 4.

In aula quomodo vivit. n.7. Uxorem ducit Eleonoram Coutinho. n. 8. l. 4. n. 110. Tunetum proficiſcitur. l.2. n.9. A Tunetana expeditione redux in Sintram ſecedit. n.14. Primò in Indiam ſolvit cum Garzia de Noronha. n. 15. 16. Navem conſcendit cum cæterisDio ſubſidium laturis. n. 17. Cum Stephano à Gama ad mare Erythræum contendit, & itineris accuratiſſimam deſcriptionem facit. n.19. Redux in Luſitaniam claſſibus litoralibus à Rege præficitur, ac ſeptem pyratarum roſtratas naves fundit. n.21. Supremus claſſis Præfectus renunciatur contra Turcas. n.26. Cum Alvaro Baſano Cæſareæ claſsis Præfecto pugnandi deliberationem capit n.28. Permanet in ſententia, diſſuadente Præfecto Cæſareo, ac tres ipſos dies Turcicam claſſem expectat in freto Gaditano. n. 29. Septam cum claſſe contendit. n.30. Indiæ Prætor deſignatur à Rege. n.33. Indicam claſſem apparat. n.34. Lautiores filii veſtitus reprehendit. n.35. Solvit in Indiam. n. 37. Mozambiqujum appellit, ubi novam arcem ædificat. n. 38. Goam appèllens perhonorificè excipitur. n.39. 40. Quem rerum Indicarum ſtatum invenerit. n.41. Ejus ad Hidalcanem reſponſio de Meale. n.51. Bellum apparat. n.52. Proficiſcitur contra Acedecanem Hidalcanis Præfectum. n.54. Pugnam committit, & vincit. n.55. Oblatam ab Hidalcane pacem admittit. 67. Rem politicam, & Religionis promovet. n.68. 69. Dium milites mittit. l.2. n.10. Scribit ad Mamudium Sultanum de Dienſi arce. ibid. Dium primò ſubſidia mittit. n.23. Novum iterum ſubſidium mittit cum Ferdinando filio. n. 30. Joanni Maſcarenhas honeſtiſſimas ſcribit epiſtolas. n. 31. Præconis voce Cambajæ Regi bellum denunciat. n.43. Mutuam pecuniam petit ab incolis Luſitanorum oppidorum, ut Dio ſuccurrat. n.44. Publicas Deo preces inſtituit. n.44. Quanta ſolicitudine Dienſia ſubſidia curaverit. n.86. Alvarum filium, & Franciſcum de Menezes cum novis ſubſidiis Dium mittit. n. 87. Novos belli, & ſubſidiorum apparatus curat. num. 89.

Dien-

Dienſes nuncios piè, & hilariter, Ferdinandi filii mortem conſtantiſſimè excipit. n.175. In gratiarum actionem publicam ſupplicationem inſtituit. n. 176. Deliberationem de Dienſi expeditione Goanis Senatoribus declarat. n. 180. Diſſuadetur. n.181. Dium tamen cum claſſe proficiſci ſtatuit. n.182. Goa egreditur cum claſſe ornatiſſima Dienſem obſidionem levaturus. l.3.n.1.2. Bazainum appellens Cambajæ bellum infert. n.3. Dium appellit. n.9. Bellicum conſilium habet in mari, dum militem in arcem exponit. n. 10. Statuto prælio juſſa opportuna ſuis dat. n.12. Milites alloquitur. n. 13. Milites ordinat. n. 14. Arce egreditur. n. 15. Magno periculo ſe ſe eripit, & victoriam clamans, pugnam proſequitur. n.18. Strenuè dimicat. n. 19. Rumecanem aggreditur. n.21. Victoria potitur. n. 25. Victoriæ gratulationes accipit. n. 27. Dirutam arcem rurſus ædificat. n.29. Barbæ pilos Goam pignori mittit. ibid. Remiſſa barba Goani pecuniam mittunt. n.30. Suſceptam arcis ædificationem proſequitur. n. 31. Emmanuelem de Lima mittit ad vaſtandam litoralem Cambajæ oram. n. 32. Mittit Antonium Moniz ad expectandas Cambajæ naves Meca reduces. n.35. Armuzianos nuncios de novis belli tumultibus accipit. n.36. Mittit Armuziam Emmanuelem de Lima. n. 37. De Dienſium militum meritis ad Regem perſcribit. ibid. Goam cum claſſe proficiſcitur: appellit, & Goanos ad litus obvios habet. n.39. Decernitur illi triumphus, cujus pompa deſcribitur. n. 40. Goam ingrediens, à Senatore latina oratione excipitur. n. 41. Triumphantis habitu ad princeps urbis Templũ contendit, Deumque ſuarum victoriarum autorem agnoſcit. ibid. Candeæ Regis converſionem urget, & Antonium Moniz ad eumdem mittit cum claſſe. l.4. n.4. Didacum de Almeyda mittit contra Hidalcanem. l.4. n. 19. 32. Deliberat in Senatu de inferendo Hidalcani bello. n. 33. Dum bellum differtur, milites exercet. n.34. Dienſia nuncia Senatui ſignificat, à quo

auxilia petit, item à Bazainenſibus, & Ciaulenſibus n.35. Deliberat bellum inferre Hidalcani, & militiam ordinat. n. 38. A Canaræ Rege legatos accipit, & icto fœdere, dimittit. n. 39. Contra Hidalcanem proficiſcitur. num. 40. 41. Goam redit. n. 42. Iterum Dium cum claſſe proficiſcitur. n. 43. Surratam Alvarum filium præmittit. n.44. Mauros terret. n.48. Suam cum Alvari claſſe in Suratæ portu conjungit, ac Sultano prælium offert. n. 49. Ejus ad milites oratio. n. 50. Diſſuadent illi pugnam Præfecti, ac Proceres; perſtat tamen in acie tres ipſas horas, & tandem conſcendit. n. 51. Damna infert hoſtibus. n.52. Dium appellit, & arcis adminiſtrationem, abeunte Joanne Maſcarenhas, tradit Aloyſio Falcao. n.53. Bazainum contendit, inde ad Regem ſcribens, laudat apud eum milites de eo benemeritos in Dienſi expeditione. n. 54. 56. Goam petens Dabulum oppidum expugnat. n. 60. 61. Agazainum contendens, hoſtes per ſe ipſe invadit, & vincit. n.63. 67. Naves in Luſitaniam dimittit. n. 68. Bellum cum Hidalcane perſequitur. n.69. Dabulum mediterraneum evertit, & agros depopulatur. n. 70. Iterum Bazainum redit, Cambajæ damna infert. n. 71. Mittit Alvarum filium in ſubſidium Adeni. n. 80. 82. A Caxemi Rege legatos accipit, quibus reſpondet. n.83. Epiſtolæ à Rege, Regina, & Principe Luſitaniæ. n.95. 96. 97. Indiæ Pro-Rex creatur in aliud triennium. n.98. Ægrotat Pro-Rex, & magiſtratu ſe abdicat. n. 101. Ejus ad Magiſtratus Goanos oratio, & juramentum. n.102. Cognito periculo mortis præparat ſe cum S. Franciſco Xaverio: moritur piè. n. 103. Ejus oſſa in Luſitaniam translata collocantur in gentilitio Sacello S. Dominici de Bemfica. n.104. Quos habuerit majores Joannes de Caſtro, & quot filios. n. 210. Ejus Elogium ſepulchrale. n. 107.

Joannes Coelho

Parochus Dienſis arcis Bazainum ſumma hyeme navigat, ut Prætorem de Dienſibus rebus faciat certiorem. l.2.n.63. Ejus ad Prætorem nuncia perferuntur. n.87. Dium renavigat. n. 101.

101. Pugnantibus militibus addit animos. n.118.

Joannes Falcao

Provocat ad ſingulare certamen Joannem Manoel. l.3. n.16. Quomodo tranſigunt inter ſe. ibid. Superato muro, occiditur à Mauris ibid.

Joannes Manoel

Provocatur ad ſingulare certamen à Joanne Falcao; quomodo cum illo tranſigat. Superato muro, præciſis manibus, & capite, moritur. l.3. n.16.

Joannes Maſcarenhas

Dienſis arcis Præfectus. l. 2. n.9. De Coge-Sofaris conſiliis Prætorem monet ibid. Coge-Sofari injuſta poſtulanti quid reſpondeat. n.21. 22. Præparat ſe ad bellum. n.25. Inſtanti rurſus Coge-Sofari reſpondet. n.29. Arcis ſtationes aſſignat. n.32. Milites alloquitur. n. 33. Venientem Ferdinandum de Caſtro quomodo exceperit. n.41. Terreſtri curſore miſſo, Dienſem obſidionem Regi Luſitanię nunciat. n.47. Ejus vigilantia, & providentia. n. 58. Hoſtium machinationes diſturbat alia machinatione. n.65. Arcis ruinas reficit. n.71. Ad expellendos ex arce Turcas advolat, & ſtrenuè expellit. n.79.80. Strenuam deliberationem ſumit. n. 121. De extrema arcis inopia Alvarum monet. n. 125. Eumdem perhonorificè excipit. n. 158. De Dienſibus rebus ad Prætorem ſcribit. n.159. Suos in hoſtem erumpere cupientes diſſuadet. n. 162. Iisdem in ea deliberatione obfirmatis ſocium ſe addit. n.163. Prudenter dimicans milites inſtruit. n.169.170. Quomodo venientem Prætorem exceperit. l.3. n.9. Quot cohortibus præficiatur à Prætore ad prælium committendum. num. 14. Strenuè dimicat. n. 17. 24. Urbem cum ſuis ingreditur. n.23. Statuit ante tempus Dienſi Præfectura ſe abdicare. n. 34. Eam retinet. num. 37. De conſiliis Cambajæ Regis Prætorem monet. l. 4. n. 35. Dienſi Præfectura ſe abdicat. n.53. In Luſitaniam proficiſcitur. n.68. Ejus elogium. ibid.

Joannes Chirurgus

Unus ex quinque militibus, qui ſtrenuè irrumpentes barbaros ſuſtinent apud Dium. l. 2. n. 119.

Jordanus Freitas

Præfectus Molucarum Aeirum

rum Regem vinctumGoam mittit. l.4. n.20. Præfecturam tradit Bernardino de Souſa. n.21.

Juzarcanes

Abaſſinus perſtrenuus, quem Mamudius relinquit in caſtris in obſidione Dienſi. l. 2. n. 51. Jurat fore, ut vel arcem expugnet, vel moriatur. n. 53. S. Joannis propugnaculum invadit. n. 67. Deinde arcis loricam. num. 77. Plumbea glande trajectus occumbit. n. 84.

Juzarcanes alius

Ad promovendam obſidionem Dium venit. l.2. n.93. S. Joannis propugnaculum invadit. n. 104. Noſtros ex arce erumpentes excipit. n. 165.

L

Laurentius Pires de Tavora

LUſitanarum navium in Indiam navigantiũ Præfectus. l.2.n.174. Cocinum appellens, inde Dium ſolvit. l. 3. n. 4. Primus omnium in hoſtium murum aſcendit. n. 18. Olyſipponem renavigat. l.4 n.93.

Ludovicus Princeps

Mathematicis diſciplinis operam dat. l.1.n.2. Tunetum proficiſcitur cum Carolo Cæſare. n.10. Certat urbanitate cum Cæſare. n. 12. Suadet Regi, ut nominet Indiæ Prætorem Joannem de Caſtro. n. 32. Ejus ad Joannem epiſtolæ. l.3. n.5. l.4. n.97.

Ludovicus de Almeyda

Dium mittitur à Prætore cum ſubſidiis. l.2. n.177. Dium appellit. n.178. Mittitur ab Alvaro ad expugnandas naves Meca reduces. Duas expugnat, & Dium adducit. n. 179.

Ludovicus Falcao

Ex Armuziana Præfectura Dium venit. l.4.n.53. Juſſu Prætoris, Joanni Maſcarenhas in Dienſi Præfectura ſuccedit. ibid.

Ludovicus de Mello de Mendoza

Bazaino Dium proficiſcitur, & periculosè navigat. l. 2. n.139. Renavigare cupientibus reſiſtit. n.140. Dium venit, & de Alvari adventu nunciat. ibid. Ferrea glande trajectus occumbit. n. 167.

Ludovicus de Souſa

Thomæum propugnaculum defendit. l.2.n.32. Diligenter,& ſtrenuè dimicat.n.53. 67. 74. 98. 102. 134. 170.

Lupus de Souſa
Strenuè dimicat apud Dium, & ſagitta trajectus moritur. l.2. n.169.

M

Malaca.
Complures in eam conjurant. l.4.n.22. In eam Aceni Regulus furtivam exſcenſionem facit, & fugit. n. 24. Simon de Mello Malacenſis Præfectus claſſem contra Acenum mittit. n. 25. Conjuratorum legati Malacam veniunt. num.28. Legatis reſpondet Præfectus. n. 29.

Martinus Alphonſus de Souſa
Indiæ Gubernator. l.1. n 31. Pecuniæ cupreæ pretium auget.n.42. Mealem Goam accerſit. n. 47. Mealem ſtatuit Hidalcani tradere. n. 50.

Martinus Botelho
Cum decem ſociis ad Maurum aliquem in arcem abſtrahendum contendit. l.2. num. 109. Quid nunciet. n. 110.

Marzanes
Raci-Solimano ſuccedit in Adeni oppidi adminiſtratione. l. 4. n. 74. Munit ſe in palatio contra Regem Camparis. n. 75. Oppido honeſtis conditionibus tradito egreditur. n.76.

Meales
Cauſa ſolicitudinis Hidalcani. l. 1. n. 44. In Cambajam pergit. n.45. Goam accerſitur à Martino Alphonſo de Souſa. n.47. Lautè excipitur à Prætore ibid. Prætor eum Hidalcani tradere ſtatuit. n. 50. Eum tamen Prætor novus Joannes de Caſtro defendit. n.51. Cauſam præbet novis Hidalcanis tumultibus. l. 4. n. 18. Eidem novas curas injicit. n. 31.

Michael de Arnide
Miles gigantea mole Dium proficìſcitur. l. 2. n. 123. Quomodò navem conſcendit. ibid. Quanta virtute, & viribus dimicet. n. 132.

Moluccæ Inſulæ.
Prodigium in eis factum. l.1. n. 71. Regis Luſitani jus ad Molucas Inſulas. l.2. n.11. Prætor Cacili Aeiro Molucas dat. n.12. Hiſpani ad Molucas cum claſſe contendunt. n. 13. Quomodò de Molucis cum Luſitanis tranſigant. n.19.

Mozambiquium
Appellens Joannes de Caſtro Indiæ Prætor arcem in meliorem locum transfert. l.1. n.38. Luſitaniæ Rex jubet, ut

ut arx amplificetur. l. 4. n. 37.

Matronæ

Dienſes ſtrenuè rem gerunt. l. 2. n. 55. 68. 79. 127. 130. Luſitanæ matronæ virtus præcipua. l. 2. n. 78. Matronæ Ciaulenſes gemmas ſuas Prætori offerunt in ſumptus belli. n. 90. Item Goanæ filios, & fortunas offerunt pro Dienſi ſubſidio. n. 177. Et pro arce reædificanda. ibid.

Mojetecanes

Luſitanorum virtutem laudat. l. 2. n. 132. Congreditur cum noſtris. n. 165. Arcem aggreditur, & recipit ſe. l. 2. n. 170.

N

Naves.

QUot numero eſſent, & quibus Præfectis regerentur naves, quibus in Indiam profectus eſt Joannes de Caſtro. l. 1. n. 36. Quando ſolverint Olyſippone. n. 37. Quo in periculo navis Prætoria verſata ſit. ibid. Luſitanæ naves Goam appellunt. l. 4. n. 37.

Nonius Pereira

Strenuè dimicat apud Dium. l. 2. n. 170. Goam regrediens moritur in mari ex vulneribus, quæ acceperat. n. 175.

P

Payus de Noronha

PErcurrit cum duodecim navibus Perſicum ſinum prope Siagrum promontorium, vulgo Roſalgate. l. 4. n. 78. Adenum oppidum cum claſſe appellit Camparis Regi ſubſidium laturus. n. 79. Regredi copias jubet. n. 86.

Pata, & Patana

Oppida in ora litorali Cambajæ everſa à Joanne de Caſtro. l. 4. n. 54.

Petrus de Almeyda

Irruit in hoſtes cum fratre, & magnam cædem edit. l. 2. n. 94. Strenuè dimicat. l. 2. n. 75. 134.

Petrus Nunez

Inſignis Matheſeos Profeſſor, & Joannis de Caſtro magiſter. l. 1. n. 2.

Propugnacula.

Propugnaculum S. Jacobi magna ruina labefactatur. l. 2. n. 54. E regione propugnaculi S. Thomæ Sofares machinam damnoſiſſimam excitat. n. 56. S. Joannis propugnaculum invaditur ab Juzarcane. n. 67. Thomæum invadit Rumecanes. n. 68. E regione propugnaculi S. Ja-

Jacobi munitionem excitant barbari. n.93. Novam munitionem noſtri disjiciunt. n.94. In Thomæum propugnaculum Turcæ aſcendunt. n. 102. S. Jacobi propugnaculum hoſtis aggreditur. num. 128. Item S. Joannis, ſed fruſtra. n. 153. Tria ſigna figit hoſtis in propugnaculo S. Jacobi. n.131. ibid. Strenuè dimicatur. n.145. Thomæum propugnaculum iterum invaditur. n.147.

Provocatio ad ſingulare certamen

Inter Joannem Manoel, & Joannem Falcão, & quàm ſtrenuè uterque nobilis contra hoſtem dimicaverit. l.3. n.16.

R

Races-Solimanus

Summus Turcicæ claſſis Præfectus in prima Dii obſidione. l.4. n.72. Amicitiam ſimulans Adeni portum ingreditur. ibid. Per fraudem Adeni Regem obtruncat. n.72. Adeni oppido potitur. n.74.

Rotericus Freyre

Dium appellit. l.2. n.157.

Rotericus Lopes de Villalobos

Præfectus Hiſpanæ claſſis, quæ in Molucas navigavit. l.2. num.13. Ferdinandum Souſam Luſitanum ambiguis verbis morari tentat. n.14. 16. Cum eo colloquitur in mari. n.18. Quid deliberet. n. 19. Non ſtat promiſſis, & quid agat Souſa. n. 20.

Rumecanes

Patri Coge-Sofari ſuccedit in adminiſtratione Dienſis belli. l.2. n.61. Inchoatam à Patre machinam urget. ibid. Luſitanis pulchras conditiones offert, ſi arcem tradant. n. 66. Thomæum propugnaculum invadit. n. 68. Nationes diviſim pugnare jubet. n.69. Accepta clade copias regredi jubet. n.70. Superſtitionibus utitur. n.72. Juzarcanis mortem ægrè fert. n. 84. Alii Juzarcani, quem Sultanus ad promovendam obſidionem mittebat, quid reſponderit. l.2. n.93. Foſſam impleri curat. n. 100. Per fraudem Luſitanos aliò diſtrahere nititur. n.111. Nova clade affectus copias recipit. n.119. Cuniculos agi jubet. n. 126. Milites ad novam aggreſſionem incendit. n. 127. Templum quati jubet. n. 131. A tribus transfugis de Dienſium ſta-

ſtatu edocetur. n.133. Arcem rurſus aggreditur. n. 134. Arcis ciſternam diſſipare tentat.n.136. Aggreſſionem iterans nova clade afficitur. n. 141. De exitu obſidionis omnino diffidit. n. 144. Novos cuniculos fruſtra parat. ibid. Arcem rurſus aggrediens receptui canit. n. 160. Novam urbem ædificat. n. 172. Magnam auri vim Alvaro de Caſtro offert pro redimendo Janizarorum Præfecto. n 179. Alium cuniculum fruſtra incendit. num.183. Quomodo inſtruat copias adveniente Prætore. l. 3. n.11. Ad repellendam claſſem quæ in litus ferebatur, cum nervo exercitus Turcici accurrit.n.15.Luſitanis reſiſtit. n. 19. Copias inſtruit. n.20. Fuſus ab Alvaro iterum inſtructa acie reſiſtit. n. 21. Receptui canit. num. 22. Novum Luſitanis prælium offert. n. 24. Moritur. n. 25.

S

Sebaſtianus de Sà

Dium cum Ferdinando de Caſtro navigat.l.2.n.30. Venenata ſagitta vulneratur. n.69. Goam renavigat cum literis Dienſis Præfecti ad Prætorem. n. 85.

Sebaſtianus de Sà

Unus è quinque militibus,qui in Dienſi obſidione irruentem barbarorum magnam vim ſuſtinuere, l. 2. n.119.

Simon Feyo

Captivus apud Turcas Rumecanis juſſu Pręfectum Dienſem ad tradendam arcem ſolicitat. l. 2. n. 66. Quid reſponſi ferat. ibid.

Simon de Mello.

Malacæ urbis Præfectus. l. 4. n. 23. Claſſem contra Acenum mittit. n. 25. A conjuratis Regibus Legatos accipit. n. 28. Quid reſpondeat.n.29.De Claſſe moram faciente ſolicitus. num.30. Contra eum Malacenſium querelæ, quas S. Franciſcus Xaverius ſedat, prænunciata claſſis victoria. ibid.

Stephanus à Gama

Garziæ de Noronha in Indica adminiſtratione ſuccedit. l. 1. n. 18. Ad Erythræum mare contendit cum claſſe. n. 19. Alvarum de Caſtro equeſtribus inſignibus ornat. n. 20.

Sultanus Mamudius

Cambajæ Rex Dium eripere Luſitanis ſtatuit. l. 2. n. 2. Propoſitas ad id ipsũ à Coge-Sofare rationes probat. n. 8.

n. 8. Dium venit cum multa militum vi. n. 49. Abit è Dienſibus caſtris, Maurum prope ſe occiſum à Dienſi bombarda videns. n. 51. Juzarcanem alium Dium mittit ad promovendam obſidionem. num. 93. FortunatamRumecanis pugnam publicè celebrat. n. 171. Infelicem Dienſis expeditionis exitum barbarè ulciſcitur. l. 3. n. 35. Novum exercitum conſcribit ad Dium iterum obſidendum. l. 4. n. 35. Oblatum à Prætore prælium rejicit. n. 49. 51. Severiſſimo edicto prohibet, nequis audeat loqui de obſidione, & prælio Dienſi. n. 55.

Surrata

Cambajæ emporium deſtruitur ab Emmanuele de Lima. l. 3. n. 6. Adveniente Alvari claſſe, arx præſidiariis deſtituitur. l. 4. n. 55. Dolet Prætor Surratam non expugnatam. n. 55.

T

Tunetum.

AD Tunetanam expeditionem navigat Joannes de Caſtro. l. 1. num. 9. Hujus expeditionis occaſio ibid. Qui Proceres ex Luſitanis eam expeditionem adierint. n. 11.

V

Vaſcus à Cunha

MIttitur à Prætore ad importandum Dienſi arci ſubſidium. l. 2. n. 177. Bazainum, deinde Dium appellit. n. 178.

X

Xael oppidum.

XAelem Alvarus cum claſſe contendit; arcem ei Fartaquii offerunt. l. 4. n. 90. Eam per vim admotis ſcalis expugnare Alvarus nititur. ibid. Fartaquii ad mortem uſque ſe defendunt. n. 91. Expugnatur. num. 92.

F I N I S.

		ERRATA.	CORRIGE.
Pag.	*lin.*		
7	18	Magadori	Mogadori
8	31	Ephæbis	Ephebis
30	25	continentur	continenter
37	2	imjuriis	injuriis
49	13	nuncinm	nuncium
59	26	horizæ	orizæ
	31	Ghomæis	Thomæis
	34	e ognovimus	cognovimus
63	5	nnum	unum
74	33	Ægipti	Ægypti
75	15. & 16	Ægipti Ægiptiorum	Ægypti Ægyptiorum
83	23	cautior quam ſtrenuus	cautior quam fortior
101	18	perſonarunt	perſonuerunt
117	8	fœminilis	fœminea
121	1	officio	officia
129	12	Inculentiora	luculentiora
	13	ſoppeditabit	ſuppeditabit
131	26	Paſanha	Feſſanha
143	13	Mendonſo	Mendoça
145	18	prnfectò	profecto
170	24	repperit	reperit
179	29	narura	natnra
185	9	Mendonca	Mendoçà
196	29	ac pauperculis	ac ſub pauperculis
197	2. & 32	Ortodoxæ	Orthodoxæ
	30	intepeſtivo	intempeſtivo
210	8	quoad vitam abſolvit	quoad vixit
216	21	diſpoſuerat	diſpoſuerat
222	ult.	ſeneſcente mque	ſeneſcentemque
237	12	gladium impugnare	gladium ſtringere
238	12	forrunæ	fortunæ
241	16	propugnatores	propulſatores
256	30	normaum ilitaris	normam militaris
273	2	phrigionis	phrygionis
	4	phrigium	phrygium
277	15	Æthnici	Ethnici
289	25	hnneſtiſſimas	honeſtiſſimas
317	11	Alvati	Alvari
337	10	Legatis	Legati
340	23	magis reputari	magis augeri
351	18	chyrographum	chirographum
358	21	minoribus	paucioribus
363	20	regiam agnificentia	regia magnificentià
368	14	pro feriatis	profeſtis
368	ult.	bellicoſum	Bellicoſum
372	15	Templnm	Templum
In Indice.		V. Alvarus de Caſtro n.162. Luſitanos diſſuadet	Luſitanis diſſuadet

Reliqua errata, ſiqua offenderit benignus lector, facile corriget, liber enim abſente Autore Typis excuſus mendis carere non potuit.

Digitized by Google